

Huic volumini operam dederunt pro  
indicationibus bibliographicis:

Ferdinando DELL'ORO S.D.B. (*ital*)  
Jean EVENOU (*gall*)  
Jo HERMANS (*neer*)  
Julian LÓPEZ MARTÍN (*hisp*)  
John PAGE (*angl*)  
Anibal RAMOS (*lus*)  
Monika SELLE (*germ*)

ENCHIRIDION  
DOCUMENTORUM  
INSTAURATIONIS  
LITURGICAE

II

(4.12.1973 - 4.12.1983)

*composuit et indice auxit*

REINER KACZYNSKI

C.L.V. - EDIZIONI LITURGICHE - 00192 ROMA  
Via Pompeo Magno, 21 - Tel. (06) 353.114  
1988

## PRAEFATIO

*Volumen quod «Enchiridion documentorum instaurationis liturgicae I» inscribitur, multorum assensu ac plausu acceptum est. Cum autem comprehenderet tantummodo documenta usque ad diem IV mensis decembris MCMLXXIII publici iuris facta, pluries, praesertim a viris scientiae liturgicae peritis et instauratione liturgicae deditis, impulsus sum ut etiam documenta posterius edita eodem modo componerem et indice patefacerem.*

*Secundo decennio post promulgatam Constitutionem de sacra Liturgia iam vero elapso, alterum volumen, secundum eandem rationem easdemque regulas compositum, praesto nunc est, ad utilitatem, uti spero, scientiae theologicae et instaurationis liturgicae necnon pastoralis.*

*Cum autem variis occupationibus studiisque distinerer, tantae molis opus ipse solus suscipere non potui. Magno enim mihi auxilio fuit, in volumine componendo et in plagulis corrigendis, Monika Selle, apud cathedram scientiae liturgicae in Universitate Monacensi adiutrix, cui gratias ago maximas; sed et gratias debeo Aedibus «CLV - Edizioni Liturgiche», quae hoc volumen edendum susceperunt, cum Aedes «Marietti», quae prius volumen evulgaverunt, alterum procurare non potuissent.*

*Hoc volumen memoriae dicatum volo HANNIBALIS BUGNINI, Archiepiscopi Diocletianensis, instauratione Liturgiae alacris fautoris, subita morte die III mensis iulii MCMLXXXII nobis erepti, cuius sepulcrum merito ornatur titulo: «Liturgiae cultor et amator».*

REINER KACZYNSKI  
Scientiae liturgicae in Universitate Monacensi  
Professor  
Congregationis pro Cultu Divino Consultor

## INDEX GENERALIS

INTRODUCTIO .....	IX
ABBREVIATIONES .....	XI
TEXTUS DOCUMENTORUM .....	1-493
181. De Ordine Unctionis infirmorum (10-I-1974) .....	1
182. De approbatione textuum liturgicorum (25-I-1974) .....	2
183. «Marialis cultus» (2-II-1974) .....	3
184. De Calendariis particularibus et Propriis (15-II-1974) ....	38
185. De caelibatu sacerdotali (11-IV-1974) .....	40
186. «Iubilate Deo» (14-IV-1974) .....	46
187. De celebratione Matrimonii (15-IV-1974) .....	50
188. «Firma in traditione» (13-VI-1974) .....	53
189. De Missali Romano (28-X-1974) .....	56
190. Preces eucharisticae (1-XI-1974) .....	57
191. Graduale simplex (22-XI-1974) .....	64
192. De Declaratione «Nostra aetate» (1-XII-1974) .....	69
193. De cooperatione oecumenica (22-II-1975) .....	71
194. De vigilantia circa libros (19-III-1975) .....	78
195. «Gaudete in Domino» (9-V-1975) .....	79
196. De Missali Romano (15-V-1975) .....	82
197. De celebratione Paschae (18-V-1975) .....	85
198. «Constans Nobis studium» (11-VII-1975) .....	87
199. «Romano Pontifici eligendo» (1-X-1975) .....	90
200. De titulo Basilicae Minoris (15-X-1975) .....	93
201. De mulierum sacerdotio (30-XI-1975) .....	95
202. «Evangelii nuntiandi» (8-XII-1975) .....	97
203. De institutione theologica candidatorum ad sacerdotium (22-II-1976) .....	107
204. De mulierum sacerdotio (23-III-1976) .....	111
205. De sacramento Paenitentiae (30-IV-1976) .....	112
206. Allocutio Pauli VI in Consistorio (24-V-1976) .....	115
207. De linguis in sacram liturgiam inducendis (5-VI-1976) ...	119
208. De Missa pro defunctis (11-VI-1976) .....	122
209. De pastorali cura in Studiorum Universitatibus (15-VII- 1976) .....	124
210. De mulierum sacerdotio (15-X-1976) .....	126
211. De Abbatiis nullius (23-X-1976) .....	138
212. De celebratione Paschae (15-III-1977) .....	140
213. De sacramento Paenitentiae (31-III-1977) .....	142
214. Declaratio communis Pauli VI et Friderici Donaldi Cog- gan (29-IV-1977) .....	145
215. Ordo dedicationis ecclesiae et altaris (29-V-1977) .....	147
216. De pastorali maritimum et navigantium cura (24-IX- 1977) .....	169

217. De festo Baptismatis Domini (7-X-1977) .....	174
218. De novis ministeriis instituendis (27-X-1977) .....	175
219. De catechesi tradenda (28-X-1977) .....	177
220. De Missa «pro pace» (24-XI-1977) .....	180
221. De Precibus eucharisticis (10-XII-1977) .....	181
222. De sacro Pallio (11-V-1978) .....	183
223. De relationibus inter Episcopos et Religiosos (14-V-1978)	185
224. De Ecclesia et hominum mobilitate (26-V-1978) .....	192
225. «Redemptor hominis» (4-III-1979) .....	194
226. De sacerdotio ministeriali (8-IV-1979) .....	202
227. De sacerdotio ministeriali (8-IV-1979) .....	205
228. «Sapientia christiana» (15-IV-1979) .....	212
229. «Scripturarum thesaurus» (25-IV-1979) .....	215
230. De studiis rheologicis (29-IV-1979) .....	217
231. De quaestionibus eschatologicis (17-V-1979) .....	219
232. De Calendario (29-V-1979) .....	221
233. De institutione liturgica in seminariis (3-VI-1979) .....	222
234. «Catechesi tradendae» (16-X-1979) .....	254
235. De formatione spiritali in seminariis (6-I-1980) .....	263
236. «Dominicae Cena» (24-II-1980) .....	273
237. De Litanis Lauretanis (13-III-1980) .....	297
238. De cooperatione Ecclesiarum particularium (25-III-1980)	298
239. «Inaestimabile donum» (3-IV-1980) .....	301
240. De ratione contemplativa vitae religiosae (12-VIII-1980)	310
241. De Baptismo parvulorum (20-X-1980) .....	317
242. «Dives in misericordia» (30-XI-1980) .....	330
243. De Precibus eucharisticis (15-XII-1980) .....	335
244. Ordo lectionum Missae (21-I-1981) .....	336
245. De Spiritu Sancto et incarnatione (25-III-1981) .....	371
246. Ordo coronandi imaginem B. Mariae V. (25-III-1981) ..	374
247. De materia SS. Eucharistiae (22-IX-1981) .....	378
248. «Familiaris consortio» (22-XI-1981) .....	379
249. De cura pastoralis hominum sedem mutantium (19-III-1982)	401
250. Precatio sacerdotibus destinata (25-III-1982) .....	405
251. Codex Iuris Canonici (25-I-1983) .....	406
252. «Divinus perfectionis magister» (25-I-1983) .....	472
253. Ordo Cantus Officii (25-III-1983) .....	476
254. De Calendario (25-III-1983) .....	479
255. De ministerio sacerdotum (27-III-1983) .....	480
256. De Calendario (25-IV-1983) .....	484
257. De Precibus eucharisticis (15-V-1983) .....	485
258. «Sacerdotium ministeriale» .....	487
259. Variationes in libros liturgicos introducendae (12-IX- 1983) .....	493
260. De associationibus massonicis (26-IX-1983) .....	494
SUPPLEMENTUM .....	495
INDEX RERUM ANALYTICUS .....	535

## INTRODUCTIO

1. In exhibendis documentis, quae hoc volumine continentur, ordo temporis eorum promulgationis vel editionis est servatus, sicut habetur etiam in volumine praecedente, cui continuatur ipsorum innumeratione. Documenta quae primo et per se indolis liturgicae non sunt, tantummodo quoad partes referuntur, quae Liturgiam immediate spectant. Partes vero intra singulas documentorum paragraphos omissae hoc modo indicantur [...].
2. Omnium documentorum textus paragraphis distincti sunt, quae numeris in margine inscriptis notantur, quo facilius indicentur. Qui numeri item continuantur numeris voluminis praecedentis.
3. Textus iuxta editionem principem exhibentur, quae in adnotationibus bibliographicis ante textum uniuscuiusque documenti primo loco est posita. Numeri paginarum editionis principis characteris cursivis seu italicis, in uncis quadratis, ipsis textibus documentorum sunt inserti.
4. Uniformitas ad modum scribendi quod attinet in ipsis textibus et adnotationibus pro viribus est quaesita. Documenta Concilii Vaticani II indicantur aut ipsorum initiis aut, si hoc modo fit in editione principe, initiorum abbreviationibus. Si qua adnotatio ad eundem textum pertinet atque adnotatio quae immediate praecedat in eadem pagina aut in pagina superiore numeris paris, tunc adhibetur siglum «ibid.» cum indicatione, si casus fert, numeri vel paginae.
5. Interpretationes documentorum, in forma «solutionis dubiorum» propositae, in adnotationibus editorialibus sunt collocatae. Quod autem attinet ad «solutiones dubiorum» distinguendum est utrum a Patribus Commissionis Decretis Concilii Vaticani II interpretandis vel a Patribus Pontificiae Commissionis Codici Iuris Canonici interpretando sint posita, an in Commentariis quae «Notitiae» inscribuntur inveniantur: alteris enim vis iuris inest, alteris vis tantum explanationis et monitionis (cf. N 1 [1965] 136).
6. Codice Iuris Canonici anno 1983 promulgato, Praenotanda librorum liturgicorum hic illic emendanda fuerunt. Variationes textuum, qui hoc volumine continentur, ipso loco indicantur; in Supplemento autem exhibentur textus prioris voluminis, qui ob ean-

dem causam emendati sunt. In eodem Supplemento, seriem numerorum in margine inceptorum sequendo, inveniuntur etiam «solutiones dubiorum» et responsiones ad quaestiones Apostolicae Sedi positas, in quantum referuntur ad textum voluminis antecedentis.

7. Ante singula documenta adnotationes bibliographicae sunt positae. Primum exhibentur editiones documenti linguis anglica, gallica, germanica, hispanica, italica, latina, lusitana, neerlandica exaratae; ante omnes vero editio illa lingua exarata qua documentum promulgatum est — plerumque agitur de lingua latina, interdum de lingua anglica aut gallica aut italica —, deinde ceterae editiones, ordine alphabetico dispositae.

Postea ordine alphabetico indicantur commentaria documentorum iisdem linguis, quas supra nominavimus, exarata; opera maioris momenti tantum fere recensentur.

## ABBREVIATIONES

- AA = Concilium Vaticanum II, Decretum de apostolatu laicorum *Apostolicam actuositatem*.
- AAS = Acta Apostolicae Sedis, Commentarium officiale, Typis Polyglottis Vaticanis 1909 sqq.
- AA.VV. = Auctores varii.
- AfkKR = Archiv für katholisches Kirchenrecht, Innsbruck 1857-1861, Mainz 1862 sqq.
- AG = Concilium Vaticanum II, Decretum de activitate missionali Ecclesiae *Ad gentes*.
- AK = Archief van de kerken (olim Katholiek Archief), Amersfoort 1964 sqq.
- angl. = anglice.
- BAC = Biblioteca de Autores Cristianos, Madrid.
- BNL = Bulletin National de Liturgie, Ottawa 1965 sqq.
- BTD = Belangrijke toespraken en documenten van paus Johannes Paulus II, Roermond 1979 sqq.
- BuL = Bibel und Liturgie, Klosterneuburg 1926 sqq.
- CC = La Civiltà Cattolica, Roma 1850 sqq.
- CD = Concilium Vaticanum II, Decretum de pastorali Episcoporum munere in Ecclesia *Christus Dominus*.
- CL = Communautés et Liturgies (1919-1945: Bulletin paroissial liturgique; 1946-1974: Paroisse et Liturgie), Ottignies 1975 sqq.
- CNPL = Centre national de pastorale liturgique, Paris.
- Comm. = Commentarium.
- DC = Documentation Catholique, Paris 1919 sqq.
- DOL = International Committee on English in the Liturgy (ed.), Documents on the Liturgy 1963-1979. Conciliar, Papal and Curial Texts, Collegeville 1982.
- DS = H. Denzinger - A. Schönmetzer (ed.), Enchiridion Symbolorum definitionum et declarationum de rebus fidei et morum, Barcelona <sup>36</sup>1976.
- DV = Concilium Vaticanum II, Constitutio dogmatica de Revelatione *Dei Verbum*.
- E = Ecclesia. Organo de la Dirección de la Acción católica Española, Madrid 1941 sqq.
- ed. = editio, editor.
- ed. typ. = editio typica.



- EL = Ephemerides liturgicae, Roma 1887 sqq.  
 EV = Enchiridion Vaticanum. Documenti ufficiali della Santa Sede, 4-8, Bologna 1978-1984.
- gall. = gallice.  
 GD = Gottesdienst. Information und Handreichung der Liturgischen Institute Deutschlands, Österreichs und der Schweiz, Freiburg i. Br. 1967 sqq.
- germ. = germanice.  
 GuL = Geist und Leben. Zeitschrift für Ascese und Mystik, Würzburg 1927 sqq.
- HD = Heiliger Dienst, Salzburg 1947 sqq.  
 hisp. = hispanice.  
 HK = Herder-Korrespondenz, Freiburg i. Br. 1946 sqq.  
 ICLZ = Interdiocesane Commissie voor Liturgische Zielzorg, Brussel.
- IGMR = Institutio Generalis Missalis Romani (cf. vol. I, 1381-1736).
- ital. = italice.  
 J = The Jurist, Washington 1941 sqq.  
 L = Liturgia. Notiziano Centro Azione Liturgica, Roma 1967 sqq.
- lat. = latine.  
 LG = Concilium Vaticanum II, Constitutio dogmatica de Ecclesia *Lumen gentium*.
- LJ = Liturgisches Jahrbuch, Münster 1951 sqq.  
 LMD = La Maison-Dieu, Paris 1945 sqq.  
 LRC = Lumen. Revista de Cultura do Clero, Lisboa 1937 sqq.
- lus. = lusitane.  
 MR = Missale Romanum ex decreto Sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani II instauratum auctoritate Pauli Pp. VI promulgatum, Typis Polyglottis Vaticanis 1970; 21975.
- N = Notitiae, Typis Polyglottis Vaticanis 1965 sqq.  
 neer. = neerlandice.  
 NK = Reihe *Nachkonziliare Dokumentation*, Trier 1967-1977.
- NRL = Nationale Raad voor Liturgie, Utrecht.  
 OE = Concilium Vaticanum II, Decretum de Ecclesiis Orientalibus catholicis *Orientalium Ecclesiarum*.
- ÖAfKR = Österreichisches Archiv für Kirchenrecht, Wien 1950 sqq.
- OH = Oración de las Horas. Revista de Pastoral de la Plegaria y la celebración, Barcelona 1970 sqq.
- OL = Ora et labora. Revista litúrgica beneditina, Singeverga 1954 sqq.
- OM = Ordo Missae.  
 OR = L'Osservatore Romano. Giornale quotidiano politico-religioso, Città del Vaticano 1861 sqq.

- OT = Concilium Vaticanum II, Decretum de institutione sacerdotali *Optatam totius*.
- PC = Concilium Vaticanum II, Decretum de accommodata renovatione vitae religiosae *Perfectae caritatis*.
- Ph = Phase. Revista de pastoral litúrgica, Barcelona 1961 sqq.
- PLDI = Pastoral Litúrgica. Documentación. Información, Boletín del Secretariado de la Comisión Episcopal de Liturgia, Madrid 1966 sqq.
- PO = Concilium Vaticanum II, Decretum de presbyterorum ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*.
- PPC = Ediciones Promoción Popular Cristiana, Madrid.
- RD = Il Regno - Documentazione, Bologna 1956 sqq.
- RL = Rivista Liturgica, Torino-Leumann 1913 sqq.
- RPL = Rivista di Pastorale Liturgica, Brescia 1963 sqq.
- s. = sacer, sanctus.
- SC = Concilium Vaticanum II, Constitutio de sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium*.
- SCC = Sacra Congregatio pro Clericis.
- SCCD = Sacra Congregatio pro Cultu Divino.
- SCDF = Sacra Congregatio pro Doctrina Fidei.
- SCDS = Sacra Congregatio de Disciplina Sacramentorum.
- SCE = Sacra Congregatio pro Episcopis.
- SCIC = Sacra Congregatio pro Institutione Catholica.
- SCRIS = Sacra Congregatio pro Religiosis et Institutis saecularibus.
- SCSCD = Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino.
- SCU = Secretariatus ad Christianorum unitatem fovendam.
- SRC = Sacra Rituum Congregatio.
- ss. = sancti, sacrosanctus, sacratissimus, sanctissimus.
- TRKK = Teksten uit de R.K. Kerk, Amersfoort 1981 sqq.
- TvL = Tijdschrift voor Liturgie (1910-1914: Liturgisch Tijdschrift), Affligem 1919 sqq.
- US = Una Sancta. Zeitschrift für ökumenische Begegnung, Freising 1946 sqq.
- VAS = Sekretariat der deutschen Bischofskonferenz (ed.), Verlautbarungen des Apostolischen Stuhles, Bonn 1975 sqq.
- W = Worship, Collegeville 1926 sqq.
- WKD = Wereldkerkdocumenten, Brussel 1975 sqq.

## De Ordine Unctionis infirmorum

Die 10 ianuarii 1974 SCCD vacationem legis de Ordine Unctionis infirmorum prorogavit. Decretum ab I. Card. Villot, a Secretis Status, «de speciali mandato Summi Pontificis», loco Cardinalis Congregationi Praefecti illo tempore eligendi, et ab H. Bugnini, a Secretis SCCD, subsignatum est.

ED. - Lat.: AAS 66 (1974) 100; N 10 (1974) 36. Angl.: DOL 411. Gall.: DC 71 (1974) 239. Hisp.: PLDI nn. 76-79 (1974) 30; E 34 (1974) 215.

[100] Constitutio Apostolica *Sacram Unctionem infirmorum*, a Summo Pontifice Paulo VI die XXX mensis Novembris 1972 edita, 3217 statuit, ut *Ordo Unctionis infirmorum eorumque pastoralis curae*, ab hac Sacra Congregatione recognitus, a die 1 Ianuarii 1974 ab omnibus adhiberi deberet.

Nonnullis Conferentiis Episcopalibus petentibus, ut vacatio legis eiusdem Ordinis prorogaretur, quo maiore cum tranquillitate populares interpretationes confici possent, Sacra haec Congregatio pro Cultu Divino, de mandato Summi Pontificis Pauli VI, ea quae sequuntur decernit:

1. Novus *Ordo Unctionis infirmorum eorumque pastoralis curae* in celebrationibus lingua latina peragendis iam adhiberi potest.
2. Conferentiae Episcopales curent, ut eiusdem Ordinis interpretatio popularis quamprimum perficiatur et diem definiant quo huiusmodi interpretatio, ab ipsis approbata et ab Apostolica Sede confirmata, in usum recipi debeat. A die autem quo editio vulgaris Ordinis vigere incipiet, novus tantum *Ordo Unctionis infirmorum*, sive in lingua latina sive in lingua vernacula, assumendus erit.

## De approbatione textuum liturgicorum

Die 25 ianuarii 1974 SCDF Declarationem «de sensu tribuendo approbationi versionum formularum sacramentalium» emisit.

ED. - Lat.: AAS 66 (1974) 661; N 10 (1974) 395; EL 90 (1976) 498.  
Angl.: DOL 131; J 34 (1974) 425. Gall.: DC 71 (1974) 1007. Hisp.: E 34 (1974) 1534. Ital.: EV 4, 1705. Neer.: AK 29 (1974) 1137.

COMM. - Lat.: B. DUROUX, in: N 10 (1974) 396-397.

- 3218 [661] «Instauratio liturgica, iuxta Constitutionem Concilii Vaticani II effecta, mutationes quasdam induxit etiam in formulis quae ad ipsam rituum sacramentalium essentiam pertinent. Nova haec verba, sicut et cetera, ad linguas vernaculas ita vertere oportuit ut sensus originarius secundum proprium linguarum ingenium exprimeretur. Exinde ortae sunt nonnullae difficultates quae in lucem nunc prodeunt cum illae versiones a Conferentiis Episcoporum ad approbationem Apostolicae Sedis mittuntur. Quibus in adiunctis Sacra Congregatio pro Doctrina Fidei iterum admonet necesse esse ut translatio formularum essentialium in ritibus Sacramentorum fideliter reddat sensum originarium textus typici latini; illudque recolendo notum facit: Proposita versione formulae sacramentalis in linguam vernaculam rite examinata, Sedes Apostolica cum censet sensum ab Ecclesia intentum per eam apte significari eandem approbat et confirmat statuens pariter sensum eiusdem secundum mentem Ecclesiae per originalem textum latinum expressum intelligendum esse».
- SS.mus D.nus Noster PAULUS Pp. VI in Audientia diei 25 Ianuarii 1974 E.mo Card. Praefecto impertita approbavit.

## «Marialis cultus»

Die 2 februarii 1974 Paulus VI «ad Episcopos universos pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes» Adhortationem Apostolicam direxit «de Beatae Mariae Virginis cultu recte instituendo et agendo».

ED. - Lat.: AAS 66 (1974) 113-168; N 10 (1974) 153-197. Angl.: DOL 467 (partim). Gall.: DC 71 (1974) 301-319; BNL 8 (1974) 255-290. Germ.: NK 45 (1976). Hisp.: E 34 (1974) 405-423; *La virgen hoy*, PPC, Madrid 1974. Ital.: *Il culto della Vergine Maria* = Servizio dell'Unità 1, Leumann (Torino) 1981; Il Regno-Documenti 19/9 (1974) 244-256; EV 5, 42-127. Lus.: LRC 38 (1974) 9-26. Neer.: AK 29 (1974) 659-696; *Apostolische Aansporing Mariale cultus*, Roeselare 1975; *Mariale cultus*, Amsterdam 1976.

COMM. - Gall.: J. GALOT, in: DC 71 (1974) 319-321; M. THURIAN, in: LMD n. 121 (1975) 98-107; A. KNIAZEFF, *ibid.*, 108-113; Y. CONGAR, *ibid.*, 114-121. Germ.: F. HOLBÖCK, in: HD 28 (1974) 106-111. Hisp.: J.M. BERNAL, in: Ph 14 (1974) 498-502. Ital.: I.M. CALABUIG, in: N 10 (1974) 198-216; AA.VV., in: RL 63 (1976) 291-393; AA.VV., in: Marianum 39 (1977) 7-131. Neer.: G. DANNEELS, in: Collationes 4 (1974) 258-265; J. HUPPERTS, in: TvL 59 (1975) 119-135.

[113] MARIALIS CULTUS ut incrementis ditaretur, ex quo ad Petri cathedram sumus evecti, continenter dedimus operam; non solum scilicet Nobis in animo fuit sensum Ecclesiae circa hanc rem et internum quendam impulsus, quo permovemur, exprimere, sed ad hoc adducti sumus etiam propterea quod haec pietatis forma, quemadmodum notum est, pars eximia efficitur sacri cultus illius, in quo fastigium sapientiae et culmen religionis quasi in unum confluunt,<sup>1</sup> et qui idcirco officium est praecipuum Populi Dei.

Hoc quidem officium prae oculis habentes, semper fovimus et proveximus magnum illud opus instaurationis liturgicae, a Concilio Oecumenico Vaticano Secundo susceptum, neque, procul dubio, sine peculiari divinae Providentiae consilio evenit, ut primum eiusdem universalis Synodi documentum, quod Nos una cum venerabilibus Patribus approbavimus cuique *in Spiritu Sancto* subscripsimus, Constitutio es-

3219

<sup>1</sup> Cf. Lactantius, *Divinae Institutiones* IV, 3, 6-10: CSEL 19, 279.

set a verbis *Sacrosanctum Concilium* incipiens, quippe cui propositum esset Liturgiam instaurare et augere, atque fidelium participationem in divinis mysteriis magis frugiferam reddere.<sup>2</sup> Ex illo tempore multa acta Pontificatus Nostri eo spectaverunt, ut cultus Deo debitus aptiore ratione disponderetur; quod comprobatur promulgatione, his annis facta, multorum Romani ritus librorum, qui secundum principia normasque eiusdem Concilii sunt instaurati. De qua re Domino, omnium bonorum largitori, gratias ex animo referimus, gratiamque habemus Conferentiis Episcopalibus singulisque Episcopis, qui Nobis ad libros illos praeparandos vario modo adiutricem operam praebuerunt. Dum vero animo laeto gratoque opus iam perfectum mente consideramus necnon primos felices eventus renovationis liturgicae, qui numero augebuntur prout huiusmodi instauratio penitus intellegatur quoad rationes suas primarias seu fundamentales atque ad usum recte deducetur, munus Nostrum esse putamus vigili cura fovere quaevis incepta eo pertinentia, ut cultus proficiat, quo Ecclesia in *spiritu et veritate* (cf. *Io. 4, 24*) Patrem, Filium et Spiritum Sanctum adorat, *Beatam Mariam Dei Genetricem cum peculiari amore veneratur*,<sup>3</sup> memoriam Martyrum aliorumque Sanctorum religiosus colit obsequiis.

3220 Progressus autem, quem exoptamus, devotionis erga Mariam Virginem, insertae (ut supra significavimus) in illum veluti cursum unius cultus, qui iure meritoque *christianus* appellatur — cum a Christo originem et efficaciam trahat, in Christo integram absolutamque exprimendi rationem habeat [115], per Christum ad Patrem ferat in Spiritu — est quiddam distinguens ipsam Ecclesiae pietatem. Re quidem vera eadem devotio in ipsa cultus exhibitione intimo quodam nexu consilium divinum de generis humani redemptione manifestat, ita ut pro singulari loco, quem in illo consilio Maria obtinet, peculiaris cultus congruenter eidem exhibeatur;<sup>4</sup> pariter genuinum profectum cultus christiani necessario subsequatur recta probataque progressio venerationis, qua Dei Genetrix colitur. Ceterum ipsa historia devotionis ostendit *varias formas pietatis erga Dei Genetricem, quas Ecclesia intra limites sanae et orthodoxae doctrinae approbavit*,<sup>5</sup> effectas esse et viguisse convenienti ratione subiectas cultui, qui Christo praebetur, et ad eum ferri quasi ad centrum, quo suapte natura et necessario referuntur. Quod quidem et aetate nostra evenit. Etenim Ecclesia horum temporum, de mysterio Christi atque de sua ipsius natura recogitans, eandem Mulierem invenit, et in prioris veluti fonte et in alterius summatione, Virginem scilicet Mariam, quippe quae esset Mater Christi et Mater Ecclesiae. Aucta vero cognitio muneris Mariae crediti evasit veneratio plena laetitiae, quae ei adhibetur, et reverentia, cum adoratione coniuncta, adversus consilium Dei, qui in Familia sua — quae est Ecclesia — perinde ac in quovis domestico convictu adesse vult

<sup>2</sup> Cf. *Sacrosanctum Concilium*, nn. 1-3, 11, 21, 48.

<sup>3</sup> *Sacrosanctum Concilium*, n. 103.

<sup>4</sup> Cf. *Lumen gentium*, n. 66.

<sup>5</sup> Cf. *ibid.*

4 «MARIALIS CULTUS»

Mulierem, quae in abscondito et voluntate serviendi ducta, ipsi invigilet, eiusque gressus tueatur benigna donec dies Domini gloriosus adveniat.<sup>6</sup>

Mutationes temporibus nostris inductae in mores sociales, in populorum sentiendi vim, in modos, quibus litterae et artes exprimuntur, in rationes socialis communicationis, etiam ad formas sensus religiosi significandi vim habuerunt. Pro[116]fecto quaedam cultus exhibendi consuetudines, quae non ita pridem aptae esse videbantur ad sensus religiosos singulorum et communitatum christianarum manifestandos, hodie non sufficere putantur aut minus esse idoneae, utpote ad praeteritas rationes socialis vitae et cultus humani pertinentes, dum a pluribus novi exquiruntur modi significandi immutabilem illam necessitudinem, quae inter creaturas et Creatorem, inter filios et Patrem eorum intercedit. Quod quidem efficere potest, ut nonnulli ad tempus perturbentur; sed qui animo Deo ipsi fidente de eiusmodi cogitat rebus, animadvertit multas propensiones pietatis hodiernae — ut exemplum afferamus, sensum religionis ad interiora magis quam ad exteriora conversum — ad christianae pietatis auctum in universum et ad devotionem marialem peculiariter conferre. Itaque haec aetas, dum diligenter traditionis vocem auscultat et theologiae aliarumque disciplinarum profectum attente considerat, laudis praeconium, pro sua parte, tribuet ei, quam secundum ipsius prophetica verba *beatam dicent omnes generationes* (cf. *Lc.* 1, 48).

3221

Quocirca ministerio Nostro apostolico consentaneum esse arbitramur, ut una vobiscum, Venerabiles Fratres, quasi colloquentes, de quibusdam argumentis disseramus, pertinentibus ad locum, quem beata Maria Virgo in cultu Ecclesiae obtinet. Quae quidem argumenta ex parte iam Concilium Vaticanum II attigit,<sup>7</sup> atque Nosmet ipsi tractavimus;<sup>8</sup> sed non est abs re de iisdem iterum agere, ut dubitationes discutiantur et — ac quidem potissimum — illa devotio erga beatam Mariam Virginem provehatur, quae in Ecclesia e Verbo Dei ut e causa procedit et in Spiritu Christi exercetur.

3222

Itaque in nonnullis quaestionibus libet immorari, quae ad necessitudinem inter sacram Liturgiam et cultum Dei Gene[117]tricis spectant (I); considerationes et normas directorias proponere aptas ad legitimum eiusdem cultus progressum fovendum (II); quaedam denique cogitata subicere pertinentia ad recitationem Sacratissimi *Rosarii* alacriter et magis conscie instaurandam, de cuius usu Decessores Nostri instanter monuerunt, quodque apud populum christianum magnopere invaluit.

## I

1. De loco tractaturis, quem beata Maria Virgo in cultu christiano obtinet, imprimis attendenda est Nobis sacra Liturgia; cui, praeter

3223

<sup>6</sup> Missa votiva de B. Maria Virgine Ecclesiae Matre, *Praefatio*.

<sup>7</sup> Cf. *Lumen gentium*, nn. 66-67; *Sacrosanctum Concilium*, n. 103.

<sup>8</sup> Cf. Adhorratio Apostolica *Signum Magnum*: AAS 59 (1967) 465-475.

uberem doctrinam, incomparabilis inest efficacia pastoralis, quaeque pro ceteris cultus formis probatam vim exempli habet. Vellemus quidem varias Liturgias Orientis et Occidentis regionum expendere, sed, ad huius Adhortationis Apostolicae finem quod attinet, fere dumtaxat libros ritus Romani inspiciemus, utpote qui solus, secundum normas practicas a Concilio Vaticano II editas,<sup>9</sup> penitus instauratus sit etiam quod ad locutiones spectat, quibus veneratio beatæ Mariæ Virginis significatur; qui quidem ritus hac de causa attente consideretur et aestimetur oportet.

- 3224 2. Ante Liturgiæ Romanæ renovationem diligenter instaurandum fuit eius *Calendarium Generale*. Quod, cum propterea esset concinnatum, ut celebratio operis salutiferi statis diebus in luce sua, prout decet, collocaretur, per anni circulum toto mysterio Christi, ab Incarnatione usque ad exspectationem gloriosi eius adventus,<sup>10</sup> distributo, effecit, ut modo aptius disposito et arctiore conexione memoria Matris in annum cyclum mysteriorum Filii insereretur.
- 3225 3. Tempore ergo Adventus in sacra Liturgia, praeterquam in sollemnitate diei VIII mensis Decembris — qua simul imma[118]culata Conceptio Deiparae Virginis, praeparatio, ad radicem pertingens (cf. *Is.* 11, 1. 10), adventus Salvatoris et felix initium Ecclesiae, sine macula vel ruga formosae,<sup>11</sup> recoluntur — eadem Virgo saepe commemoratur, praesertim in feriis, quae a die XVII ad diem XXIV Decembris ducuntur, et modo singulari die dominica Nativitatem Domini praecedente, qua vetera praesagia prophetarum de Virgine Matre ac de Messia<sup>12</sup> exsonant necnon narrationes evangelicae de instanti natali Christi eiusque Praecursoris leguntur.<sup>13</sup>
- 3226 4. Hoc profecto modo fideles, qui a sacra Liturgia spiritum Adventus ad vitam suam transferunt, ineffabilem dilectionem, qua Virgo Mater Filium sustinuit,<sup>14</sup> considerantes, inducuntur, ut eam sibi tamquam exemplum proponant et venturo Salvatori obviam ire parent, *in oratione pervigiles et in suis... laudibus exsultantes*.<sup>15</sup> Iuvat etiam animadvertere in Liturgia Adventus, eo quod exspectatio messianica et exspectatio gloriosi reditus Christi cum memoria, admirationis plena,

<sup>9</sup> Cf. *Sacrosanctum Concilium*, n. 3.

<sup>10</sup> Cf. *ibid.*, n. 102.

<sup>11</sup> Cf. *Missale Romanum* ex Decr. Sacr. Oec. Conc. Vat. II instauratum, auctoritate Pauli PP. VI promulgatum, ed. typica, MCMLXX, die 8 Decembris, *Praefatio*.

<sup>12</sup> *Missale Romanum* ex Decr. Sacr. Oec. Conc. Vat. II instauratum, auctoritate Pauli PP. VI promulgatum, *Ordo Lectionum Missae*, ed. typica, MCMLXIX, 8: Lectio I (Anno A: *Is.* 7, 10-14: «Ecce Virgo concipiet»; Anno B: 2 *Sam.* 7, 1-5. 8b-11. 16: «Regnum David erit usque in aeternum ante faciem Domini»; Anno C: *Mich.* 5, 2-5a [*Hebr.* 1-4a]: «Ex te egredietur dominator in Israel»).

<sup>13</sup> *Ibid.*, 8: Evangelium (Anno A: *Mt.* 1, 18-24: «Iesus nascetur de Maria, desponsata Ioseph, filio David»; Anno B: *Lc.* 1, 26-38: «Ecce concipies in utero et paries filium»; Anno C: *Lc.* 1, 39-45: «Unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me?»).

<sup>14</sup> Cf. *Missale Romanum*, *Praefatio de Adventu*, II.

<sup>15</sup> *Missale Romanum*, *ibid.*



Matris coniunguntur, praebere exemplum praeclarae aequabilitatis in cultu exhibendo, quod quasi norma haberi potest, ea mente ut quaevis inclinatio praepediatur seiungendi — quemadmodum in quibusdam formis pietatis popularis accidit — devotionem erga Deiparam Mariam a centro, quo necessario referatur oportet: a Christo, quodque efficit, ut hoc tempus putari possit — cultores sacrae Liturgiae id asseveraverunt — singularem in [119] modum idoneum ad cultum Dei Genetrici praestandum; hanc quidem propensionem et consilium Nos prorsus confirmamus, optantes, ut ea omnibus locis accipiantur atque secudentur.

5. Tempus vero Nativitatis Domini quasi quaedam continuata memoria est maternitatis divinae, virginalis, salvificae illius, cuius *intemerata virginitas huic mundo edidit Salvatorem*; <sup>16</sup> re quidem vera in sollemnitate Nativitatis Domini Ecclesia, Salvatorem adorans, gloriosam eius Matrem veneratur; in Epiphania Domini, dum vocationem universalem ad salutem celebrat, Virginem contemplatur, veram Sedem Sapientiae veramque Matrem Regis, quae omnium gentium (cf. *Mt.* 2, 11) Redemptorem Magis adorandum exhibet; atque in Festo Sacrae Familiae Iesu, Mariae et Ioseph (Dom. infra Oct. Nativitatis Domini) vitam sanctam venerabunda perscrutatur, quam Iesus, Filius Dei et Filius hominis, Mater eius Maria et Ioseph, vir iustus (cf. *Mt.* 1, 19), in domo Nazarethana duxerunt.

3227

In temporis Nativitatis ordine restituto animi communi studio, ut Nobis videtur, convertantur oportet ad instauratam sollemnitatem sanctae Dei Genetricis Mariae; quae, secundum antiquum Liturgiae Urbis Romae indicium, Kalendis Ianuariis attributa, eo spectat, ut munus celebrando recolatur, quod Maria in hoc mysterio salutis gessit, et ut singularis dignitas collaudetur, quae inde obvenit *sanctae Parenti... per quam meruimus... Auctorem vitae suscipere*. <sup>17</sup> Eadem sollemnitas praeterea egregiam praebet opportunitatem iterandae adorationis, quam nato Principi Pacis decet adhibere, ut denuo audiatur laetus nuntius evangelicus (cf. *Lc.* 2, 14), necnon a Deo, Regina Pacis deprecante, summum donum pacis imploretur. His rebus inducti, Octava Natalis Domini in auspicalem diem, anni initium, feliciter incidente, huic assignavimus celebrationem diei in universo mundo fovendae Pacis, quae maiore usque consen[120]sione probatur, atque in animis multorum hominum fructus pacis iam edit.

6. Ambabus sollemnitatibus memoratis, Conceptionis immaculatae et Maternitatis divinae, addendae sunt antiquae celebrationes, quae die XXV mensis Martii et XV mensis Augusti fiunt.

3228

Ad agendum sollemne Incarnationis Verbi, in *Calendario Romano*, alatis argumentis, restitutum est vetustum nomen *In Annuntiatione Domini*, verumtamen celebratio est festivitas et Christi simul et Virginis:

<sup>16</sup> *Ibid.*, Prex Eucharistica I, *Communicantes* in Nativitate Domini et per octavam.

<sup>17</sup> *Ibid.*, die 1 Ianuarii, *Ant. ad introitum et Collecta*.

id est et Verbi, quod fit *filius Mariae* (Mc. 6, 3), et Virginis, quae Mater Dei efficitur. Christi habito respectu, Oriens et Occidens, in suis Liturgiis, inexhaustarum divitiarum plenis, eiusmodi sollemnitate agunt ut memoriam illius *fiat* salvifici ab Incarnato Verbo prolati, quod in hunc mundum ingrediens dixit: *Ecce venio... ut faciam, Deus, voluntatem tuam* (Hebr. 10, 7; Ps. 39, 8-9), ut commemorationem scilicet initii redemptionis, necnon indissolubilis et sponsalis inter naturam divinam et humanam unionis, quae in unica existit Verbi Persona. Quod vero ad Mariam attinet, celebrant ea sacra ut festum novae Evae, virginis oboedientis et fidelis, quae, verbo illo *fiat* magnanimitate enuntiato (cf. Lc. 1, 38), reddita est, Spiritu Sancto operante, Dei Genetrix, atque etiam vera Mater viventium et, in corpore suo suscipiens unum Mediatorem (cf. 1 Tim. 2, 5), vera Foederis Arca verumque templum Dei; id est ut recordationem momenti temporis, quod summum fuit in illo quasi colloquio a Deo cum homine de huius salute instituto, et ut memoriam liberae assensionis Virginis et operae adiutricis ad exsequendum consilium divinum de redemptione humana.

In sollemnitate autem diei XV mensis Augusti Mariae gloriosa Assumptio in caelum celebratur; quae quidem est festivitas, qua plenitudo et beatitas, cui destinata fuit, glorificatio animae ipsius immaculatae corporisque virginalis, perfectae [121] illius configurationis, qua Christo e mortuis resuscitato est conformata, recoluntur; festivitatem dicimus, qua Ecclesiae et hominum societati imago et documentum, solacium afferens, proponuntur, quibus docemur spem extremam impleri; siquidem glorificatio, quondam perficienda, est fausta sors omnium illorum, quos Christus fratres effecit, participans iisdem *sanguine et carne* (Hebr. 2, 14; cf. Gal. 4, 4). Sollemnitas autem Assumptionis festive extenditur ad memoriam post octo dies agendam beatae Mariae Virginis Reginae, qua consideratur illa, quae iuxta Regem saeculorum sedens, ut Regina refulget et ut Mater intercedit.<sup>18</sup> Itaque quattuor sunt sollemnitates, per quas praecipuae veritates, humilem Ancillam Domini respicientes, summo gradu celebrationis liturgicae tributo, illustrantur.

- 3229 7. His sollemnitatibus perspectis, illae imprimis festivitates, ad eventus salvificos commemorandos pertinentes, oportet expendantur, in quibus beata Maria Virgo Filio arcto nexu sociatur; cuius modi sunt festum Nativitatis eiusdem beatae Mariae Virginis (d. VIII m. Sept.), quae *universo mundo spes fuit et aurora salutis*;<sup>19</sup> Visitationis (d. XXXI m. Maii), cuius Liturgia celebrat beatam Mariam Virginem, Filium alvo gestantem;<sup>20</sup> quae quidem Elisabeth adit, ut ei caritatis suae auxilium praebet et misericordiam Dei Salvatoris pronuntiet;<sup>21</sup> memoria Virginis Perdolentis (d. XV m. Sept.), qua opportunitas praebet

<sup>18</sup> Cf. *Missale Romanum*, die 22 Augusti, *Collecta*.

<sup>19</sup> *Ibid.*, die 8 Septembris, *Post communionem*.

<sup>20</sup> Cf. *ibid.*, die 31 Maii, *Collecta*.

<sup>21</sup> Cf. *ibid.*, *Collecta et Super oblata*.

tur in mentem vivide revocandi momentum maximum et quasi decretorium historiae salutis, necnon venerandi *compatientem Matrem Filio*, cui, in cruce exaltato, astabat. <sup>22</sup>

Festum quoque diei 11 mensis Februarii, cui restitutum est nomen *In Praesentatione Domini*, est attendendum, ut penitus [122] percipiantur uberrimae, quas continet, res, memoria nempe coniuncta Filii et Matris; est enim celebratio mysterii salutis, a Christo effecti, cui Virgo intime consociata est ut Mater doloribus obnoxii Servi Iahve, ut executrix muneris, quod veteris Israel proprium erat, et ut exemplar novi Populi Dei, qui circa fidem et spem continenter cruciatibus et persecutionibus affligitur (cf. *Lc.* 2, 21-35).

8. Quodsi *Calendario Romano* instaurato praesertim celebrationes memoratae collocantur in lumine, tamen alius generis commemorationes liturgiae includuntur, quippe quae, cultus localis rationibus innixae, latius pervagatae sint pluriumque studia excitarint (d. XI m. Febr.: Beatae Mariae Virginis de Lourdes; V Aug.: In dedicatione basilicae S. Mariae); huc pertinent etiam aliae, quae, initio a peculiaribus religiosiis familiis celebratae, nunc autem, quoniam amplius sunt diffusae, vere ecclesiales dici possunt (XVI Iul.: Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo; VII Oct.: Beatae Mariae Virginis a Rosario); aliae denique recensendae sunt, quae, extra elementum apocryphum, res continent praeclari exempli vim obtinentes atque venerabiles traditiones persequuntur, quae maxime Orientalium animis insident (XXI Nov.: In Praesentatione beatae Mariae Virginis), vel propensiones testantur, quae in horum temporum pietate invaluerunt (sabb. post dom. secundam post Pentecosten: Immaculati Cordis beatae Mariae Virginis). 3230

9. Neque oblivisci licet in *Calendario Romano* non omnes mariales celebrationes recenseri, siquidem in *Calendaria* particularia inducuntur, normis liturgicis adamussim quidem servatis, animis vero pie libenterque assentientibus, festivitates marianae variarum Ecclesiarum localium. Restat demum, ut mentionem iniciamus de facultate crebro commemorationem liturgicam Virginis faciendi ope Memoriae sanctae Mariae in Sabbato; quae antiqua est atque quasi submissa, quaeque propter flexibilem rationem nunc vigentis Calendarii et multiplicem [123] numerum exemplorum, quae in Missali exhibentur, quam maxime commoda est ac varia. 3231

10. Non est Nobis propositum in hac Adhortatione Apostolica omnia, quae novo Missali Romano continentur, animo lustrare, sed, quoniam statuimus de libris instauratis ritus Romani aestimare, <sup>23</sup> aliquas huius rei facies et argumenta Nos iuvat explanare. Imprimis animadvertere volumus in Precibus Eucharisticis Missalis — admirabili quadam convenientia cum Liturgiis orientalibus <sup>24</sup> — beatae Mariae 3232

<sup>22</sup> *Ibid.*, die 15 Septembris, *Collecta*.

<sup>23</sup> Cf. n. 1.

<sup>24</sup> Ex multis anaphoris hae animadvertantur, quae apud Orientales singulari in honore vult: *Anaphora Marci Evangelistae: Prae Eucharistica*, ed. A. Hänggi-I. Pahl, Fribourg,

Virginis memoriam alta vi praeditam inveniri. Hoc scriptum legimus in vetusto Canone Romano, ubi Dei Genetrix verbis uberi doctrina et cultus fervore plenis recolitur: *Communicantes, et memoriam venerantes, in primis gloriosae semper Virginis Mariae, Genetricis Dei et Domini Nostri Iesu Christi*; pariter in Prece Eucharistica III, recens inducta, desiderium impensa supplicatione deprecantium, ut una cum Matre participare possint filiorum hereditatem, sic exprimitur: *Ipse nos tibi (Patri) perficiat munus aeternum, ut cum electis tuis hereditatem consequi valeamus, in primis cum beatissima Virgine, Dei Genetrice, Maria*. Haec memoria cotidiana, utpote quae in ipso medio Sacrificio divino sit collocata, haberi debet modus peculiariter significans cultum, quem Ecclesia *Benedictae ab Altissimo* exhibet (cf. *Lc. 1, 28*).

- 3233 11. Si autem Missalis nuper instaurati textus percurramus, plane intellegimus potiora illa argumenta Romanae euchologiae — argumenta dicimus immaculatae conceptionis atque gratiae plenitudinis, divinae maternitatis, perfectae ac fecundae virginitatis, templi Spiritus Sancti, sociatae operae cum munere Filii, sanctitatis in exemplum effulgentis, misericordissimae deprecationis, assumptionis in caelum, regalis ac maternae dignitatis, alia deinceps — ea omnia esse recepta continua quadam et expleta doctrinae convenientia cum superioribus saeculis, dum alia etiam argumenta, aliquatenus nova, illuc sunt inducta, quae parem praeferant congruentiam cum theologis aetatis hodiernae progressionibus. Ita fit, ut aliquod supponamus exemplum, de Ecclesiae-Mariae argumento, quod in eiusdem textus Missalis varie copioseque est inclusum, quemadmodum et variae et multiplices sunt rationes, quae Christi Matri cum Ecclesia intercedunt. Hi enim loci in Virginis sine labe Conceptione primum Ecclesiae exordium agnoscunt, quae est sponsa sine macula Christi;<sup>25</sup> in Assumptionis dogmate iam factum initium itemque imaginem illius eventus deprehendunt, qui adhuc quod ad Ecclesiam universam attinet fieri debet;<sup>26</sup> in maternitatis mysterio Mariam tamquam Capitis et membrorum matrem confitentur, adeo ut ea sancta Dei Genetrix simulque provida Mater Ecclesiae sit praedicanda.<sup>27</sup>

Cum vero sacra Liturgia ad Ecclesiam sive primaevam sive hodierni huius temporis oculos intendit, veluti e constituto ipsam invenit Mariam: tum scilicet, quando una cum Apostolis aderat orationique instabat,<sup>28</sup> et nunc pariter ut et praesens et operans, quacum Ecclesia una simul Christi mysterium vivere vult: ... *da Ecclesiae tuae, ut Christi passionis cum ipsa (Maria) consors effecta, eiusdem resurrectionis particeps esse mereatur*;<sup>29</sup> atque etiam ut laudes resonans, quacum

Editions Universitaires, 1968, 107; *Anaphora Iacobi fratris Domini graeca*: *ibid.*, 257; *Anaphora Ioannis Chrysostomi*: *ibid.*, 229.

<sup>25</sup> Cf. *Missale Romanum*, die 8 Decembris, *Praefatio*.

<sup>26</sup> Cf. *ibid.*, die 15 Augusti, *Praefatio*.

<sup>27</sup> Cf. *ibid.*, die 1 Ianuarii, *Post Communionem*.

<sup>28</sup> Cf. *ibid.*, *Commune B. Mariae Virginis*, 6. Tempore paschali, *Collecta*.

<sup>29</sup> *Ibid.*, die 15 Septembris, *Collecta*.

Ecclesia Dei gloriam celebrare intendit: ... *cum ipsa (Maria) te semper magnificare possimus.*<sup>30</sup> Quoniam vero Liturgia cultus [125] est, qui constantem vitae actionem postulat, eadem obsecrat, ut pietatem erga Virginem in solidum dolentemque Ecclesiae amorem convertere valeat, sicut in oratione *post Communionem* diei XV mensis Septembris mirabiliter proponitur: ... *ut compassionem beatae Mariae Virginis recolentes, ea in nobis pro Ecclesia adimpleamus, quae desunt Christi passionum.*

12. *Ordo Lectionum Missae* unus e Romani ritus liber sane existimandus est, qui multam ex instauratione post Oecumenicum Concilium facta utilitatem perceperit, sive ob adiunctorum textuum numerum sive ob inditam ipsis significationem. Sunt enim loci, ubi Dei sermo continetur, qui semper *vivus et efficax* est (cf. *Hebr.* 4, 12). Pro tanta quippe sacrarum lectionum copia factum est, ut per ordinatam trium annorum seriem integra historia salutis enarraretur ipsumque Christi mysterium maiore integritate proponeretur. Debita inde bonaque ratione secutum est, ut *Lectionarium* ampliorem lectionum sive e Vetere, sive e Novo Testamento numerum contineret, ad beatam ipsam Virginem attinentium: qui auctus tamen numerus nullo pacto disiungitur ab aequabili aestimatione, quandoquidem eae tantum lectiones retentae sunt, quae ob manifestam rerum veritatem vel ob argumenta curatioris explanationis, praeceptis Magisterii aut firmioris traditionis suffultae, iure merito, quamvis modo graduque diverso, marialem sensum praefere censentur. Praetereaque id attendatur oportet lectiones huiusmodi non tantum in festis beatae Virginis occurrere, sed in pluribus etiam adiunctis recitari, veluti in quibusdam liturgici anni dominicis,<sup>31</sup> in ritibus celebrandis, qui penitus sacramentalem christianorum vitam attingunt eorum[126]que optiones,<sup>32</sup> in factis denique casibusque sive laetis sive acerbis, quae ipsis experiuntur.<sup>33</sup>

3234

13. Instauratus quoque Liber de officio laudis, nempe *Liturgia Horarum*, insignia item pietatis testimonia erga Matrem Domini exhibet: primum in hymnodicis scriptionibus, quas inter haud desunt eximia

3235

<sup>30</sup> *Ibid.*, die 31 Maii, *Collecta*. Idem resonat in *Praefatione* de B. Maria Virgine, II: «Vere dignum ... Beatae Virginis Mariae memoriam recolentes, clementiam tuam *ipsius* grato magnificare praeconio».

<sup>31</sup> Cf. *Ordo Lectionum Missae*, Dom. III Adventus (Anno C: *Soph.* 3, 14-18a); Dom. IV Adventus (cf. supra ad annot. 12); Dom. infra Oct. Nativitatis (Anno A: *Mt.* 2, 13-15. 19-23; Anno B: *Lc.* 2, 22-40; Anno C: *Lc.* 2, 41-52); Dom. II post Nativitatem (*Io.* 1, 1-18); Dom. VII Paschae (Anno A: *Act.* 1, 12-14); Dom. II per annum (Anno C: *Io.* 2, 1-12); Dom. X per annum (Anno B: *Gen.* 3, 9-15); Dom. XIV per annum (Anno B: *Mc.* 6, 1-6).

<sup>32</sup> Cf. *Ordo Lectionum Missae*, Pro catechumenatu et baptismo adultorum, Ad traditionem Orationis Dominicæ (Lectio II, 2: *Gal.* 4, 4-7); Ad Initiationem christianam extra Vigiliam paschalem (Evang., 7: *Io.* 1, 1-5. 9-14. 16-18); Pro nuptiis (Evang., 7: *Io.* 2, 1-11); Pro consecratione virginum et professione religiosa (Lectio I, 7: *Is.* 61, 9-11; Evang., 6: *Mc.* 3, 31-35; *Lc.* 1, 26-38 [cf. *Ordo consecrationis virginum*, n. 130; *Ordo professionis religiosae*, Pars altera, n. 145]).

<sup>33</sup> Cf. *Ordo Lectionum Missae*, Pro profugis et exsulibus (Evang., 1: *Mt.* 2, 13-15. 19-23); Pro gratiarum actione (Lectio I, 4: *Soph.* 3, 14-15).

humanarum litterarum monumenta, ut est oratio illa Dantis Alagherii ad Virginem;<sup>34</sup> deinde in antiphonis, quae cursum cotidianae precationis concludunt effusiore accensioreque spiritu supplicationis, quibusque celebratum troparium *Sub tuum praesidium* est adiunctum, tam vetustate venerandum quam sententiis mirabile; tum in precibus *ad Laudes Matutinas* et *ad Vesperas*, in quibus saepe saepius ad Matrem misericordiae plena cum fiducia confugitur; demum in copiosis selectisque paginis marialis devotionis, quarum auctores vel primis christianae religionis primordiis vel media recentioreque aetate floruerunt.

- 3236 14. Quodsi Missale, Lectionarium, Liturgia Horarum, quae tamquam cardines totius orationis liturgicae Romanae existimanda sunt, memoriam Virginis frequenti celebrant veneratione, cetera etiam liturgica volumina haud paucos praebent locos, quibus impensus amor ac supplex deprecatio erga Deiparam declaratur: eam etenim Ecclesia invocat Matrem gratiae, prius quam candidatos in salutes aquas baptismatis demergat,<sup>35</sup> eius supplicationem implorat pro matribus, [127] quae, gratissimae ob acceptum maternitatis donum, templum laetitudinae adeunt;<sup>36</sup> eam tamquam exemplar suis filiis filiabusque proponit, qui Christi sequelam, religiosam amplectentes vitam, profitentur<sup>37</sup> vel virginalem consecrationem accipiunt,<sup>38</sup> iisque omnibus maternum eiusdem subsidium deposcit;<sup>39</sup> ei instantem adhibet deprecationem pro filiis, quibus moriendi hora impendet;<sup>40</sup> eius expetit interventionem pro iis qui, oculis ante lucem temporalem conventibus, iam ante Christum, lumen aeternum, sunt constituti;<sup>41</sup> suave denique ipsa impetrante invocatur solacium illis, qui, gravi oppressi amaritudine, propinquorum suorum exitum in fide deflent.<sup>42</sup>
- 3237 15. Haec igitur librorum liturgicorum, qui recens instaurati sunt, inspectio ad unum quoddam iucunda fiducia statuendum atque confirmandum nos movet: per factam nempe post Concilium Vaticanum instaurationem, quod esset iam in votis Motus, quem dicunt, Liturgici, Virginem Mariam convenienti quadam prospectus amplitudine esse consideratam in toto Christi mysterio, iuxtaque placita traditionis singularem illum locum esse agnitum, qui ad eandem spectat in cultu christiano, utpote quae sit sancta Dei Genetrix et alma Redemptoris socia.

34 Cf. *La Divina Commedia*, Paradiso XXXIII, 1-9; cf. *Liturgia Horarum*, Memoria Sanctae Mariae in Sabbato, ad Officium lectionis, *Hymnus*.

35 Cf. *Ordo baptismi parvulorum*, n. 48; *Ordo initiationis christianae adultorum*, n. 214.

36 Cf. *Rituale Romanum*, Tit. VII, cap. III, De benedictione mulieris post partum.

37 Cf. *Ordo professionis religiosae*, Pars Prior, nn. 57 et 67.

38 Cf. *Ordo consecrationis virginum*, n. 16.

39 Cf. *Ordo professionis religiosae*, Pars Prior, nn. 62 et 142; Pars Altera, nn. 67 et 158; *Ordo consecrationis virginum*, nn. 18 et 20.

40 Cf. *Ordo unctionis infirmorum eorumque pastoralis curae*, nn. 143, 146, 147, 150.

41 Cf. *Missale Romanum*, Missae defunctorum, Pro defunctis fratribus, propinquis et benefactoribus, *Collecta*.

42 Cf. *Ordo exsequiarum*, n. 226.

Neque aliud prorsus evenire poterat. Si quis enim christiani vices cultus exploret, facile percipit tum in Orientis tum in Occidentis regionibus lectissimas atque splendidissimas voces pietatis erga beatam Virginem aut intra ipsius Liturgiae fines floruisse, aut esse in eius corpus adiunctas.

Equidem iuvat advertere, quem cultum in praesenti Eccle[128]sia universalis Sanctissimae Deiparae praebet, eum manare et prorogare nullaque intermissione illam augere devotionem, quam nullo non tempore et tribuit Ecclesia, diligentissimo studio veritatis impulsa vigilantique semper formarum dignitate usa. Ex perenni enim fonte traditionis, quae vivax quidem est ob indeficientem Spiritus praesentiam continuumque divinorum Verborum auditum, Ecclesia hodierni temporis rationes et argumentationes et instimulationes haurit ad alendum cultum, quem ipsi Virgini adhibet. Huiusce viventis traditionis Liturgia, per Magisterium probata atque roborata, celsissimum exstat testimonium itemque firmissimum monumentum.

16. Nunc vero, ea persequentibus, quae sacri Concilii doctrina tradit de Maria et Ecclesia, placet singularem rationem perpendere earum necessitudinum, quae Mariae cum Liturgia intercedant: quomodo videlicet Maria exemplar evaserit sensus pietatis, quo Ecclesia divina mysteria et celebrat et vivendo exprimit. Posse autem Mariam Virginem in hac provincia exemplo esse, inde manat, quod ipsa ab ecclesia tamquam specimen et documentum praestantissimum fidei, caritatis et absolutissimae coniunctionis cum Christo habetur, <sup>43</sup> id est interioris illius habitus, quo Ecclesia, sponsa dilectissima, cum Domino suo vehementer consociata, eum invocat et per eum aeterno Patri cultum tribuit. <sup>44</sup> 3238

17. Atque primum, Maria est *Virgo audiens*, quae Dei verbum cum fide excepit. Cum fide dicimus, quae fuit ei condicio et via, qua patuit ei divina maternitas: quia, ut S. Augustinus sagaciter dicit, *Beata Maria (Iesum) quem credendo peperit, credendo concepit.* <sup>45</sup> Cui dubitanti cum Angelus scrupulum avulsisset (cf. *Lc.* 1, 34-37), *illa fide plena et Christum prius mente [129] quam ventre concipiens, Ecce, inquit, ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum (Lc. 1, 38);* <sup>46</sup> cum fide, quae fuit ei beatitudinis causa atque securitatem praestitit fore ut promissum servaretur: *Et beata quae credidisti, quoniam perficientur ea quae dicta sunt tibi a Domino (Lc. 1, 45);* cum fide, cuius ope illa, actor primarum partium et testis Incarnationis Christi singularis, primae eius infantiae memoriam repetebat, cuius facta conferret in corde suo (cf. *Lc.* 2, 19. 51). Similiter agit Ecclesia, utpote quae, praesertim in sacra Liturgia, verbum Dei et audit et excipit, et proclamat et veneratur; quin et Christi fidelibus impertit ceu panem vitae; <sup>47</sup> quae prae-

 3239

<sup>43</sup> Cf. *Lumen gentium*, n. 63.

<sup>44</sup> Cf. *Sacrosanctum Concilium*, n. 7.

<sup>45</sup> *Sermo* 215, 4: PL 38, 1074.

<sup>46</sup> *Ibid.*

<sup>47</sup> Cf. *Dei Verbum*, n. 21.

terea, eius lumine affulgente, temporum signa, quae sint, investigat, eventusque humanos interpretatur et vivit.

- 3240 18. Maria deinde est *Virgo orans*. Quod patet ex eius Visitatione, Praecursoris matri reddita. In qua sane voces elicit laudis in Deum et humilitatis et fidei et spei: talia enim praebet canticum *Magnificat* (cf. *Lc.* 1, 46-55), quod est prex Mariae praecipua atque carmen temporis messianici proprium, in quod festiva veteris et novi Israelis laetitia confluit. Nam, ut S. Irenaeus significare videtur, in beatae Mariae canticum tum gaudia Abraham, Christum praesagentis (cf. *Io.* 8, 56),<sup>48</sup> tum Ecclesiae vox, prophetarum more praeoccupata, confluerunt: *Exsultans Maria clamabat pro Ecclesia prophetans: Magnificat anima mea Dominum.*<sup>49</sup> Etenim Beatae Mariae Virginis canticum veluti se propagans communis totius Ecclesiae oratio evasit per omnia tempora.

Maria perhibetur *Virgo orans* etiam in Cana. Ubi, cum blanda ac sollicita prece temporalem tantum necessitatem Filio ostendisset, obtinendae tamen gratiae supernae effectum [130] habuit; illum effectum nimirum, quo Iesus primum signorum suorum operatus, discipulorum fidem in se confirmavit (cf. *Io.* 2, 1-12).

Denique extremo quoque vitae suae tempore Maria inducitur ut *Virgo orans*. Nam Apostoli *erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus et Maria, Matre Iesu, et fratribus eius* (*Act.* 1, 14). Ergo aequae in nascente Ecclesia Mariam orantem videre est, aequae semper, etiam nunc, quando illa, tametsi est caelo recepta, non tamen officio suo deest deprecandi ac salvandi.<sup>50</sup> *Virgo orans* est etiam Ecclesia, quae cotidie filiorum necessitates Patri proponit et *Dominum sine intermissione laudat et pro totius mundi salute interpellat.*<sup>51</sup>

- 3241 19. Tum Maria est *Virgo pariens*. *Credens enim et oboediens, ipsum Filium Patris in terris genuit, et quidem viri nescia, Spiritu Sancto obumbrata:*<sup>52</sup> singularis sane ac mirabilis maternitas, quam voluit Deus et typum et exemplar esse fecunditatis Virginis Ecclesiae; quae et ipsa mater fit: *praedicatione enim et baptismo filios de Spiritu Sancto conceptos et ex Deo natos, ad vitam novam et immortalem generat.*<sup>53</sup> Patres ergo recte docuerunt Ecclesiam quodammodo continuare in baptismi Sacramento virginalem Mariae maternitatem. E quorum profecto testimoniis unum S. Leonis Magni proferre placet, eximii Decessoris Nostri, qui in quodam natalicio sermone asserit: *Originem quam (Christus) sumpsit in utero Virginis, posuit in fonte baptismatis: dedit aquae, quod dedit Matri; virtus enim Altissimi et obumbratio Spiritus sancti* (cf. *Lc.* 1, 35), *quae fecit ut Maria pareret Salvatorem, eadem*

<sup>48</sup> Cf. *Adversus Haereses* IV, 7, 1: PG 7, 1, 990-991; SC 100, II, 454-458.

<sup>49</sup> *Adversus Haereses* III, 10, 2: PG 7, 1, 873; SC 34, 164.

<sup>50</sup> Cf. *Lumen gentium*, n. 62.

<sup>51</sup> *Sacrosanctum Concilium*, n. 83.

<sup>52</sup> *Lumen gentium*, n. 63.

<sup>53</sup> *Ibid.*, n. 64.



facit ut regeneret [131] unda credentem. <sup>54</sup> Quodsi e fontibus liturgicis haurire velimus, pulcherrimam illam *Illationem* memorare possumus Hispanicae Liturgiae dicentem: *Illa (Maria) utero vitam portavit, haec (Ecclesia) lavacro. In illius membris Christus infusus est, in istius aquis Christus indutus est.* <sup>55</sup>

20. Maria demum est *Virgo offerens*. Quod quidem in praesentatione Iesu in templo apparet (cf. *Lc.* 2, 22-35). In quo eventu Ecclesia, a Spiritu Sancto ducta, praeter perfectionem et absolutionem legum de oblatione primogeniti (cf. *Exod.* 13, 11-16) atque matris purificatione (cf. *Lev.* 12, 6-8), aliquod mysterium salutis deprehendit, ad historiam ipsius salutis spectans: animadvertit nempe ibi Ecclesia illam primariam oblationem continuari, quam Verbum, caro factum et mundum ingrediens, Deo adhibuit (cf. *Hebr.* 10, 5-7); et omnium hominum denuntiari salutem, cum Simeon, Puerum Iesum appellans lumen ad revelationem gentium et gloriam Israel (cf. *Lc.* 2, 32), Messiam illum agnoscat eundemque propheticè referri, cum Simeonis verba, uno eodemque oraculo Filium, *signum contradictionis* (*Lc.* 2, 34), et Matrem, cuius gladius animam pertransiret (cf. *ibid.* 2, 35), inter se nec tentia, in Calvariae monte ad exitum adducta sint. Quam ob rem, hoc salutis mysterium, variis rationibus ipsius consideratis, id habet proprium, ut per Christi praesentationem in templo ad eventum Crucis salvificum provocet. Ceterum Ecclesia ipsa, maxime a medii aevi saeculis, in Virgine, Filium Ierusalem afferente, ut sisteret Domino (cf. *Lc.* 2, 28), voluntatem offerendi, seu ut aiunt, *oblativam*, intuita est, quae suetum ritus intellectum excederet. Cuius sane rei testimonio est illa S. Bernardi dulcis compellatio: *Offer Filium, Virgo Sacrata, et benedictum fructum [132] ventris tui Domino repraesenta. Offer ad nostram omnium reconciliationem hostiam sanctam, Deo placentem.* <sup>56</sup> Haec autem Matris et Filii coniunctio in opere Redemptionis <sup>57</sup> summe enituit in Calvariae monte, in quo Christus *semetipsum obtulit immaculatum Deo* (*Hebr.* 9, 14), atque Maria, prope Crucem stans (cf. *Io.* 19, 25), *vehementer cum Unigenito suo condoluit et sacrificio Eius se materno animo sociavit, victimae de se genitae immolationi amanter consentiens*, <sup>58</sup> quam et ipsa aeterno Patri obtulit. <sup>59</sup> Sane divinus hominum Salvator, ut per saecula sacrificium Crucis propagaret, sacrificium eucharisticum instituit, mortis atque resurrectionis suae memoriale, idque Ecclesiae, sponsae suae, tradidit; <sup>60</sup> illa autem, potissimum die dominico, fideles convocat ad Pascha Domini celebrandum

<sup>54</sup> *Tractatus XXV* (In Nativitate Domini), 5: CCL 138, 123; SCh 22 bis, 132; cf. etiam *Tractatus XXIX* (In Nativitate Domini), 1: CCL *ibid.*, 147; SCh *ibid.*, 178; *Tractatus LXIII* (De Passione Domini) 6: CCL *ibid.*, 386; SCh 74, 82.

<sup>55</sup> M. Férotin, *Le «Liber Mozarabicus Sacramentorum»*, col. 56.

<sup>56</sup> In purificatione B. Mariae, *Sermo III*, 2: PL 183, 370; *Sancti Bernardi Opera*, ed. J. Ledercq-H. Rochais, IV, Romae 1966, 342.

<sup>57</sup> Cf. *Lumen gentium*, n. 57.

<sup>58</sup> *Ibid.*, n. 58.

<sup>59</sup> Cf. Pius XII, *Litterae Encyclicae Mystici Corporis*: AAS 35 (1943) 247.

<sup>60</sup> Cf. *Sacrosanctum Concilium*, n. 47.

donec veniat.<sup>61</sup> Quod eadem in communione cum Sanctis Caelitibus agit, imprimis cum beata Virgine,<sup>62</sup> cuius flagrantem caritatem atque fidem intemeratam imitatur.

3243 21. Maria vero, cum sit totius Ecclesiae exemplar in divino cultu Deo tribuendo, est etiam, ut liquet, *pietatis magistra* singulis christianis; qui mature ad eam respexerunt, ut, aequae ac ipsa, de sua ipsorum vita cultum Deo facerent exhibendum, atque de cultu ipso vitae suae institutum. Iam pridem saeculo IV S. Ambrosius fideles alloquens id optabat, ut in [133] unoquoque eorum Mariae anima inesset ad praedicandum Deum: *Sit in singulis Mariae anima, ut magnificet Dominum, sit in singulis spiritus, ut exsulet in Deo.*<sup>63</sup> At vero est Maria maximopere illius cultus exemplar, per quem uniuscuiusque vita redditur oblatio, quae fit Deo. Quam doctrinam, scilicet antiquam atque perennem, possunt omnes quidem ab Ecclesia audire, sed etiam aures praebendo Virgini, quae nuntio Dei respondit: *Ecce ancilla Domini; fiat mihi secundum verbum tuum* (Lc. 1, 38); quibus profecto vocibus pulcherrimam orationis dominicae petitionem animo praeoccupavit: *fiat voluntas tua* (Mt. 6, 10). Mariae igitur assensus est omnibus christianis et eruditio et exemplum rationis, qua obsequium in Patris voluntatem fiat trames et subsidium ad uniuscuiusque sanctitatem.

3244 22. Ceterum, id summe interest, ut animadvertamus Ecclesiam multas necessitudines, quas cum Maria habeat, vario modo, idque efficaciter, in cultus formas convertisse: in intimam venerationem videlicet, cum eximiam Virginis dignitatem spectat, Spiritus Sancti virtute matris effectae; in flagrantem amorem, cum spiritualem illam Mariae maternitatem considerat, qua omnia membra Corporis mystici complectitur; in invocationem fiduciae plenam, cum illius, Advocatae atque Auxiliatricis,<sup>64</sup> intercessionem experitur; in caritatis officia, cum Ancillam humilem Reginae misericordiae et Matris gratiae dignitate ornatae reputat; in actuosam imitationem, cum Mariae plenae gratia sanctitudinem intuetur atque virtutes; in stuporem, cum animi commotione coniunctum, cum *veluti in purissima imagine id quod ipsa tota esse cupit et sperat cum gaudio contemplatur*;<sup>65</sup> in perdiligens denique studium, [134] cum in socia Redemptoris, iam paschalis mysterii fructuum plene particeps, prophetice ea impleta esse conspicit, quae ad suam ipsius futuram sortem pertinent, usque in diem illum, quo, sine ulla ruga aut macula (cf. Eph. 5, 27) fiet veluti sponsa ornata viro suo Iesu Christo (cf. Ap. 21, 2).

<sup>61</sup> Cf. *Sacrosanctum Concilium*, nn. 102 et 106.

<sup>62</sup> «... meminisse dignare omnium eorum, qui a saeculo placuerunt tibi, patrum sanctorum, patriarcharum, prophetarum, apostolorum [...] et sanctae et gloriosae genitricis Dei Mariae et omnium sanctorum [...] meminerint miseriae et paupertatis nostrae, et offerant tibi nobiscum sacrificium hoc tremendum et incruentum»: *Anaphora Iacobi fratris Domini syriaca: Prex Eucharistica*, ed. A. Hänggi-I. Pahl, Fribourg, Editions Universitaires, 1968, 274.

<sup>63</sup> *Expositio Evangelii secundum Lucam*, II, 26: CSEL 32, IV, 55; SCH 45, 83-84.

<sup>64</sup> Cf. *Lumen gentium*, n. 62.

<sup>65</sup> *Sacrosanctum Concilium*, n. 103

23. Cum igitur, Venerabiles Fratres, pietatem illam expendimus, quam liturgica Ecclesiae universalis traditio atque ipse renovatus Ritus Romanus erga Sanctam Dei Matrem profitentur, cum deinde meminimus ipsam Liturgiam sacram ob eximiam suam in cultu divino praestantiam esse auream pietatis christianae regulam, cum denique animum advertimus, quomodo Ecclesia sacra celebrans mysteria habitum fidei amorisque suscipiat haud aliter ac beatissima Virgo, tum plane intellegimus, quam apte et convenienter adhortetur Concilium Vaticanum Secundum cunctos Ecclesiae filios, *ut cultum, praesertim liturgicum, erga Beatam Virginem generose foveant*; <sup>66</sup> quae quidem hortatio velimus ubique sine ulla condicione recipiatur adque verum effectum studiose deducatur. 3245

## II

24. Verumtamen idem illud Vaticanum Concilium II admonet, ut praeter liturgicum cultum aliae etiam provehantur pietatis formae, praesertim ab ipso Magisterio laudatae atque commendatae. <sup>67</sup> Nihilominus, ut omnibus profecto exploratum est, pietas Christifidelium et observantia erga Dei Matrem varias induit formas secundum temporum locorumque adiuncta, secundum diversum populorum sensum atque traditum humanitatis modum. Hinc nimirum sequitur, ut ipsae formae, quibus talis significatur cultus quaeque temporum obnoxiae sunt condicionibus, indigere penitus videantur renovationis, qua efficiatur, ut evanida submoveantur elementa ac perennia contra inducantur, utque fidei veritates, ex investigatione theologica comparatae et ab Ecclesiae Magisterio propositae, recte inserantur. Hoc etiam comprobatur necessarium esse, ut Conferentiae episcopales, Ecclesiae particulares, Familiae religiosae, Christifidelium communitates veram foveant actionem effectricem eodemque tempore diligentem aggrediantur recognitionem formarum et exercitiorum pietatis erga Virginem Mariam; qua tamen in re exoptamus, ut sana observetur traditio aditusque aperiatur legitimis hominum nostrae aetatis postulatis. Quocirca decere videtur vobis, Venerabiles Fratres, nonnulla indicare agendi hac in re principia. 3246

25. Maxime in primis expedit pietatis erga Virginem Mariam exercitia liquido prae se ferre indolem trinitariam et christologicam, utpote quae suapte natura eorum propria sit ad earumque essentiam pertineat. Re enim vera christianus cultus secundum nativam suam vim et significationem praestatur Patri, Filio et Spiritui Sancto vel, ut in sacra Liturgia dicitur, Patri per Christum in Spiritu. Ex hac proinde ratione ipse cultus iure — etsi modo funditus diverso — complectitur in primis et singulariter Matrem Salvatoris et deinde Sanctos, in quibus Ecclesia 3247

<sup>66</sup> *Lumen gentium*, n. 67.

<sup>67</sup> Cf. *ibid.*, n. 67.

praedicat paschale mysterium, quoniam ii cum Christum passi sunt cum eoque glorificati.<sup>68</sup> In Virgine Maria omnia ad Christum referentur et ex eo pendent: eius nempe causa Deus Pater ab omni aeternitate eam elegit Matrem usquequaque sanctam atque Spiritus exornavit donis nemini alii tributis. Numquam certissime vera omisit christiana pietas extollere vinculum indissolubile necessariamque rationem conjunctionis Virginis cum Divino Salvatore.<sup>69</sup> Nobis tamen vi[136]detur potissimum convenire cum proclivitate spirituali huius temporis — quae tota paene occupatur et tenetur «quaestione Christi»<sup>70</sup> — ut in quacumque significatione cultus erga Virginem Mariam peculiare assignetur momentum parti christologicae atque ita res disponatur, ut referatur ad ipsum consilium Dei, quo *illius Virginis primordia ... cum divinae Sapientiae incarnatione fuerant praestituta*.<sup>71</sup> Hoc sine ulla dubitatione adiuvabit, ut pietas erga Matrem Iesu solidior efficiatur atque convertatur in efficax instrumentum, quo perveniatur ad *unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi* (Eph. 4, 13); item ex altera parte plurimum conferet ad cultum ipsi Christo debitum augendum, quandoquidem, secundum perennem Ecclesiae sensum, cum auctoritate hisce diebus repetitum,<sup>72</sup> *refertur ad Dominum quod servitur Ancillae; sic redundat ad Filium, quod impenditur Matri; (...) sic transit honor in Regem, qui defertur in famulatum Reginae*.<sup>73</sup>

- 3248 26. Huic vero admonitioni de natura christologica pietatis marialis utile esse arbitramur aliam opportunam subnectere hortationem, ut videlicet in eodem illo cultu consentaneum pondus ascribatur uni ex partibus prorsus necessariis fidei: personae hoc est et operae Spiritus Sancti. Theologica nempe pervestigatio et ipsa sacra Liturgia commonstraverunt sanctificantem actionem Spiritus in Virgine Nazarethana inter actiones eius recenseri in salutis historia. Sic, verbi gratia, sancti Patres et ecclesiastici scriptores attribuerunt actioni Spiritus sanctitatem Mariae ab ipsa eius origine; eam [137] scilicet dicentes ab illo *quasi ... plasmatam novamque creaturam formatam*.<sup>74</sup> Cum Evangelii locos meditarentur — *Spiritus Sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi* (Lc. 1, 35), et *Maria (...) inventa est in utero habens de Spiritu Sancto; (...) quod enim in ea natum est de Spiritu Sancto est* (cf. Mt. 1, 18. 20) — perspexerunt in Spiritus intercurso actionem aliquam, quae consecravit fecundamque reddidit Mariae virginita-

<sup>68</sup> Cf. *Sacrosanctum Concilium*, n. 104.

<sup>69</sup> Cf. *Lumen gentium*, n. 66.

<sup>70</sup> Cf. Paulus VI, Allocutio die 24 mensis aprilis 1970 habita in sacra Aede B. Mariae Virginis v. «Nostra Signora di Bonaria» Calari dicata: AAS 62 (1970) 300.

<sup>71</sup> Pius IX, Litt. Ap. *Ineffabilis Deus: Pii IX Pontificis Maximi Acta*, I, 1, Romae 1854, 599; cf. etiam V. Sardi, *La solenne definizione del dogma dell'Immacolato concepimento di Maria Santissima. Atti e documenti ...*, Roma 1904-1905, II, 302.

<sup>72</sup> Cf. *Lumen gentium*, n. 66.

<sup>73</sup> S. Hildefonsus, *De virginitate perpetua sanctae Mariae*, cap. XII: PL 96, 108.

<sup>74</sup> *Lumen gentium*, n. 56 et auctores in respondente annotatione 176 commemorati.

tem,<sup>75</sup> et eam ipsam convertit in *Aulam Regis* vel *Thalamum Verbi*,<sup>76</sup> *Templum* vel *Tabernaculum Domini*,<sup>77</sup> *Foederis* vel *Sanctificationis Arcam*;<sup>78</sup> quae quidem nomina ipsa respiciunt Biblia Sacra. Cum autem idem scriptores Incarnationis mysterium altiore ratione perscrutarentur, conspicati sunt in arcana illa necessitudine inter Spiritum Sanctum et Mariam quiddam sponsale, quod a Prudentio sic poetice describitur: *Innuba Virgo nubis Spiritui*,<sup>79</sup> et eam nuncupaverunt *Sacrarium Spiritus Sancti*,<sup>80</sup> quae locutio naturam [138] sacram Virginis illustrat, quae habitatio diuturna facta est Spiritus Dei. Cum praeterea in doctrinam de Paraclito inquirerent, cognoverunt ex eo, tamquam e scaturigine, profluxisse gratiae plenitudinem (cf. *Lc.* 1, 28) et munerum abundantiam, quae eam cohonestaverunt. Quapropter Spiritui attribuerunt fidem, spem et caritatem, quae cor Virginis animabant, virtutem, quae eius obtemperationem Dei voluntati confirmabat, fortitudinem, quae eam sub Cruce patientem sustentavit;<sup>81</sup> notaverunt deinde in Mariae vaticinio (cf. *Lc.* 1, 46-55) peculiarem illius Spiritus impulsus, qui erat olim per prophetas locutus.<sup>82</sup> Cum

<sup>75</sup> Cf. S. Ambrosius, *De Spiritu Sancto* II, 37-38: CSEL 79, 100-101; Cassianus, *De incarnatione Domini* II, cap. II: CSEL 17, 247-249; S. Beda, *Homelia* I, 3: CCL 122, 18 et 20.

<sup>76</sup> Cf. S. Ambrosius, *De institutione virginis*, cap. XII, 79: PL 16 (ed. 1880), 339; *Epistula* 30, 3 et *Epistula* 42, 7: *ibid.*, 1107 et 1175; *Expositio evangelii secundum Lucam* X, 132: SCh 52, 200; S. Proclus Constantinopolitanus, *Oratio*, I, 1 et *Oratio* V, 3: PG 65, 681 et 720; S. Basilius Seleucensis, *Oratio* XXXIX, 3: PG 85, 433; S. Andreas Cretensis, *Oratio* IV: PG 97, 868; S. Germanus Constantinopolitanus, *Oratio* III, 15: PG 98, 305.

<sup>77</sup> Cf. S. Hieronymus, *Adversus Iovinianum* I, 33: PL 23, 267; S. Ambrosius, *Epistula* 63, 33: PL 16 (ed. 1880), 1249; *De institutione virginis*, cap. XVII, 105: *ibid.*, 346; *De Spiritu Sancto* III, 79-80: CSEL 79, 182-183; Sedulius, *Hymnus «A solis ortus cardine»*, vv. 13-14: CSEL 10, 164; *Hymnus Acathistos*, str. 23: ed. I. B. Pitra, *Analecta Sacra*, I, 261; S. Proclus Constantinopolitanus, *Oratio* I, 3: PG 65, 684; *Oratio* II, 6: *ibid.*, 700; S. Basilius Seleucensis, *Oratio* IV: PG 97, 868; S. Ioannes Damascenus, *Oratio* IV, 10: PG 96, 677.

<sup>78</sup> Cf. Severus Antiochenus, *Homilia* 57: POr 8, 357-358; Hesychius Hierosolymitanus, *Homilia de sancta Maria Deipara*: PG 93, 1464; Chrysippus Hierosolymitanus, *Oratio in sanctam Mariam Deiparam*, 2: POr 19, 338; S. Andreas Cretensis, *Oratio* V: PG 97, 896; S. Ioannes Damascenus, *Oratio* VI, 6: PG 96, 672.

<sup>79</sup> *Liber Apotheosis* vv. 571-572: CCL 126, 97.

<sup>80</sup> Cf. S. Isidorus, *De ortu et obitu Patrum*, cap. LXVII, 111: PL 83, 148; S. Hildefonsus, *De virginitate perpetua sanctae Mariae*, cap. X: PL 96, 95; S. Bernardus, *In Assumptione B. Virginis Mariae*, *Sermo* IV, 4: PL 183, 428; *In Nativitate B. Virginis Mariae*: *ibid.*, 442; S. Petrus Damianus, *Carmina sacra et preces* II, *Oratio ad Deum Filium*: PL 145, 921; *Antiphona «Beata Dei Genitrix Maria»*: *Corpus antiphoniarum officii*, ed. R. J. Hesbert, Roma 1970, vol. IV, n. 6314, 80.

<sup>81</sup> Cf. Paulus Diaconus, *Homilia* I, *In Assumptione B. Mariae Virginis*: PL 95, 1567; *De Assumptione sanctae Mariae Virginis* Paschasio Radberto trib., nn. 31, 42, 57, 83: ed. A. Ripberger, in «*Spicilegium Friburgense*», n. 9, 1962, 72, 76, 84, 96-97; Eadmerus Cantuariensis, *De excellentia Virginis Mariae*, cap. IV-V: PL 159, 562-567; S. Bernardus, *In laudibus Virginis Matris*, *Homilia* IV, 3: *Sancti Bernardi Opera*, ed. J. Leclercq-H. Rochais, IV, Romae 1966, 49-50.

<sup>82</sup> Cf. Origenes, *In Lucam Homilia* VII, 3: PG 13, 1817; SCh 87, 156; S. Cyrillus Alexandrinus, *Commentarius in Aggaeum prophetam*, cap. XIX: PG 71, 1060; S. Ambrosius, *De fide* IV, 9, 113-114: CSEL 78, 197-198; *Expositio evangelii secundum Lucam* II, 23 et 27-

denique Iesu Matrem morantem contemplarentur in Cenaculo, ubi Spiritus in natam modo Ecclesiam delapsus est (cf. *Act.* 1, 12-14; 2, 1-4), vetustum argumentum Mariae-Ecclesiae novis locupletaverunt notionibus;<sup>83</sup> at deprecationem potissimum flagitaverunt Virginis, ut a Spiritu acciperent potestatem Christi in propriis animabus generandi, quemadmodum testificatur S. Hildephonsus precatone quadam, quae tam significatione quam intima vi orandi excellit: *Oro te, oro te, sancta Virgo, ut de illo Spiritu habeam Iesum, de quo tu genuisti Iesum. Per illum Spiritum accipiat anima mea Iesum, per [139] quem concepit caro tua eundem Iesum. (...) In illo Spiritu diligam Iesum, in quo tu hunc adoras ut Dominum, intueris ut Filium.*<sup>84</sup>

3249 27. Dicuntur interdum plures textus recentioris pietatis non satis referre omnem doctrinam de Spiritu Sancto. Studiosorum autem est hanc comprobare asseverationem eiusque effectum ponderare; Nostra potius interest universos, et quidem pastores imprimis ac theologos, cohortari, ut subtiliore cogitatione accuratioreque deliberatione pervestigent Spiritus operam in salutis historia, et sic vicissim perficiant ipsi, ut christianae pietatis libri et formulae in lucem proferant eius vivificam actionem. Ex tali namque inquisitione eminebit singulariter arcaenae necessitudinis ratio inter Spiritum Dei et Virginem Nazarethanam eorumque actio communis in Ecclesiam; et ex hisce fidei doctrinis, altius sane perpensis, proficiscetur pietas impensius longe exercita.

3250 28. Necesse praeterea est exercitia illa pietatis, quibus christifideles suam erga Domini Matrem observantiam reverentiamque testantur, clare et distincte illuminent locum, quem ipsa in Ecclesia obtinet: *post Christum altissimum nobisque maxime propinquum.*<sup>85</sup> Idem ille locus praecelsus ipsis aedibus sacris Ritus Byzantini definite et quasi physice exhibetur, ubi videlicet ita aedificii partes et sacrae imagines disponuntur — ad mediam principem introitus portam fingitur Annuntiatio Virgini Mariae facta, in apside vero pingitur ipsa *Theotocos* gloriosa — ut inde manifesto eluceat, quomodo ab Ancillae Domini consensione hominum genus viam ingrediatur reditus sui ad Deum atque in *Sanctissimae* splen[140]dore metam conspiciat itineris sui. Haec signorum ratio, qua ipsum aedificium ecclesiae Mariae locum patefacit in mysterio Ecclesiae, uberem continet significationem atque postulare videtur, ut variae ubique pietatis formae erga Beatissimam Virginem ad sensum prospectumque ecclesiale progrediantur.

28: CSEL 32, IV, 53-54 et 55-56; Severianus Cabalensis, *In mundi creationem oratio* VI, 10: PG 56, 497-498; Antipater Bosrensis, *Homilia in Sanctissimae Deiparae Annuntiationem*, 16: PG 85, 1785.

83 Cf. Eadmerus Cantuariensis, *De excellentia Virginis Mariae*, cap. VII: PL 159, 571; S. Amedeus Lausannensis, *De Maria Virginea Matre*, *Homilia* VII: PL 188, 1337; SCh 72, 184.

84 *De virginitate perpetua sanctae Mariae*, cap. XII: PL 96, 106.

85 *Lumen gentium*, n. 54. Cf. Paulus VI, *Allocutio ad Patres Conciliares habita*, altera exacta Concilii Oecumenici Vaticani Secundi sessione, die 4 Decembris mensis a. 1963: AAS 56 (1964) 37.

Etenim commemoratio primariarum notionum, quas de natura Ecclesiae proposuit Concilium Vaticanum II tamquam *Familiae Dei, Populi Dei, Regni Dei, Corporis Christi mystici*,<sup>86</sup> efficiet certe, ut fideles facilius et citius agnoscant munus atque officium Mariae in mysterio Ecclesiae, necnon praestantiorum eius locum in communione Sanctorum; faciet etiam, ut acrius percipiant fraternum vinculum, quod cunctos christifideles devincit, quoniam Virginis filii sunt, *ad quos gignendos et educandos materno amore cooperatur*,<sup>87</sup> simulque filii Ecclesiae, quia illius — id est eiusdem Ecclesiae — *fetu nascimur, illius lacte nutrimur, Spiritu eius animamur*,<sup>88</sup> conspirantibus ambabus ad mysticum Christi corpus generandum: *utraque Christi mater, sed neutra sine altera totum (corpus) parit*;<sup>89</sup> faciet demum ut clarius videant Ecclesiae actionem in orbe terrarum uti propagationem curae et diligentiae Mariae: enimvero actuosus Virginis amor in domo Nazarethana, apud Elisabeth, in Cana Galileae, in Calvariae loco — quae omnia sunt salutifera momenta maximi ponderis ecclesialis — continuatur et producit in ipsa materna cura Ecclesiae et diligenti voluntate, ut omnes homines ad agnitionem veritatis perveniant (cf. *1 Tim. 2, 4*), in eius vigilantia parvorum et egenorum et infirmorum, in perpetuo eius studio pacis concordiaeque ordinum confirmandae, in perseveranti industria et navitate, ut homines universi salutis illius participes fiant, quam sua morte iis promeruit [141] Christus. Hac omnino ratione amor erga Ecclesiam transibit in amorem erga Mariam, et vicissim hic in illum, quoniam altera existere nequit sine altera, sicut sagaciter notat Chromatius Aquileiense: *Congregata (...) Ecclesia est in superioribus cum Maria quae fuit Mater Iesu et fratribus eius. Non potest ergo Ecclesia nuncupari nisi fuerit ibi Maria mater Domini cum fratribus eius*.<sup>90</sup> Ut concludamus: oportere iterum dicimus cultus Beatae Virgini praestitus prae se ferat vim suam nativam ecclesiologicam. Hoc nempe efficiet, ut consilium capiatur et vires colligantur, quibus salubriter renoventur formae et textus ipsi.

29. Ad has autem sententias, quae natae sunt ex consideratione consuetudinis Mariae Virginis cum Deo — Patre, Filio, Spiritu Sancto — et cum Ecclesia, addere cupimus secundum eandem rationem et mentem doctrinae Concilii<sup>91</sup> aliquas directorias normas biblicas, liturgicas, oecumenicas, anthropologicas, quae ante oculos constituendae sunt, cum recognoscuntur vel conficiuntur exercitia pietatis, quo altius acutiusque percipiatur vinculum, quod nos coniungit cum Matre Christi et nostra Matre in communione Sanctorum. 3251

30. Hodie christianam pietatem iam ubique efflagitare intellegitur, ut indicia et cogitata biblica inserantur in quamvis cultus formam. Pro- 3252

<sup>86</sup> Cf. *Lumen gentium*, nn. 6, 7-8, 9-17.

<sup>87</sup> *Ibid.*, n. 63.

<sup>88</sup> S. Cyprianus, *De catholicae Ecclesiae unitate*, 5: CSEL. 3, 214.

<sup>89</sup> Isaac De Stella, *Sermo LI, In Assumptione B. Mariae*: Pl. 194, 1863.

<sup>90</sup> *Sermo XXX*, I: Sch 164, 134.

<sup>91</sup> Cf. *Lumen gentium*, nn. 66-69.

gressio enim studiorum biblicorum, crebrior et communior Sacra-  
rum Scripturarum usus et potissimum exemplum traditionis atque in-  
terior Spiritus impulsio movent nostrae aetatis christianos et monent,  
ut magis magisque Sacra Biblia usurpent tamquam primum preca-  
tionis librum indeque solida derivent agendi consilia et praeclara  
exempla. Beatae Virginis cultus ac pietas aliena nullo modo [142] esse  
potest ab hac universali propensione vitae christianae; <sup>92</sup> immo ab ea  
maxime haurire debet vires novas certumque auxilium. Sacrae enim  
Paginae, cum admirabiliter aperiunt divinum de salute humana consi-  
lium, ubique redundant mysterio Salvatoris atque continent a Genesi  
ad Apocalypsim certissimas significationes de ea, quae fuit eiusdem  
Salvatoris Mater et socia. Verumtamen nolimus, ut hic afflatus bibli-  
cus solo circumscribatur usu locorum et signorum etiam scienter ex-  
cerptorum ex Litteris sacris; multo namque plus secum infert. Poscit  
enim, ut ex Libris sacris vocabula et sententiae deducantur in ipsas  
precactionis formulas atque textus cantui destinatos; et ante omnia pos-  
tulat, ut Virginis cultus pervadatur et repleatur maximis illis argu-  
mentis nuntii christiani, ut, dum christifideles Sedem Sapientiae vene-  
rantur, ipsi vicissim illuminentur Verbi divini luce atque adducantur,  
ut secundum praecepta Sapientiae incarnatae se ipsi gerant.

3253 31. De veneratione, quam Ecclesia Matri Dei tribuit in celebratione  
sacrae Liturgiae, iam locuti sumus. Nunc vero, cum sermo sit de cete-  
ris cultus formis ac de rationibus, quibus illae inniti debeant, recola-  
mus oportet praescriptionem Constitutionis a verbis *Sacrosanctum  
Concilium* incipientis, utpote quae, dum spiritualia populi christiani  
exercitia commendat, addat: *...exercitia haec, ratione habita tempo-  
rum liturgicorum, congruenter consonent oportet cum sacra Liturgia,  
a qua aliquo modo consilium ac instinctum sumant, atque cum naturam  
longe superiorem prae se ferat, ad eam populum christianum  
ducant.* <sup>93</sup> Lex sapiens, perspicua, cuius tamen executio facilis esse  
non videtur, praesertim cum de cultu Virgini exhibendo agitur, de  
cultu scilicet tam vario modis, quibus exprimitur; postulat enim ab iis,  
qui commu[143]nitatibus localibus praesunt, nisum, prudentiam pas-  
toralem, constantiam, a christifidelibus vero animum alacrem et pa-  
ratum ad excipiendas normas directorias et proposita, quae, a germa-  
na cultus christiani natura profluentia, interdum secum ferunt muta-  
tionem consuetudinum inveteratarum, quibus natura illa aliquo modo  
erat offuscata.

Ad hoc quod pertinet, mentionem facere liceat de duobus mentium ha-  
bitibus, quibus accidere potest, ut irrita fiat in usu et consuetudine pas-  
torali norma Concilii Vaticani Secundi: imprimis de quorundam in  
animarum cura versantium se gerendi modo, quippe qui detrectantes a  
*priori* pia exercitia — quae, dummodo rite agantur, commendantur a  
Magisterio — ea abiciant, atque quasi vacuum efficiant, quod replere

<sup>92</sup> Cf. *Dei Verbum*, n. 25.

<sup>93</sup> N. 13.



non valent; ipsi plane obliviscuntur Concilium mandavisse, ne pia exercitia tollerentur, sed ut cum Liturgia apte convenirent. Secundo, quod ad aliorum habitum mentis attinet, affirmetur oportet eos, non servantes sanum principium liturgicum et pastorale, pia exercitia et liturgicas actiones in unum conferre tamquam in celebrationibus permixtis seu *hybridis*. Interdum fit, ut in ipsam Sacrificii Eucharistici immolationem quaedam inserantur elementa a sacris novendialibus vel aliis piis celebritatibus deprompta, unde periculum oritur, ne Domini memoriale non amplius constituat summum momentum coetus communitatis christianae, sed sit velut occasio quaedam celebrandi exercitium ad populi devotionem pertinens. Illis, qui ita agunt, volumus commemorare normam Concilii, iuxta quam pia exercitia cum liturgia sunt temperanda, minime vero cum ea permiscenda. Sapiens actio pastoralis, dum distinguit et illustrat naturam nativam actionum liturgicarum, altera ex parte laudat et provehit pia exercitia, ut ea necessitatibus singularium communitatum ecclesialium accommodet, eaque sacram Liturgiam egregie adjuvare iubeat.

[144] 32. Ob ipsius indolem ecclesiam in Virginis cultu inveniuntur eiusdem Ecclesiae sollicitudines, inter quas, nostris diebus, eminent cura de christianorum unitate redintegrandam. Pietas erga Domini Matrem fit, hoc modo, conscia trepidationum ac institutorum Motus oecumenici, qui dicitur, id est ipsa quoque formam assumit oecumenicam; et hoc multiplices ob causas. 3254

Imprimis quia fideles catholici fratribus sociantur Ecclesiarum orthodoxarum, apud quas devotio erga beatam Virginem induit formas plenas eximii instinctus poetici et altae doctrinae, dum colit speciali cum amore gloriosam Deiparam eamque vocat *Christianorum Spem*;<sup>94</sup> coniunguntur Anglicanis, quorum theologi praestantissimi iam olim illustraverunt solidum fundamentum, quod Litterae sanctae exhibent circa cultum Matris Domini Nostri, quorumque theologi aetatis nostrae magis exprimunt momentum loci, quem Maria obtinet in vita christiana; uniuntur etiam fratribus Ecclesiarum *Reformatarum*, in quibus viget amor Sacrarum Scripturarum, in glorificando Deo ipsius Virginis verbis (cf. *Lc.* 1, 46-55); deinde, quia religio erga Matrem Christi et christianorum praebet catholicis occasionem naturalem et frequentem preceationis, ut illa intercedat apud Filium, ut omnes baptizati in unum coalescant Populum Dei;<sup>95</sup> et insuper, quia est Ecclesiae catholicae voluntas, ut in hoc cultu, peculiaris proprietates nedum extenuetur,<sup>96</sup> sed vitetur etiam diligentissime quaevis intemperantia, quae ceteros fratres in errorem inducere possit de vera doctrina Ecclesiae catholicae<sup>97</sup> atque [145] amoveatur quivis cultus exhibendi modis ab-

<sup>94</sup> Cf. *Officium magni canonis paracletici, Magnum Orogion*, Athenis 1963, 558; passim in canonibus et tropariis liturgicis: cf. Sofronio Eustradiadou, *Theotokarion*, Chennevières-sur-Marne 1931, 9, 19.

<sup>95</sup> Cf. *Lumen gentium*, n. 69.

<sup>96</sup> Cf. *ibid.*, n. 66; *Sacrosanctum Concilium*, n. 103.

<sup>97</sup> Cf. *Lumen gentium*, n. 67.

horrens a recta praxi catholica. Denique, cum sit in ipso genuino cultu Betae Virginis positum, ut, *dum Mater colitur (...), Filius rite agnoscat, ametur, glorificetur*,<sup>98</sup> ille iter fit ad Christum, qui est fons atque centrum communionis ecclesiasticae; in quo, quotquot palam confitentur eum esse Deum et Dominum, Salvatorem et Mediatorem unicum (cf. *1 Tim.* 2, 5), vocantur, ut sint unum inter se, cum ipso et cum Patre in unitate Spiritus Sancti.<sup>99</sup>

3255 33. Probe novimus haud leves dissensiones existere inter sentiendi modum plurimorum fratrum aliarum Ecclesiarum et communitatum ecclesialium, ad doctrinam catholicam *de (...) munere Mariae in opere salutis*,<sup>100</sup> ideoque de cultu ipsi praebendo. Tamen, cum eadem virtus Altissimi, quae adumbravit Virginem Nazarethanam (cf. *Lc.* 1, 35), agat in hodiernum Motum oecumenicum eumque secundum reddat, spem Nostram cupimus significare venerationem erga humilem Domini Ancillam, cui Omnipotens magna fecerit (cf. *Lc.* 1, 49), futuram esse, etsi paulatim, non impedimentum, sed quandam viam et veluti locum congressionis ad unitatem efficiendam omnium credentium in Christum. Laetamur enim animadvertentes aptiorem intellegentiam muneris Mariae in Christi et Ecclesiae mysterio, etiam ex parte fratrum seiunctorum, expeditiorem reddere viam ad eiusmodi congressionem. Sicut in pago Cana Virgo deprecatione sua assecuta est, ut Iesus primum miraculorum suorum patraret (cf. *Io.* 2, 1-12), ita aetate nostra ipsi facultas erit sua ipsius intercessione propitia maturandi tempus, quo Christi discipuli perfectam in fide communionem inveniant. Haec nostra spes corroboratur consideratione Deces[146]soris Nostri Leonis XIII, qui affirmavit: *causa unitatis christianorum ad spiritualis maternitatis eius (Mariae) officium id proprie attinet. Nam qui Christi sunt, eos Maria non peperit nec parere poterat, nisi in una fide unoque amore: numquid enim «divisus est Christus?» (1 Cor. 1, 13) debemusque una omnes vitam Christi vivere, ut in uno eodemque corpore «fructificemus Deo» (Rom. 7, 4).*<sup>101</sup>

3256 34. In cultu Virgini tribuendo accurata consideratio intendenda est in acquisitiones tutas et scientiis humanis confirmatas; hoc enim conferret, ut amoveatur una ex causis difficultatum, quae inveniuntur in cultu Domini Matri exhibendo: dissimilitudo scilicet inter ipsius cultus argumenta et hodiernas cogitationes anthropologicas et condicionem psychologicas-sociologicas, penitus mutatam, in qua homines nostrae aetatis vivunt et operantur. Animadvertitur enim difficile esse inserere Virginis imaginem, sicut apparet e nonnullis libris et opusculis ad devotionem pertinentibus, in vitae condiciones aetatis nostrae et singillatim in condiciones mulieris, sive in convictu familiari, ubi leges ac morum progressus merito ei attribuunt aequalitatem cum viris et auc-

<sup>98</sup> *Lumen gentium*, n. 66.

<sup>99</sup> Cf. Paulus VI, Allocutio in Vaticana Basilica ad Conciliares Patres habita, die 21 mensis Novembris a. 1964: AAS 56 (1964) 1017.

<sup>100</sup> *Unitatis redintegratio*, n. 20.

<sup>101</sup> Epistula Encyclica *Adiutricem populi*: ASS 28 (1895-1896) 135.

toritatem in vita familiari moderanda; sive in provincia politica, in qua ipsa in multis regionibus adepta est facultatem se interponendi in rem publicam eodem modo quo viri; sive in re sociali, ubi ipsa navitatem suam explet in multiplicibus officiis, in dies magis magisque excedens ex angusto convictu familiari; sive in regione doctrinarum, ubi ei prae-bentur novae rationes inquisitionis scientificae et intellectualis auctori-tatis.

Hinc sequitur penes quosdam quaedam alienatio a cultu Virgini tri-buendo, atque difficultas in eligenda Maria Nazarethana ut exemplo, quia ipsius vitae fines — ut aiunt — angustiores videntur, ratione habi-ta patentium navitatis regio[147]num, in quibus homo nostrae aetatis operatur. Ad hoc quod pertinet, dum hortamur theologos et eos, qui praesunt communitatibus christianis, ipsosque Christifideles, ut debita consideratione prosequantur haec problemata, opportunum Nobis vi-detur ad eorum enodationem Nos quoque operam dare, animadver-siones quasdam proponendo.

35. Imprimis Virgo Maria semper ab Ecclesia proposita est christifi- 3257  
delium imitationi non plane ob rationem vitae, quam duxit multoque minus ob condiciones *sociales-doctrinales*, in quibus eadem eius vita sese explicavit, nunc fere ubique obsoletas, sed quia, in ipsius definita vitae condicione, ea totaliter et officii conscia voluntati Dei adhaesit (cf. *Lc.* 1, 38); quia eius verbum accepit et ad effectum adduxit; quia ipsius agendi ratio firmata est caritate et famulandi voluntate; quia sci-licet prima exstitit et perfectissima Christi discipula: quod quidem vim exempli obtinet universalem et perpetuam.

36. Volumus deinde animadvertere superius memoratas difficultates 3258  
arcte consociari cum aliquibus notis imaginis popularis et litterariae Mariae, non cum imagine eius vere evangelica neque cum elementis doctrinae, quae lento illo et serio opere explicationis verbi revelati eru-ta sunt et perfecta. Immo vero nihil mirum esse debet quod christiano-rum hominum aetates aliis in adiunctis *socialibus-doctrinalibus* ver-santes — cum imaginem ac munus Mariae respicerent uti novae Mulie-ris et perfectae Christianae, quae in se coniungit et colligit casus pro-prios maxime vitae femineae, quia Virgo est et Sponsa et Mater — Iesu Matrem habuerint typum praecelsum condicionis muliebris atque exemplar spectatissimum vitae evangelicae, quodque hos sensus suos secundum mentem et animi habitum et imagines suae aetatis expresse-rint. Cum vero ipsa Ecclesia contuetur longam pietatis marialis histo-riam, lae[148]tatur consonantia eius cultus, attamen non se alligat cogitandi loquendive rationibus, quae propriae fuerunt diversarum aeta-tum neque notionibus anthropologicis, quae iis modis subiaciebant. Intellegit Ecclesia, quo pacto quaedam cultus formae, quae in se ipsae quidem nonnihil valent, minus congruant cum hominibus, qui ad alias mundi aetates et animorum culturae rationes pertinent.

37. Animadvertere denique iuvat nostri etiam huius temporis, perin- 3259  
de ac praeteriti, homines suas debere rerum existentium cognitiones Dei verbo comprobare et, ad causam praecipue nostram quod attinet, suas notiones anthropologicas ex iisque manantes quaestiones cum

beatæ Mariæ Virginis figura comparare, ut in Evangelio proponitur. Quæ in Scripturis sacris Spiritus Sancti numine afflante leguntur, haud iis sane prætermissis, quæ humanis disciplinis acquiruntur, neque variis hodierni temporis rerum condicionibus, eo quidem conducunt, ut Maria exemplar haberi possit eorum, quæ in nostræ ætatis hominum expectatione sunt. Quædam hanc ad rem exempla subicere libet: horum temporum mulier, quæ iure vult in communitatis deliberationibus partem habere, summa animi lætitia Mariam contuebitur; hæc enim, quasi ad colloquium cum Deo admissa, pro actuosa peculiaris officii sui conscientia,<sup>102</sup> non de re quadam adventicia, sed de *saeculorum negotio* — ut præclare est Verbi incarnatio definita —<sup>103</sup> actuose ac libere consentit; recogitabit deinde Mariam, cum virginitatis statum sibi elegisset, quo ad Incarnationis mysterium participandum Dei consilio componeretur, nequaquam matrimonii bona ac dignitatem respuisse, verum libere et animose egisse, ut se tota Dei amori devoveret; læta cum admiratione perspiciet Mariam a Nazareth, Dei voluntati plane quidem [149] obsecutam, mulierem fuisse nec res vitæque casus inerte ferentem nec alios avertentem quadam religione devinctam, sed eam potius, quæ scite proclamaret Deum esse vindicem humilium vique oppressorum hominum ac mundi potentes de sede deponere (*Lc. 1, 51-53*); agnoscet insuper Mariam, quæ *præcellat inter humiles et pauperes Domini*,<sup>104</sup> fortem illam mulierem haberi, quæ egestatem et dolores, præcipitem fugam et exilium (*cf. Mt. 2, 13-23*) experta est; cuius modi rerum vices eos sane non fugiunt, qui, Evangelii ratione permoti, uniuscuiusque hominis totiusque societatis conatibus favent, ab id genus vitæ condicione se vindicare cupientium; neque tandem Maria Mater videbitur de uno divino Filio suo sollicita, verum mulier, cuius opera communitatis apostolicæ fides in Christum exorta est (*cf. Io. 2, 1-12*), cuiusque maternum munus ad omnes homines, in Calvariae monte universale effectum, dilatatum est.<sup>105</sup> Exempla quidem protulimus, e quibus clare patet beatam Virginem nonnullas, eademque graves, hodiernorum hominum expectationes haud decipere, immo perfecti Christi discipuli specimen iisdem præbere, quippe qui sit terrenæ et temporalis civitatis artifex simulque ad caelestem æternamque tendat, qui provehat iustitiam, oppressos homines liberantem, itemque caritatem foveat, qua indigentibus subvenitur, sed præcipue illius sit testis actuosus amoris, qui Christum in hominum animis aedificat.

3260 38. Postquam autem has normas directorias protulimus, quibus cultus Matri Domini adhibendus congruenter promoveatur, monendum esse videtur de nonnullis nequaquam rectis pietatis rationibus, ad eundem cultum spectantibus. Concilium Vaticanum II auctoritate sua ar-

<sup>102</sup> Cf. *Lumen gentium*, n. 56.

<sup>103</sup> S. Petrus Chrysologus, *Sermo* CXI.III: PL 52, 583.

<sup>104</sup> *Lumen gentium*, n. 55.

<sup>105</sup> Cf. Paulus VI, *Adhortatio Apostolica Signum magnum*, I: AAS 59 (1967) 467-468; *Missale Romanum*, die 15 Septembris, *Super oblata*.

guendo cavit, ne in sentiis et [150] formis trans rectae de Maria Virgine doctrinae fines et ritus iretur, neu eiusdem figura ac munus animo angusto minuerentur; quasdam praeterea reprehendit devios cultus exhibendi modos, qui sunt: vana credulitas, utpote quae in exteriores potius ritus quam in severum religionis studium intendat; inanis praeterea et evanida animi commotio, ab Evangelii sensu omnino aliena, cum, contra, assiduam et impigram operam Evangelium ipsum postulet. <sup>106</sup> Haec iterum arguimus, utpote cum de pietatis formis agatur, quae catholicae fidei non congruunt ideoque in catholico cultu iis non sit locus. Vigil autem ab huiusmodi erroribus minusque rectis usibus custodia id efficiet, ut erga beatam Mariam Virginem cultus alacrior fiat atque sincerior, id est in suo fundamento firmus, adeo ut studium fontium divinae Revelationis atque ecclesiastici Magisterii documentorum observantia nimiam novarum rerum vel mirificorum eventuum perscrutationem antecellant; *obiectivus* praeterea, utpote historica veritate nisus, ita ut prorsus ex eo expungantur, quae fabulosa sint vel falsa; consentaneus deinde doctrinae, ita ut non manca quaedam neque nimis amplificata imago Mariae proponatur, quo fieri possit, ut eo quod plus aequo aliquid praedicatur, tota illa veluti eius effigies, in Evangelio proposita, obnubiletur; purus denique, ad causas quod attinet, ita ut cuncta a sacrario sedulo arceantur, quae sordidum propriae utilitatis studium sapiant.

39. Demum, si res ferat, confirmare volumus id esse ut finem ultimi cultui beatae Mariae Virginis propositum, ut Deus glorificetur et Christifideles incitentur ad suam cum Dei voluntate vitam moresque prorsus componenda. Etenim Ecclesiae filii, cum suas illius voci mulieris sine nomine iungunt, de qua in Evangelio fit sermo, atque, Iesu Christi Matrem extollentes, [151] ad Iesum ipsum conversi conclamant: *Beatus venter qui te portavit et ubera quae suxisti* (Lc. 11, 27), ad divini quoque Magistri grave responsum animos intendant oportet, qui pronuntiavit: *Quinimmo beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud* (Lc. 11, 28). Quae quidem responsio sive beatae Mariae Virgini magnae laudi cedit, ut nonnulli Ecclesiae Patres interpretati sunt <sup>107</sup> et Concilium Vaticanum II confirmavit, <sup>108</sup> sive nobismet ipsis adorationi est, ut secundum Dei praecepta vivamus, hasque divini Salvatoris sententias resonat: *Non omnis qui dicit mihi: Domine Domine, intrabit in regnum caelorum; sed qui facit voluntatem patris mei qui in caelis est, ipse intrabit in regnum caelorum* (Mt. 7, 21); item: *Vos amici mei estis, si feceritis quae eo praecipio vobis* (Io. 15, 14).

<sup>106</sup> Cf. *Lumen gentium*, n. 67.

<sup>107</sup> Cf. S. Augustinus, *In Iohannis Evangelium, Tractatus X*, 3: CCL 36, 101-102; *Epistula* 243, *Ad Laetum*, n. 9: CSEL 57, 575-576; S. Beda, *In Lucae Evangelium expositio*, IV, xi, 28: CCL 120, 237; *Homilia I*, 4: CCL 122, 26-27.

<sup>108</sup> Cf. *Lumen gentium*, n. 58.

3262 40. Quaedam ergo principia exposuimus, ad cultum Matris Domini novo vigore firmandum idonea; nunc vero munus est Conferentiarum Episcopaliū, communitatū localium praepositorum, necnon religiosarū Familiarum moderatorum sapienter instaurare pias consuetudines et exercitia ad venerandam beatam Mariam Virginem apta, eosque iuvare qui, pro sincero suo animi ardore suoque procurandae fidelibus utilitatis studio, novas pietatis formas inducere cupiunt. Videtur tamen Nobis, diversis quidem rationibus inductis, expedite de duobus piis exercitiis tractare, quae in occidentalium praecipue regionum usu sunt, de quibusque pluries iam Apo[152]stolica Sedes egit. Haec sunt: *Angelus Domini* et *Rosarium* seu *Corona* beatæ Mariæ Virginis.

3263 41. Sermo hic Noster de prece *Angelus Domini* ad id tantum spectat, ut Nostram adhortationem iteremus, simplicem sed ardentem, ut huiusmodi orationis consueta recitatio, quantum fieri possit, servetur. Nec videtur eadem oratio esse instauranda; post tot enim saeculorum decursum eius continuatur vis et nitor, siquidem eius structura simplex est atque de divinis Litteris deprompta; origo eius historica ad invocationem revocat, qua incolumitas in pace expetitur; liturgicus praeterea eius cursus certa diei tempora quodammodo consecrat; ad paschale denique mysterium commemorandum inducit; nam cognita Filii Dei Incarnatione, petimus, ut *per passionem eius et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur*.<sup>109</sup> Re quidem vera nonnullae consuetudines, quae e tradito more recitationem orationis *Angelus Domini* comitabantur, iam ablatae sunt, aut vix in hodierna hominum vita animadvertuntur; de rebus tamen parvi momenti agitur, cum integra vis contemplationis, quae in mysterium Incarnationis Verbi fertur, salutationis angelicae Virgini impertitae significatio, imploratio miserentis eius intercessionis immutatae maneant. Quamvis praeterea mutatae sint temporum condiciones, eadem semper pro plerisque hominibus perstant certa quaedam diei tempora, mane, meridies et vesper, utpote quae operum eorum vices significant simulque ad quandam precationis causa moram interponendam moneant.

3264 42. Volumus nunc, Venerabiles Fratres, in piis illis precibus renovandis aliquandiu immorari, quae sunt *totius Evan[153]gelii breviarium* appellatae:<sup>110</sup> *Corona* nempe, seu beatæ Mariæ Virginis *Rosarium*. In iisdem enim precibus commendandis Decessores Nostri maximum studium sollicitamque operam posuerunt: scilicet etiam atque etiam hortati sunt Christifideles, ut *Rosarium* crebro recitarent; eidem latius vulgando consuluerunt; peculiarem eiusdem naturam explicue-

<sup>109</sup> *Missale Romanum*, Dominica IV Adventus, *Collecta*. Simile quiddam in *Collecta* diei 25 Martii continetur, quae in recitanda precatione *Angelus Domini* pro priore, in textu proposita, substitui potest.

<sup>110</sup> Pius XII, Epistula *Philippinas Insulas* ad Archiepiscopum Manilensem: AAS 38 (1946) 419.

runt; aptum praeterea ipsum esse dixerunt ad orationem contemplativam fovendam, quae simul est precatio laudantis et supplicantis; proprium denique eiusdem momentum extulerunt et vim ad christianam vitam provehendam animarumque lucrandarum studium excitandum. Nosmet quoque, fideles primum coram admittentes (d. XIII m. Iulii a. MCMLXIII), quanti *Rosarii* preces haberemus, publice ediximus; <sup>111</sup> atque postea oblata opportunitate, pluries eiusdem momentum illustravimus, tum potissimum cum, graviore quodam instante atque maeroris discriminisque pleno eventu, Epistulam Encyclicam *Christi Matri* (d. XV Sept. a. MCMLXVI) edidimus, ut beatae Mariae Virgini a Rosario supplices preces adhiberentur ad maximum bonum pacis a Deo impetrandum. <sup>112</sup> Quam Epistulam Adhortatio Apostolica *Recurrrens mensis October* secuta est (d. VII m. Oct. a. MCMLXIX), ut quartum saeculum expletum commemoraremus ab editis Litteris Apostolicis *Consueverunt Romani Pontifices*; in quibus sanctus Decessor Noster Pius V preces *Rosarii* illustravit eiusdemque formam statuit, ad nos usque traditam. <sup>113</sup>

43. Nostrum ideo in beatae Mariae Virginis *Rosarium*, carissimum sane, studium assiduum Nos induxit, ut attentiore animo ea adverteremus, quae in congressionibus haud paucis, recentioribus annis habitis, de vi pastoralis *Rosarii* nostris [154] hisce temporibus adhibendi disputata et proposita sunt. Huiusmodi conventibus, quibus indicendis nonnullae Consociationes atque viri de *Rosario* provehendo admodum solliciti consuluerunt, interfuerunt episcopi, presbyteri, religiosi sodales, e laicorum ordine viri ac mulieres pastoralium rerum probata peritia insignes atque sensu ecclesiali, fide et aestimatione digno, praediti. In quibus S. Dominici Filios peculiari mentione honestamus, tam salutaris devotionis iamdiu custodes et fautores. Quibus rebus adiunctae sunt investigationes historicorum, quorum opera primigenia *Rosarii* forma non quidem ad archaeologiae rationem est exquisita, verum ita pertractata, ut ipsa eiusdem origo perspiceretur et cognosceretur nativa virtus atque primaria structura. E quibus omnibus apertior evasit *Rosarii* indoles primitiva, necnon partes ad eius naturam pertinentes harumque mutuae conexiones.

3265

44. Clarius exinde, ut exemplum subiciamus, enituit evangelica *Rosarii* natura; ex Evangelio enim enuntiata in eo mysteria trahuntur ac praecipuae formulae; ex Evangelio praeterea, cum revocetur festiva Angeli salutatio et religiosus Mariae assensus, modus hauritur, quo fideles *Rosarium* pie recitent; denique per convenienter iteratam Angeli salutationem unum e primariis Evangelii mysteriis profertur, nempe Incarnatio Verbi, peculiari illo et gravi temporis momento considerato, quo Angelus nuntium Mariae attulit. Est igitur *Rosarium* evangeli-

3266

<sup>111</sup> Sermo habitus ad eos, qui Conventui Dominicano de sacro Rosario interfuerunt: *Insegnamenti di Paolo VI*, 1 (1963) 463-464.

<sup>112</sup> Cf. *AAS* 58 (1966) 745-749.

<sup>113</sup> Cf. *AAS* 61 (1969) 649-654.

ca prex; qua appellatione, nostro hoc potius quam praeterito tempore, pastores virique studiosi illud nuncupant.

- 3267 45. Expediit praeterea intellectum est per ordinate et gradatim enodatum *Rosarium* rationem ipsam significari, qua Dei Verbum, rebus humanis misericordiae consilio se ingerens, Redemptionis opus absolvit: congruenti enim ordine considerantur praecipui eventus salvifici, qui in Christo perfecti sunt: [155] a virginali Verbi Dei conceptione Iesuque infantiae mysteriis usque ad supremos Paschae casus, beatam videlicet Passionem et gloriosam Resurrectionem, ad fructus eius, qui obvenerunt Ecclesiae nascenti die Pentecostes, atque ipsi beatae Mariae Virgini, cum e terrestri hoc exsilio corpore simul et anima est in caelestem patriam assumpta. Intellectum etiam est triplicem mysteriorum *Rosarii* distributionem cum eventuum successione, servatis ordinibus temporum, omnino cohaerere, potissimum vero referre pristini fidei nuntii rationem; Christi insuper mysterium eodem modo proponi quo perceptum est a Sancto Paulo, cum praeclaro illo *hymno* in Epistula ad Philippenses declararet eius exinanitionem, mortem, exaltationem (2, 6-11).
- 3268 46. *Rosarium* igitur cum in Evangelio innitatur et ad mysterium Incarnationis hominumque redemptionem tamquam ad centrum pertineat, oratio est putanda, quae ad rem christologicam prorsus convertitur. Id enim quod eiusdem proprium est et peculiare, videlicet angelicae salutationis litanica iteratio *Ave, Maria* in Christi quoque laudem indesinentem cedit, ad quem ut ad terminum extremum respicit Angeli nuntium ac matris Baptistae salutio: *Benedictus fructus ventris tui* (Lc. 1, 42). Quin immo, geminatio verborum *Ave, Maria* velut textura est, in qua mysteriorum contemplatio progreditur. Etenim qui Christus in unaquaque salutatione angelica significatur, idem ipse est, quem ex ordine enuntiata mysteria ut Filium Dei proponunt et ut Filium Virginis in Bethleemitano specu natum; a matre in templo praesentatum; puerum de iis, quae Patris ipsius sunt, sollicitum; hominum Redemptorem in horto factum in agonia, flagellis caesum et spinarum serto coronatum; cruce oneratum atque in monte Calvariae morientem; a mortuis suscitatum ad Patrisque gloriam ascendentem, dona Spiritus missurum. Inter omnes vero constat pristinam quandam fuisse consuetudinem, pluribus locis ad praesens usque vigentem, ut prolato in unaquaque angelica [156] salutatione nomini Iesu clausula quaedam adderetur, cum enuntiato mysterio cohaerens, eo quidem consilio ut et contemplatio fovetur et ut mens voci concordaret.
- 3269 47. Item vehementius urgens necessitas est percepta monendi, praeterquam de eius vi laudativa ac deprecatoria, de alio elemento eiusdem *Rosarii* proprio: de contemplatione. Quae si deest, corpori sine anima *Rosarium* assimilatur estque periculum, ne recitatio evadat iteratio formularum, in qua mens et ratio desideratur, atque hortamento repugnet Iesu Christi, qui dixit: *Orantes autem, nolite multum loqui sicut ethnici; putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur* (Mt. 6, 7). *Rosarium* enim natura sua requirit, ut tranquilla precatione et quasi cogitabunda tarditate volvatur, quo facilius orans meditationi insistat



mysteriorum vitae Christi, velut corde illius perspectorum, quae Domino omnium proxima fuit, utque eorumdem mysteriorum investigabiles divitiae reserentur.

48. Denique, post doctorum virorum nostrae aetatis studia, plenius 3270  
perspectae sunt necessitudines, quae inter liturgicum cultum et mariale *Rosarium* intercedunt. Ex una enim parte, clariore in luce positum est *Rosarii* usum quasi virgultum censendum esse, quod e vetusto sacrae Liturgiae caudice ortum est, idemque idcirco Psalterium Virginis esse appellatum, quod eius ope tenuioris ordinis fideles ad laudis canticum et universalis Ecclesiae intercessionem sese adiungere possent; ex altera vero parte, animadvertere licuit hoc accidisse sub exitum Mediae Aetatis, eo scilicet tempore, quo, languescente germano Liturgiae spiritu, Christifideles aliquantum a liturgico cultu discesserant, cuidam faventes exteriori pietatis sensui erga Christi humanitatem ac beatissimam Virginem Mariam. Quodsi haud multos ante annos fieri potuit, ut alii vota facerent, ut mariale *Rosarium* liturgicis riti[157]bus annumeraretur, alii vero, solliciti de praeteritae aetatis erroribus in re pastoralis praecavendis, eandem precandi formam immerito neglexerent, haec quaestio hodie facile dissolvi potest, praelucente doctrina a Concilio Vaticano II tradita per Constitutionem, cui est initium *Sacrosanctum Concilium*, vi cuius celebrationes liturgicae et pium *Rosarii* exercitium neque inter se opponenda neque aequiperanda sunt.<sup>114</sup> Quaelibet precandi forma eo fructuosior evadit, quo magis nativam suam vim atque indolem sibi propriam tuetur. Statuta igitur praestantiore liturgicarum actionum dignitate, arduum negotium non erit in *Rosario* talem pietatis formam agnoscere, quae cum sacra Liturgia facile possit componi. Etenim, haud secus ac Liturgia, *Rosarium* quoque *communitariam* prae se fert indolem, Scripturis Sacris innutritur, totumque ad Christi mysterium spectat. Etsi utrumque precandi genus ad rerum ordines pertinet, qui suapte natura inter se differunt, nihilominus sive anamnesis in sacra Liturgia sive recordatio contemplativa in mariali *Rosario* in iisdem versantur salvificis eventibus, quorum auctor est Christus. Liturgia efficit, ut sub signorum velamine repraesententur maxima nostrae Redemptionis mysteria, eademque arcana ratione operentur; *Rosarium* vero, per piam mentis considerationem, haec mysteria in mentem orantis revocat eiusque voluntatem exstimulat ad vivendi normas exinde sumendas. Posito hoc discrimine, quod ad substantiam pertinet, non est quin intellegat *Rosarium* pietatis exercitiationem esse, cuius origo a Liturgia sacra repetatur, quaeque, si secundum eius primigenium spiritum peragatur, ad Liturgiam suapte natura conducat, quamquam eius quasi limen non praetergrediatur. Etenim mysteriorum Christi contemplatio, quae in *Rosario* habetur, cum mentem et cor Christifidelium iisdem considerandis assuescat, optime animos componere potest ad haec ipsa mysteria in actioni[158]bus liturgicis celebranda, ac postea ad eorum memoriam per diem continuandam. Attamen non sine errore est, quod pro dolor adhuc alicubi fieri contingit, mariale *Rosarium* inter actionem liturgicam recitare.

<sup>114</sup> Cf. n. 13.

3271 49. *Corona* Beatae Mariae Virginis, secundum traditionem a Sancto Pio V, Decessore Nostro, receptam ab eoque cum auctoritate muneris ipsius propositam, ex variis partibus constat, inter se apte dispositis atque conexas. Sunt autem hae:

a) contemplatio, animo cum Maria coniuncto peragenda, plurimum mysteriorum salutis, in triplicem seriam sapienter dispertitorum, quibus et gaudium de Messiae adventu ac dolores salvifici Christi et eiusdem a mortuis suscitati gloria in Ecclesiam redundans recoluntur; quae contemplatio suapte natura animum permovet ad instituendas considerationes in ipso religionis usu vertentes et ad efficaces inde hauriendas norma pro vitae actione;

b) oratio dominica, seu *Pater noster*, in qua ob maximam eius praestantiam velut in suo fundamento tota innititur christiana precatio, ab eaque multiplices precandi formae dignitatem suam accipiunt;

c) litanica series salutationum angelicarum, *Ave, Maria*, quae verbis Angeli Virginem salutantis (cf. *Lc.* 1, 28), et sententia, obsequii plena, ab Elisabeth prolata (cf. *Lc.* 1, 42) et addita supplicis precatioe ecclesiali *Sancta Maria ...* efficitur. Continuatio salutationum angelicarum est propria et peculiaris *Rosario* earumque numero, qui in eiusdem *Coronae* ratione typica et plena centum quinquaginta complectitur, quaedam similitudo est cum Psalterio, idemque ab origine pii huius exercitii repetitur. Qui quidem numerus, secundum probatam consuetudinem in decades divisus, quae singulis mysteriis attribuuntur, in tres series praedictas seu cyclos digeritur; unde pernota *Corona*, e quinquaginta constans salutationibus [159] angelicis, est orta, quae in usum recepta est ut communis ratio eiusdem exercitii atque ut talis in populi transiit pietatem et a Summis Pontificibus est sancita, qui eam multis etiam indulgentiis ditarunt;

d) doxologia *Gloria Patri* appellata, qua, ut communis fert christianae pietatis usus, preces concluduntur per glorificationem Dei Unius et Trini, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia (cf. *Rom.* 11, 36).

3272 50. Hae sunt marialis *Rosarii* partes. Unaquaeque autem indole propria distinguitur, quae in recitationem est referenda, ut *Rosarium* totam suae virtutis ubertatem atque varietatem exprimere possit. Quare marialis *Coronae* recitatio graviter procedet in oratione dominica; elata ratione ac laudando, dum angelicae salutationes lente decurrunt; contemplando, dum intento animo mysteria considerantur; adorando, dum doxologia profertur. Idque semper eveniat necesse est, quocumque modo *Rosarium* recitari solet: sive privatim, cum Christifidelis in recessu solus orat, animo cum Domino coniunctus; sive *communitario* modo, ut in domestico convictu accidit, vel cum christiani in coetus congregantur ad peculiarem Dei praesentiam inter ipsos devocandam (cf. *Mt.* 18, 20); sive publice, nempe in conventibus, ad quos ecclesialis communitas convocatur.

3273 51. Recentioribus temporibus nonnulla pietatis exercitia orta sunt, quae e *Rosario* vim hauriunt. Ex his ea indicare atque commendare placet, quae in suetam formam celebrationum Verbi Dei quaedam re-

ferunt elementa e Beatae Mariae Virginis *Rosario* sumpta, cuiusmodi sunt mysteriorum commentatio ac salutatio angelica litanico more repetita. Huiusmodi elementa clariore in luce sane hoc modo ponuntur, eo quod in lectionem Sacrarum Scripturarum inseruntur, per homiliam illustrantur, silentii intervallis circumdantur, cantu [160] denotantur. Novisse iuvat pias has exercitationes contulisse ad plenius percipiendas spirituales ipsius *Rosarii* divitias et ad honorem augendum huic precandi formae debitum, apud iuvenum coetus atque consociationes.

52. Nunc autem, Decessorum Nostrorum proposita persecutis, per- 3274  
placet Nobis vehementer marialis *Rosarii* recitationem inter saepta domestica commendare. Concilium Oecumenicum II declaravit familiam, primam ac vitalem societatis cellulam, *per mutuam membrorum pietatem et orationem in communi Deo factam, tamquam domesticum sanctuarium Ecclesiae se exhibere.*<sup>115</sup> Familia igitur christiana velut quandam Ecclesiam domesticam<sup>116</sup> se ostendit, si eius membra, pro uniuscuiusque munere et condicione, una simul iustitiam promoveant, si misericordiae opera perficiant, si ministerio se addicant fratrum, partem habeant in apostolica navitate, in quam amplior loci communitas incumbit, eiusque liturgicis celebrationibus actuose intersint;<sup>117</sup> denique si communes Deo preces fundant, quod si desit, domesticus convictus illa nota, qua familia christiana distinguitur, carere dicendus est. Quare, dum theologica notio familiae qua Ecclesiae domesticae recuperatur, eo congruenter omnibusque viribus est annitendum, ut intra domestica saepta preces communis usus reapse instauretur.

53. Secundum normas directorias a Concilio Oecumenico latas, in 3275  
*Institutione Generali de Liturgia Horarum* domesticus convictus iure merito iis coetibus annumeratur, quos com[161]munis Divini Officii celebratio plane addecet: *Expedit (...) ut familia, quasi domesticum sacrarium Ecclesiae, non tantum communes preces Deo fundat, sed etiam partes quasdam Liturgiae Horarum pro opportunitate persolvat, quo Ecclesiae arctius se inserat.*<sup>118</sup> Nihil igitur praetermittendum est, ut perspicua haec agendi norma apud christianorum familias magis magisque laetoque animo ad effectum deducatur.

54. Attamen, post Liturgiae Horarum celebrationem — in qua do- 3276  
mestica precatio fastigium attingere potest — dubium non est, quin beatae Mariae Virginis *Corona* inter excellentissimas atque efficacissimas «communes preces» recensenda sit, ad quas fundendas christiana familia invitatur. Re quidem vera placet Nobis mentem eo intendere ac vehementer optamus, ut, cum familiae membra ad precandum una conveniant, *Rosarium* crebro libenterque eo ipso tempore adhibeatur. Probe novimus mutatas humanae vitae condiciones, quae hodie sunt,

<sup>115</sup> *Apostolicam actuositatem*, n. 11.

<sup>116</sup> *Lumen gentium*, n. 11.

<sup>117</sup> Cf. *Apostolicam actuositatem*, n. 11.

<sup>118</sup> N. 27.

haud favere inter domestica saepta familiarium congressioni; quod si accidat, difficile est, plures ob causas, hanc congressionem in precandi opportunitatem convertere. Fatemur quidem arduum sane negotium hoc esse. At locorum morumque condicionibus prementibus, christianum est non vinci sed vincere, non succumbere, sed erigere animum. Quare christianorum familiae, quae quidem muneri, ad quod vocantur, plene satisfacere velint et pietatem christianae familiae propriam exoptent in vitae actionem traducere, omni virium contentione anniti debent, ut repagula removeantur, quae et domesticas congressiones et communes preces impediunt.

3277 55. Dum hisce considerationibus finem imponimus, quae sollicitudinem aestimationemque testantur, quibus mariale *Rosa*[162]*rium* haec Apostolica Sedes prosequitur, hoc etiam monere cupimus, ut in tam salutari pietatis forma propaganda iusta servetur ratio, neque haec ita extollatur, ut ceterae inepte contemni videantur; *Rosarium* excellens orandi genus quidem est, Christifidelis tamen circa ipsum debet animum serenum ac liberum gerere, atque omnino expedit, ut ad illud tranquille compositeque recitandum is nativa huius precis venustate potius alliciatur.

3278 56. Venerabiles Fratres, sub exitum Nostrae Apostolicae Adhortationis, debito in lumine summatim ponere cupimus theologiam praestantiam marialis cultus, eiusque efficacem vim pastorem ad christianos renovandos mores compendiaria ratione revocare. Ecclesiae pietas erga Beatam Mariam Virginem pertinet ad naturam ipsam christiani cultus. Honor semper et ubique ab Ecclesia Matri Dei tributus — a salutatione Elisabeth ei benedictis (cf. *Lc.* 1, 42-45) usque ad hodiernas laudis supplicationisque significationes — praeclare testatur ipsius Ecclesiae legem orandi invitamento esse, ut eius lex credendi in conscientiis firmiter solidetur. E contrario, lex credendi eiusdem postulat, ut eius lex orandi ubique prospere vigeat quoad Christi Matrem. Hic autem marialis cultus altis veluti agit radices in Verbo Dei revelato ac firmiter innititur in doctrinae catholicae veritatibus, quae sunt: singularis dignitas Mariae, quae est *Genetrix Dei Filii, ideoque praedilecta filia Patris necnon sacrarium Spiritus Sancti, quo eximiae gratiae dono omnibus aliis creaturis caelestibus et terrestribus longe antecellit*; <sup>119</sup> eius cooperatio in eventibus, qui maximi fuerunt momenti in opere redemptionis a Filio peractae; eius sanctitas, quae, etsi plena fuit iam inde ab immaculato conceptu, nihilominus magis magisque augescebat, ubi ipsa voluntati patris obtemperabat et per doloris semitam procedebat (cf. *Lc.* 2, 34-35; 2, 41-52; *Io.* 19, 25-27), in fide, spe et caritate sine intermissione progrediens; eius munus eiusque singularis locus, quem obtinet in Populo Dei, cuius simul est supereminens membrum, exemplar spectatissimum atque amantissima Mater; haud intermissa atque efficax eius deprecatio, vi cuius, etsi in caelum assumpta, proxime adest fidelibus, qui eam invocant, et iis quoque, qui se filios ipsius esse ignorant; eius gloria deni-

<sup>119</sup> *Lumen gentium*, n. 53.

que, qua totum nobilitatur humanum genus, ut mirabiliter cecinit Dantes Alagherius: *Tu illa es Mulier, quae humanam naturam tantopere nobilitasti, ut eius Creator fieri illius creatura dedignatus non sit*; <sup>120</sup> Maria enim ad nostrum pertinet genus, vera Evae filia est, quamvis labis huiusce matris nescia, veraque soror nostra, quae, terrenam vitam in humilitate et paupertate degens, plene sortem nostram participavit. His adicimus: cultus beatæ Mariæ Virginis ultimam suam rationem repetit ab inscrutabili et libera voluntate Dei, qui cum sit aeterna ac divina caritas (cf. *Io.* 4, 7-8. 16), secundum amoris consilium omnia operatur: dilexit eam et magna ipsi fecit (cf. *Lc.* 1, 49); dilexit eam propter se, dilexit eam propter nos; dedit eam sibi, dedit eam nobis.

57. Christus sola via est, quae ad Patrem perducit (cf. *Io.* 14, 4-11). 3279  
Christus supremum exstat exemplum, ad cuius imaginem discipulus mores suos conformet necesse est (cf. *Io.* 13, 15), ita quidem, ut id in se sentiat, quod et in ipso (cf. *Phil.* 2, 15), vitam ipsius vivat et eius Spiritum habeat (cf. *Gal.* 2, 20; *Rom.* 8, 10-11): Ecclesia omni tempore haec docuit, ac propterea cavendum est, ne quid in actione pastoralis contingat, quod huic doctrinae officiat. At Ecclesia, a Spiritu Sancto edocta atque rerum usu praedita, quem saeculorum decursu sibi com[164]paravit, agnoscit pietatem quoque erga beatissimam Virginem, quae quidem pietati erga Divinum Redemptorem subiciatur cum eaque conectatur, magna pollere vi atque efficacia in re pastoralis atque ad christianae vitae renovationem plurimum valere. Huius autem efficacitatis causa facile perspicitur potest. Ac revera multiplex munus, quo Maria erga Populum Dei perfungitur, est quiddam vere supernaturale, quod in Ecclesiae corpore exercetur, et quidem operosa et fecunda ratione. Ac iuvat singulas huius muneris partes considerare, quae omnes, pro sua cuiusque efficacia, in idem contendunt, ut in filios spiritualia Filii primogeniti lineamenta referantur. Materna scilicet Virginis deprecatio, eius sanctitatis exemplum ac divina gratia, quae in ipsa est, supernarum rerum sperandarum argumentum humano generi existunt.

Maternitatis officium Mariae concreditum Populum Dei impellit, ut filiorum more fidenter ad eam confugiat, quae prompta semper paratamque se praebet ad eius preces materno amore exaudiendas et ad ei succurrendum auxilio efficaci; <sup>121</sup> quare Christifideles eam invocare consueverunt ut *Consolatricem afflictorum, Salutem infirmorum, Refugium peccatorum*, ad impetrandum in aerumnis solacium, in aegritudine levamen, in peccatis robur, quod ab eorum liberat servitute; ac revera ipsa, a peccatorum labe prorsus libera, eo filios perducit, ut peccatum firmo proposito devincant. <sup>122</sup> Quae quidem liberatio a malo et a peccati servitute (cf. *Mt.* 6, 13) condicio habenda est — idque iterum iterumque asservare oportet — quae christianae cuilibet morum renovationi necessario praemittatur.

<sup>120</sup> *La Divina Commedia, Paradiso XXXIII, 4-6.*

<sup>121</sup> Cf. *Lumen gentium*, nn. 60-63.

<sup>122</sup> Cf. *ibid.*, n. 65.

Exemplum sanctitatis a Virgine praebitum Christifideles permovet, ut ad Mariam oculos suos attollant, *quae toti elec[165]torum communitati tamquam exemplar virtutum praefulget.*<sup>123</sup> De firmis virtutibus agitur et quidem evangelicis, quae sunt: fides atque obsequens voluntas Verbo Dei (cf. *Lc.* 1, 26-28; 1, 45; 11, 27-29; *Io.* 2, 5); magnanima oboediantia (cf. *Lc.* 1, 39-56); sincera humilitas (cf. *Lc.* 1, 48); caritas propera (cf. *Lc.* 1, 38); considerata sapientia (cf. *Lc.* 1, 29. 34; 2, 19. 33. 51); pietas erga Deum, quae impellit ad religionis officia alacriter persolvenda (cf. *Lc.* 2, 21. 22-40. 41), ad gratum de beneficiis acceptis gerendum animum (cf. *Lc.* 1, 46-49), ad dona in templo offerenda et ad preces fundendas in Apostolorum communitate (cf. *Act.* 1, 12-14); animi fortitudo in exilio (cf. *Mt.* 2, 13-23), in dolore (cf. *Lc.* 2, 34-35. 49; *Io.* 19, 25); paupertas dignitatis plena ac fiduciae in Deo collocatae (cf. *Lc.* 1, 48; 2, 24; 1, 48); vigil de Filio cura ab humilitate cunarum usque ad ignominiam crucis (cf. *Lc.* 2, 1-7; *Io.* 19, 25-27); provida animi suavitas (cf. *Io.* 2, 11-12); virginalis castitas (cf. *Mt.* 1, 18-25; *Lc.* 1, 26-38), fortis et castus coniugalis amor. Hisce Matris virtutibus profecto exornabuntur ii filii, qui firmo proposito in ipsius exempla intueantur, ut eadem in sua ipsorum vita imitando exprimere possint. Tunc huiusmodi in virtutibus progressus agnoscetur ut consecutio et quasi maturus fructus pastoralis illius efficaciae, quae e cultu Mariae tributo proficiscitur.

Pietas in Christi Matrem opportunitatem fidelibus praebet proficiendi in divina gratia, quo in profectu supremus cuiusvis pastoralis actionis finis ponendus est. Etenim fieri nequit, ut *Plenam gratiae* digno in honore habeat quin in semetipso honoret gratiam divinam hoc est Dei amicitiam animi cum eo communionem et habitationem Spiritus Sancti. Quae divina gratia hominem penitus afficit et conformem efficit imagini Filii Dei (cf. *Rom.* 8, 29; *Col.* 1, 18). Ecclesia catholica, rerum usu innixa, qui saeculorum suffragio comprobatur, in mariali cultu validum auxilium agnoscit oblatum homini, [166]qui ad plenitudinem vitae suae adipiscendam contendit. Maria, nova Mulier, proxima Christo adstat, novo Homini, in cuius mysterio tantummodo hominis mysterium clarescit,<sup>124</sup> et quidem quasi pignus nobis data, ut fidem faciat divinum consilium de totius hominis salute in humani generis persona, hoc est in ipsa, iam adimpletum esse. Hominibus, qui hodie sunt, qui haud raro inter angore, et spem iactantur, qui ob conscientiam exiguitatis suae se abiciunt et infinitis percelluntur appetitionibus, qui animum perturbatum, cor divisum mentemque ob aenigma mortis incertam gerunt, qui solitudine oppressi communionem cum aliis sitienter expetunt, fastidio ac taedio plene affecti: his hominibus, dicimus, beata Maria Virgo, sive in terrestri ipsius vitae vicissitudinibus sive in caelesti beatitudine, qua iam in Civitate Dei perfruitur, consideratur, serenum praebet prospectum et verba habet ad confirmandos animos apta: spondet scilicet spem de angore triumphaturam,

<sup>123</sup> *Lumen gentium*, n. 65.

<sup>124</sup> Cf. *Gaudium et spes*, n. 22.

communione de solitudine, pacem de perturbatione, laetitiam et pulchritudinem de fastidio ac taedio, rerum aeternarum expectationem de temporalibus cupiditatibus, vitam de morte.

Quasi sigillum Adhortationi huic Nostrae appositum novumque testimonium pastoralis efficaciae, quae mariali cultui inest, ut homines ad Christum adducantur, sint ipsa verba, quibus Maria Virgo in nuptiis Cana ministros est allocuta: *Quodcumque dixerit vobis, facite* (Io. 2, 5). Haec verba, quae specie tantum solam voluntatem significant removendi incommodi e nuptiali convivio, reapse, si peculiaris quarti Evangelii ratio spectetur, veluti vox sunt, in qua resonare videtur ipsa formula a Populo Israel adhibita ad foedus sancendum in monte Sinai (cf. Ex. 19, 8; 24, 3. 7; Deut. 5, 27), vel ad fidem eidem renovandum (cf. Jos. 24, 24; Esd. 10, 12; Neh. 5, 12); ac [167] vox etiam sunt, quae mirum in modum concinit cum voce Patris, qui in *theophania* montis Tabor edixit: *Ipsam audite* (Mt. 17, 5).

58. Venerabiles Fratres, visum est Nobis fuse de cultu Dei Matri tribuendo disserere, quippe qui ad integram christiani cultus rationem pertineat. Id ipsum grave materiae momentum postulavit, quae postremis hisce annis doctorum virorum studiis pertractata et recognita est, ac nonnumquam etiam in controversiam adducta. Id autem Nobis solacio est, quod opus ab hac Apostolica Sede et a vobismetipsis susceptum ad exsequendas Concilii normas — peculiarique modo instauratio liturgica — magnopere confert ad cultum Deo Patri et Filio et Spiritui Sancto impensiore usque adorationis voluntate adhibendum et ad christianae vitae incrementum apud christifideles; item non sine fiducia animadvertimus renovatam Liturgiam Romanam exstare testimonium pietatis Ecclesiae in Mariam Virginem; spe praeterea fulcimur directorias normas, latas ad pietatem huiusmodi magis in dies fovendam roborandamque, sincero animo ad effectum deductum iri; gaudio denique perfundimur de oblata Nobis, favente Deo, opportunitate illustrandi nonnulla doctrinae capita, quibus usus marialis *Rosarii*, merito in honore habendus, restituatur et confirmetur. Hoc autem solacio, fiducia, spe, gaudio animum affecti, vocem Nostram cum Beatae Mariae Virginis voce Dominum magnificando coniungimus — quemadmodum in Liturgia Romana deprecamur <sup>125</sup> — atque cupimus, ut hi sensus Nostri in laudem Dei gratiarumque actionem eidem debitam traducantur.

Dum igitur exoptamus, ut vestra, Venerabiles Fratres, annitente diligentia, Deiparae Virginis cultus apud clerum populumque vestris curis concreditum salutari provehatur incre[168]mento, ideoque in maius Ecclesiae et hominum societatis bonum vertat, vobismet ipsis et cunctis, quos pastoralis sollicitudine contingitis, peculiarem Benedictionem Apostolicam amanter impertimus.

3280

<sup>125</sup> Cf. *Missale Romanum*, die 31 Maii, *Collecta*.

## De Calendariis particularibus et Propriis

Die 15 februarii 1974 H. Bugnini, a Secretis SCCD, ad Episcopos et Supremos Moderatores Religiosorum Epistulam ad praeparationem Calendariorum particularium necnon textuum Proprii Missalis et Liturgiae Horarum efflagitandam misit.

ED. - Lat.: N 10 (1974) 87-88. Angl.: DOL 482. Ital.: RL 61 (1974) 712-713; EV 5, 138-141.

- 3281 [87] Novo Calendario Romano Generali promulgato, quod in Missali Romano instaurato insertum invenitur, Sacrum hoc Dicasterium normas edidit in exarandis Calendariis Propriisque cuiuscumque nationis, regionis, dioecesis vel familiae religiosae servandas, prout habentur in «Instructione de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis» diei 24 iunii 1970.  
 Calendaria et Propria Missarum atque Officiorum, ad normam n. 4 praedictae Instructionis, «*intra quinquennium* a novo Missali novoque Breviario evulgatis» apparanda sunt.  
 Cum Missale Romanum et Liturgia Horarum iuxta editionem typicam die 16 aprilis 1971 publici iuris facta sint, Calendaria et Propria exarari debent intra diem 16 aprilis 1976. Nihilominus Sacra haec Congregatio confidit fore ut opus properetur atque intra annum 1974 omnia Calendaria et Propria sive dioecesium sive familiarum religiosarum recognoscantur ac confirmentur.  
 [88] Ad opus perficiendum, sacrum hoc Dicasterium regulas observandas in mentem revocare utile esse ducit:
- 3282 1) In Calendario et Proprio recognoscendo revisores normas in «Institutione generali» Missae et Liturgiae Horarum contentas necnon «Normas universales de Anno liturgico et de Calendario» prae oculis habebunt.  
 Praeterea quaedam consuetudo cum libris liturgicis instauratis necessaria videtur ut intellegatur quonam modo normas illas in libris apparandis ad effectum deductas fuisse, maxime ad textus euchologicos quod attinet.
- 3283 2) Calendarii et Proprii recognitioni accuratam investigationem theologicam, historicam, pastoraalem anteire oportet, quae a Commissione virorum in his disciplinis versatorum ad hoc instituta peragatur.
- 3284 3) Quoad Officia et Missas, quae communia sunt pluribus dioecesibus vel familiis religiosis aut dioecesibus et familiis religiosis, convenit ut



textus a dioecesi vel familia religiosa, cuius directe interest, exarentur ac deinde ab aliis recipiantur, novis praetermissis, nisi peculiare rationes aliter suadeant.

4) *Calendaria et Propria* redacta consilio habito cum clero, fidelibus et 3285  
sodalibus familiarum religiosarum, ad quos spectat, a competenti auctoritate territorii approbentur (*Calendaria et Propria* nationis a Conferentia Episcopali nationali, *Calendaria regionalia* a Conferentia Episcopali regionis, *Calendaria dioecesana* ab Ordinario loci, *Calendaria familiarum religiosarum* a Supremo Moderatore). Deinde huius Sacrae Congregationis pro Cultu Divino confirmationi proponuntur, tribus transmissis exemplaribus textus latini ac vulgaris, atque additis:

- relatione de labore confecto;
- rationibus, quae in labore conficiendo servatae sunt;
- nominibus peritorum, qui laboribus interfuerunt;
- exemplari *Calendarii et Proprii* praecedentis.<sup>a</sup>

Tuae benevolae ac festinanti sollicitudini confidens de labore inchoando vel explendo, qui directe ad vitam liturgicam Ecclesiae localis et familiarum religiosarum spectat, pergratum mihi est [...]

---

<sup>a</sup> Quia sexto transacto anno a *Missali Romano et Liturgia Horarum* in editione typica editis, opus instaurationis *Calendariorum et Propriorum* sive dioecesium sive familiarum religiosarum ad finem nondum pervenerat, Sectio pro Cultu Divino SCSCD has regulas iterum in mentem revocare utile esse duxit, ut praedictum opus quam citius bene perficeretur ab iis, quorum interest: N 13 (1977) 557-558.

## De caelibatu sacerdotali

Die 11 aprilis 1974 SCIC Notas directivas de educatione ad caelibatum sacerdotalem edidit; in quibus Notis quaedam Liturgiam spectantia tractantur. Textus, pluribus linguis publici iuris factus, hic lingua italica refertur, qua exaratus est.

ED.-Ital.: SCIC, *Orientamenti educativi per la formazione al celibato sacerdotale*, Typis Polyglottis Vaticanis 1974; EV 5, 188-256; Il Regno-Documenti 29 (1974) 400-420. Germ.: NK 50 (1976) 40-140. Hisp.: E 35 (1975) 400-428; *Orientaciones para la educación en el celibato sacerdotal*, Madrid 1974.  
COMM.-Germ.: B. FRALING, in: NK 50 (1976) 9-39.

PARTE PRIMA. IL CELIBATO  
NELLA ODIERNA VITA SACERDOTALE

1. IL CELIBATO NELLA VITA DELLA CHIESA

3286 7. *Significato del sacramento dell'ordine*

[11] I sacramenti del battesimo e dell'ordine fanno partecipare, attraverso il mistero pasquale del Signore, al sacerdozio del Cristo. L'ordine sacro è una partecipazione alla funzione «capitale» del Cristo sacerdote; conferisce il sacerdozio ministeriale, che differisce essenzialmente — e non solo di grado — dal sacerdozio comune conferito dal battesimo; <sup>2</sup> costituisce i sacerdoti «ministri», cioè rappresentanti di Gesù Cristo, come capo della Chiesa, e partecipi [12] dell'autorità con la quale egli stesso fa crescere, santifica e governa il suo corpo mistico. <sup>1</sup>

<sup>2</sup> Cfr. *Lumen gentium*, n. 10.

<sup>1</sup> \* Cfr. *Presbyterorum ordinis*, n. 2.

\* Adnotationes in editione princeps hoc modo numerantur, ut in unaquaque pagina a numero primo incipiant.

I presbiteri, «in virtù dell'unzione dello Spirito Santo, sono segnati da uno speciale carattere che li configura al Cristo sacerdote». <sup>2</sup> Essi, come il Cristo e nella sua carità, sono inviati per la salvezza del popolo di Dio; sono chiamati ad indirizzare gli uomini, mediante la comunità ecclesiale, fondata sulla parola di Dio e l'eucaristia, verso una sempre più estesa e profonda vita nello spirito del Cristo, così da testimoniare sempre più la sua resurrezione.

## 2. IL CELIBATO SACERDOTALE NELLA VITA ODIERNA

### 14. *Natura del rapporto celibato-sacerdozio* 3287

[16] [...] Il sacerdote è rappresentante della persona del Cristo, deputato dalla sua ordinazione non solo al compito di edificare il popolo di Dio, mediante il ministero della parola e l'eucaristia, ma anche a manifestare in un modo unico e sacramentale l'amore fraterno, servendo così ugualmente la causa della edificazione del regno. [...]

## PARTE SECONDA. METE DELL'EDUCAZIONE SEMINARISTICA

### 2. FORMAZIONE ALLA MATURITÀ CRISTIANA

#### 24. *La dimensione cristiana nell'educazione* 3288

[24] L'educazione cristiana — alla quale il cristiano, figlio di Dio per il battesimo, ha diritto — deve tendere ad aiutare la persona a maturare se stessa non solo in senso umano, ma principalmente in senso cristiano. La maturità cristiana si realizza con la graduale crescita nella fede, nell'adorazione di Dio quale Padre, specie mediante la partecipazione alla vita liturgica; con la crescita nella perfezione nel Cristo, concorrendo all'incremento del suo corpo mistico. [...]

#### 28. *L'autocontrollo perfettivo del cristiano* 3289

[27] [...] Il mistero pasquale, che nel battesimo sta alla radice della vita cristiana, esprime nel modo più vero e vivificante il dinamismo fondamentale dell'esistenza cristiana, appunto perché sa unire, in maniera

<sup>2</sup> *Presbyterorum ordinis*, n. 2; cfr. *Lumen gentium*, n. 28; Paolo VI, Lett. Encicl. *Sacerdotis caelibatus*, 24 giugno 1967: AAS 59 (1967) 664, n. 19 segg.

armonica e feconda, le esigenze essenziali della persona umana e cristiana: affermazione di sé, nel dono di sé a Dio e al prossimo. Nell'attuale ordine di salvezza, solo il mistero pasquale offre il fondamento teologico e anche psicologico per un'ascesi che appare l'unica capace di avvicinarci all'originale armonia dell'uomo. Il piano di vita, che ci viene rivelato dal mistero pasquale, congiunge la «rinunzia» a certe forme di comportamento e l'autentica «offerta» di sé in una unità inseparabile, come teologicamente risulta inseparabile la morte dalla risurrezione del Cristo. [...]

#### PARTE QUARTA. FUNZIONE EDUCATIVA DEL SEMINARIO

##### 2. IL SEMINARIO ESPRESSIONE DI VITA SPIRITUALE

###### 3290 75. *La vita di orazione come fattore educativo*

[62] La scelta del celibato deve essere animata da magnanimità, dalla consapevolezza che è importante dedicare interamente la propria vita ad un grande amore, il quale abbraccia insieme Dio, il Cristo e le anime; dalla consapevolezza che, se il celibato è un prezioso dono del Signore, da impetrarsi con umiltà,<sup>2</sup> è anche un dono dell'uomo a Dio. Questa generosità aprirà il cuore del seminarista in un modo sempre più crescente alla preghiera, all'adorazione e alla contemplazione di Colui che è il termine della propria donazione e sarà fonte di continua gioia e giovinezza.<sup>3</sup>

Il seminario introdurrà quindi gli alunni alla pratica abituale e spontanea dell'incontro e del colloquio con Dio nel Cristo. E questo nei molteplici modi della preghiera, dell'azione liturgica, della parola meditata, dello studio sulla persona del Cristo come centro di ogni riflessione di fede e di teologia.

Una vita centrata in Dio mediante l'orazione è un imperativo categorico della vita di consacrazione. Il seminarista e il sacerdote dovranno avere pertanto in alto grado quel dono di pietà, che è in sostanza un grande amore per il Signore, e rimarranno sempre i testimoni privilegiati della bellezza e della gioia del rapporto immediato con il Dio della rivelazione.

[63] Il celibe per vocazione, che abbandona la preghiera, che rompe cioè i rapporti interpersonali con Dio, sta sull'orlo della rovina del suo celibato. Questa relazione fondamentale con il Signore, alimentata alle sorgenti della preghiera stessa della Chiesa e divenuta profondamente personale per mezzo di esercizi appropriati, è di capitale importanza,

<sup>2</sup> Cfr. *Optatam totius*, n. 10.

<sup>3</sup> Cfr. SCIC, *Ratio fundamentalis institutionis sacerdotalis*, Roma 1970, n. 54.

perché un sacerdote possa essere a suo agio nelle relazioni di direzione spirituale. Senza una relazione con Dio, ricca di sana vita spirituale, il sacerdote non può essere capace di aiutare efficacemente i fedeli.

76. *Criteri d'aggiornamento delle forme di pietà*

3291

Nell'aggiornamento delle forme di pietà occorre mirare a scoprire, al di là delle pratiche, ciò che ne è stata la ragion d'essere, adattando i mezzi alle esigenze psicologiche e pastorali d'oggi. Si favorisca la spontaneità capace di aprirsi all'amore amichevole con il Cristo nell'incontro intimo con il Padre.<sup>1</sup> La pietà, maggiormente orientata verso il mistero della salvezza, sia concretamente inserita nella vita, di cui non deve costituire solo un momento, ma essere l'anima che la vivifica integralmente.

Pur dando il giusto posto alla preghiera spontanea, va tenuto presente che è un'illusione e un errore fondamentale di psicologia e di ascetica credere che l'orazione, fatta nel momento della personale inclinazione, sia per ciò stesso più fruttuosa e che, viceversa, quella richiesta dalla regola comune non solo sia meno fruttuosa, ma produca anche la disaffezione dalla stessa. Va certo coltivata la preghiera spontanea, ma soprattutto va suggerito il modo di renderla personale, interiore.

Bisogna che la pedagogia religiosa faccia vivere le pratiche di pietà come ricerca di vita evangelica, nella quale sinceramente si pone il colloquio con il Padre, per mezzo del Cristo, nello Spirito Santo.<sup>2</sup>

77. *Formazione liturgica dei seminaristi*

3292

[64] I seminaristi vanno formati a partecipare e vivere intensamente la vita liturgica e sacramentale, e non semplicemente ad assistere alle sacre funzioni. Se un giovane non si trovasse nella disposizione di cercare e seguire il Cristo, la liturgia gli apparirebbe forse una fastidiosa esteriorità. Al contrario, gli esercizi di pietà e gli atti liturgici vanno programmati e proposti in modo che siano convenienti ai giovani, e questi li compiano, con animo lieto e volenteroso,<sup>1</sup> perché educati al senso liturgico come ad un modo comunitario di vivere in Dio.

Il ministero del sacerdote, prima ancora di essere opera dell'uomo, è opera del Cristo in persona; perciò il sacerdote deve compierlo secondo lo spirito di lui, sommo sacerdote e pastore eterno. Da ciò si comprende quale profondità debba regnare nell'intimità tra il Cristo e il sacerdote. Ora tutta l'opera educativa nel seminario tende a fare acquistare questa perfezione: vivere interiormente la vita del Signore e prepararsi ad esercitare il ministero sacerdotale nel suo spirito.<sup>2</sup>

<sup>1</sup> Cfr. *Optatam totius*, nn. 4, 16; *Presbyterorum ordinis*, n. 13.

<sup>2</sup> Cfr. *Optatam totius*, n. 8; *Presbyterorum ordinis*, n. 18.

<sup>1</sup> Cfr. SCIC, *Ratio fundamentalis*, cit., n. 14.

<sup>2</sup> Cfr. SCIC, *Ratio fundamentalis*, cit., nn. 44-45.

3293 78. *La meditazione della parola di Dio*

Ponendosi in presenza di Dio nel Cristo, il seminarista ami meditare la parola rivelata, cercando di applicarla alle situazioni del giorno, sia da solo sia in gruppo.<sup>3</sup> Si abitui a considerare tutta la vita cristiana (costumi, istituzioni, persone e dottrina) alla luce del vangelo, nella consapevolezza che è la parola di Dio che giudica e converte la Chiesa. E a questo principio ispirerà tutta l'attività personale e apostolica.

La comunione con il Redentore non consiste solo in una comunione con il suo pensiero, ma soprattutto in una comunione con la sua vita di carità, di cui il mistero pasquale è come l'atto centrale, l'espressione più autentica e più forte (*Rm* 6, 2-11). Dopo il battesimo, il cristiano e tanto più il sacerdote non possono rimanere semplici spettatori di questo mistero, ma devono parteciparvi configurandosi a [65] Colui che è morto per i peccati e risuscitato per la gloria del Padre, diventando così sua manifestazione nel mondo (*Fil* 3, 8-11; *2 Cor* 4, 10; 3, 18).

Questa partecipazione battesimale e presbiterale si realizza solo con il concorso dello Spirito Santo, poiché il mistero pasquale non diviene nostro che per opera di Colui che ne è l'artefice, cioè lo Spirito Santo. Questa spiritualità deve guidare dal di dentro la vita di coloro che sono chiamati al sacerdozio ministeriale.

3. IL SEMINARIO ESPRESSIONE DI CARITÀ ECCLESIALE

3294 81. *Formazione alla carità apostolica*

[...] [67] L'unione a Dio nella preghiera, l'amore del silenzio e delle cose spirituali non impediscono, ma richiedono un interesse apostolico per le vicende della società umana e per i segni dei tempi, che costituiscono un appello alla carità pastorale del futuro sacerdote, al suo servizio sincero e disinteressato.<sup>3</sup> [...]

3295 82. *Progressiva assimilazione al Cristo*

[...] [68] Il sacramento che costituisce pastori fa, di un battezzato, un «eletto dal Cristo» per la salvezza dei fratelli, un «impegnato» di Gesù Cristo nell'amore fraterno (*Fil* 3, 12; *Gal* 1, 10; 5, 13). [...]

<sup>3</sup> Cfr. *Optatum totius*, n. 8.

<sup>3</sup> Cfr. SCIC, *Ratio fundamentalis*, cit., n. 47.

44 DE CAELIBATU SACERDOTALI

#### 4. ESIGENZE E MODALITÀ DEL CONTATTO CON IL MONDO

##### 83. *Nuovi compiti della formazione seminaristica*

3296

[...] [69] Il seminarista dovrà essere aiutato a superare i possibili rischi, le deviazioni e gli equivoci mediante una formazione positiva, teologicamente fondata, circa le scelte che egli si prepara a fare definitivamente con la sacra ordinazione. [...]

## «Iubilare Deo»

Die 14 aprilis 1974 SCCD ad Episcopos volumen «Iubilare Deo» misit, cui Epistula, pluribus linguis exarata, adnexa fuit.

ED. EPISTULAE - Lat.: N 10 (1974) 123-126. Angl.: DOL 523. Hisp.: PLDI n. 80 (1974) 3-6; E 34 (1974) 787. Ital.: EV 5, 259-265. Neer.: Gregoriusblad 98 (1974) 46-47.

3297 [123] Voluntati obsequens Summi Pontificis, qui saepius ac nuper etiam desiderium patefecit, ut omnium nationum christifideles noscant aliquot saltem cantus gregorianos latina lingua canendos — cuiusmodi sunt *Gloria, Credo, Sanctus, Pater noster, Agnus Dei* — <sup>1</sup> haec Sacra Congregatio apparavit hoc libellum, cui titulus «Iubilare Deo», et in quo continetur et proponitur parva quaedam collectio horum sacrorum cantuum gregorianorum.

Nunc autem mihi honori et curae est tibi exemplar huius voluminis mittere, quod tamquam donum ipsius Sanctitatis Suae excipias. Praeterea oblatam occasionem nanciscor, ut pastorali sollicitudini tuae enixe commendem hoc novum inceptum, quod quidem eo etiam spectat, ut aptius consulatur executioni praescripti a Concilio Vaticano Secundo dati: «Provideatur ut christifideles etiam lingua latina partes Ordinarii Missae quae ad ipsos spectant possint simul dicere vel cantare». <sup>2</sup>

3298 Quoties enim fideles una atque communiter precantur, ostendunt simul et multiplicem varietatem alicuius populi collecti «ex omni tribu, lingua et natione», et suam unitatem in fide et caritate. Varietatem illam clare demonstrant plures linguae, quas usurpari licet in ritibus sacris, et congruentes linguae vernaculae cantus. His namque modis religiosus sensus certi cuiusdam populi una cum eadem fidei doctrina transmittitur, ac musicae formae declarantur quae culturae traditionique eiusdem populi respondent. Unitas vero in fide effertur et ostenditur sensibili quodam modo per usum linguae Latinae cantusque Gregoriani, qui, ut notum est, tot saecula comitatus est liturgicas [124]

<sup>1</sup> Cf. Allocutio Summi Pontificis Pauli VI in Audientia publica, die 22 mensis augusti a. 1973; Allocutio ad sodales Consociationis Internationalis Musicae Sacrae, die 12 mensis octobris a. 1973; Epistula Em.mi Card. I. Villot, Secretarii Status, ad Conventum Nationalem Consociationis Italicae a S. Caecilia, data die 30 mensis septembris a. 1973.

<sup>2</sup> *Sacrosanctum Concilium*, n. 54.



Romani ritus celebrationes, qui fidem aluit pietatemque nutrit, qui talem et tantam consecutus est perfectionem ut iure et merito ab Ecclesia existimatus sit proprium patrimonium incomparandae praestantiae, qui denique ab ipso Concilio Vaticano Secundo agnitus est atque acceptus uti «cantus liturgiae Romanae proprius». <sup>3</sup>

Inter renovationis liturgicae praecipua proposita, illud certe est ponendum, ut cantus coetuum vel congregationum fidelium provehatur, quo tandem melius significetur indoles festiva, communitaria atque fraterna rituum sacrorum. Et quidem «formam nobiliorem actio liturgica accipit cum in cantu peragitur, ministris cuiusque gradus ministerio suo fungentibus et populo eam participante». <sup>4</sup> De negotio enim agitur, quod magnopere cordi est illis institutis, ad quos spectat liturgica renovatio, quodque suis non caret difficultatibus et impedimentis. Qua de causa, ut crebrius antehac factum est, Sacra Congregatio pro Cultu Divino rursus adhortatur, ut fidelium cantus foveatur et augeatur. 3299

Ad vernaculae autem linguae cantus quod attinet, eadem liturgica renovatio «occasionem offert temptandarum animi facultatum probandique ingenii proprii ac studii pastoralis». <sup>5</sup> Musici ergo artifices et poetae excitandi sunt et confirmandi ut huic praestabili causae suis viribus opibusque deserviant; ita enim confici poterit popularis cantus, qui reapse dignus sit Dei laude, ritu liturgico vel religioso cui additur, fide ipsa quam patefacit, et veri nominis arte. Incohata igitur a Concilio liturgica instauratione, nova spes novaque meta etiam proponitur musicae disciplinae Ecclesiae et ipsi cantui sacro. «Novus flos et splendor musicae artis religiosae exspectatur hodie, dum unaquaque in natione vulgaris sermo inducitur in ritus sacros. Ei autem deesse non debet omnis pulchritudo et dicendi vis, quae recondita est in musica vere religiosa et cantu rite accommodato». <sup>6</sup> 3300

Verumtamen, id dum feliciter fit, renovatio liturgica non reicit nec spernere potest omnem anteaetam aetatem, sed eam «maxima diligentia custodit»; <sup>7</sup> ipsa magni aestimat quidquid boni continet prae[125]teritum tempus, quidquid momenti prodit in provincia religionis, culturae et artis, atque simul tutatur omnia illa elementa, quae utilia esse possunt ad arctam credentium coniunctionem, vulgo quoque et palam declarandam. Haec ergo collectio parva cantuum Gregorianorum, quam Tibi mitto, satis facere debet eidem necessitati atque efficere, ut fideles sese facilius socient et iungant animi quadam consensione cum universis in fide fratribus cumque viventi saeculorum superiorum traditione. Quapropter studium promovendi cantus in ipsis 3301

<sup>3</sup> Cf. *ibid.*, n. 116.

<sup>4</sup> SRC, *Instr. Musicam sacram*, 5 martii 1967, 5.

<sup>5</sup> Cf. *ibid.*, 54; Allocutio Pauli VI ad sodales Consociationis Italicae a S. Caecilia, habita die 23 mensis octobris a. 1972.

<sup>6</sup> Cf. Allocutio ad sodales Consociationis Internationalis Musicae Sacrae, die 12 mensis octobris a. 1973.

<sup>7</sup> Cf. *Sacrosanctum Concilium*, n. 117.

fideliū congressionibus rationem habeat oportet etiam cantus Gregoriani in lingua Latina.

Quae quidem necessitas eo magis urget, quod Annus Sacer MCMLXXV impendet, quo scilicet Christifideles — lingua, natione, origine — diversi conglobabuntur ad Dominum coniunctim venerandum.

3302 Postremo peculiaris opera danda est ut sana conservetur aequabilitas inter linguae vernaculae cantum et ipsum Gregorianum praesertim ab eis, qui ob peculiare munus colligantur propius cum Ecclesiae vita eiusque magis consciī esse debent. Quam ob rem suadet Sua Sanctitas «ut Gregorianus Cantus servetur atque adhibeatur in coenobiis, domibus religiosis, seminariis tamquam excellentior forma cantus precandi et sicut elementum summi ponderis ad culturam et ad artem paedagogicam quod attinet». <sup>8</sup> Insuper studium et usus Gregoriani cantus «ob peculiare eius notas, fundamentum magni momenti est cultus musicae sacrae». <sup>9</sup>

3303 Cum igitur Tibi hoc Beatissimi Patris donum traderem, opportunum duxi iterum explicare Eius mentem et voluntatem saepius iam indicatam, ut Constitutio conciliaris de Sacra Liturgia plenius accuratiusque deduceretur in effectum. Tuum demum ipsius erit — consiliis collatis cum legitimis institutis dioecesis et nationis, quae liturgiam, musicam sacram, operam pastoralementem et educationem catechetica curant — statuere, qua magis idonea via et ratione fideles doceantur et exsequantur cantus Latinos, qui in libello «Iubilate Deo» continentur, et quo etiam modo conservatio et executio Gregoriani cantus in eisdem illis institutis promoveatur. Haec erit nova ratio ac via, qua liturgica renovatio conferet ad totius Ecclesiae emolumentum.

[126] Volumen, de quo agitur, libere foras emitti poterit atque, ad textus Latinos plenius intellegendos, addi poterit etiam eorum translatio in lingua vernacula.

---

ED. VOLUMINIS: *Iubilate Deo. Cantus gregoriani faciliores quos fideles discant oportet ad mentem Constitutionis Concilii Vaticani II de sacra Liturgia*, Typis Polyglottis Vaticanis 1974.

COMM. - Ital.: S.V. ZACCARIA, in: *Bollettino Ceciliano* 69 (1974) 193-195. Lat.: N 10 (1974) 122.

---

Praenotanda hic referuntur iuxta ed. voluminis.

---

ED. - Angl.: DOL 524.

---

<sup>8</sup> Cf. Epistula Em.mi Card. J. Villot, Secretarii Status ad Conventum Nationalem Conso-  
ciationis Italicae a S. Caecilia, data die 30 mensis septembris a. 1973.

<sup>9</sup> SRC, Instr. *Musicam sacram*, 5 martii 1967, n. 52.

[5] Concilium Oecumenicum Vaticanum II, in Constitutione de sacra Liturgia, ad adhortationem factam, ut linguae vernaculae in celebrationibus liturgicis congruum obtineant locum, hoc monitum addit: «Provideatur tamen ut christifideles etiam lingua latina partes Ordinarii Missae, quae ad ipsos spectant, possint simul dicere vel cantare». <sup>1</sup> Hac mente et ratione ductus, Summus Pontifex PAULUS VI pluries recentioribus temporibus <sup>2</sup> desiderium patefecit, ut cantus gregorius eucharisticas populi Dei celebrationes iucundo suo modulamine comitaretur easdem valenter fovaret, utque fidelium voces cantibus sive gregorianis sive lingua vernacula resonarent.

Optatis Summi Pontificis praesens opusculum respondet, quod dono omnibus mittitur Episcopis. In eo quaedam simpliciores colliguntur melodiae, quae fidelibus — praesertim occasione oblata Anni Sacri — una simul concinendae erunt.

Itaque cantus gregorius vinculum manebit, quod tot populos unam omnino gentem efficiat in nomine Christi uno corde, una mente, una voce, congregatam. Etenim motus ad unitatem, concordia vocum in varietate sermonum, rhythmorum, modulorum signatus, mirifice varium concentum unius Ecclesiae manifestat: «Magnum plane unitatis vinculum — clamat Ambrosius — in unum chorum totius numerum plebis coire! Dispaes citharae nervi sunt, sed una symphonia. In paucissimis chordis saepe errant digiti artificis, sed in populo Spiritus artifex nescit errare». <sup>3</sup>

Faxit Deus, ut commune votum feliciter ad effectum deducatur et his suavisque concentibus in universo terrarum orbe cor precantis Ecclesiae laetanter altiusque consonet.

<sup>1</sup> *Sacrosanctum Concilium*, n. 54.

<sup>2</sup> Die 22 augusti 1973, in audientia generali; die 12 octobris 1973, ad Consociationem Internationalem Musicae Sacrae (CIMS); confer etiam Epistolam Card. Ioannis Villot, Secretarii Status, ad XXIV Hebdomadam Liturgicam Italicam, in civitate Placentina diebus 27-31 augusti 1973 habitam, in: *L'Osservatore Romano*, 27-28 augusti 1973.

<sup>3</sup> S. Ambrosius, *Explanationes psalmorum*, in ps. 1, 9: Pl. 14, 925.

## De celebratione Matrimonii

Die 15 maii 1974 SCDS Instructionem de canonica celebratione Matrimonii coram solis testibus, in casibus particularibus, edidit. Etsi normae huius Instructionis ad usum tantum internum Sacrarum Congregationum, quarum interest, pro tunc permanere debuerunt, tamen textus pluribus in scriptis typis impressus invenitur.

Sacra Congregatio de Disciplina Sacramentorum Prot. N. 23/73 A-g II.

ED. - Gall.: DC 72 (1975) 610. Ital.: EV 5, 295-299.

- 3306 Sacramentalem indolem matrimonii christianorum eiusdemque sanctitatem et dignitatem fidelibus semper inculcavit Ecclesia simul praecavens ne clandestina instituerentur coniugia, unde gravia consequi assolent mala.  
Quibus nimirum de causis canonica celebrandi matrimonii forma statuta est, in qua et ritus sacri, cum adsistentis sacerdotis benedictione, divinam matrimonii originem profitentur supernamque gratiam propitiant, et requisitae legitimae condiciones cum publica *qualificati* testis deputatione publicam pariter initarum nuptiarum faciunt fidem.
- 3307 Contingit autem, hodiernis praesertim temporibus, ut, ubi sacerdotum diaconorumve penuria Ecclesia laboret, obstaculum interdum oriatur ne congruum intra tempus nupturientes coram *qualificato* teste in sacris ordinato ad normam canonis 1094 CIC se sistant consensum matrimoniale declaraturi et benedictionem recepturi; sed et haud aperta sacramentalis significatio extraordinariae illius formae de qua in can. 1098, id efficit ut christifideles ab ipsa abstinendum censeant.  
Quapropter nunnulli sacrorum Antistites preces ad Apostolicam Sedem adhibuerunt ut, cum in canonicis certis circumscriptionibus, adeundi sacerdotis vel diaconi copia desit, laico fidei, apte ad id muneris instructo, facultas concedatur *qualificati* testis officio fungendi in matrimoniorum celebratione.
- 3308 Has porro preces, utpote quae eandem illam sollicitudinem praeseferrant qua permota canonicam formam inducere decrevit Ecclesia, attente perpendi Summus Pontifex iussit. Quod pro suo munere haec Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum sedulo praestare nisa est, iterum atque iterum consulens alia Dicasteria et Officia quorum quavis ratione interesset, et exquirens vota Commissionis Codici Iuris canonici recognoscendo.

Omnibus nunc accurate cribratis, sequentes instructiones, de mandato Summi Pontificis, edere visum est: 3309

1) Firma manente, donec novus CIC promulgetur, disciplina statuta vigente, quae scilicet continetur can. 1094-1113 CIC, Sacris Congregationibus competentibus, pro suo cuiusque territorio, conceditur potestas permittendi Ordinariis locorum qui propriae Conferentiae Episcopalis favorabili obtento voto, argumentis fultam de hoc petitionem miserint, ut catholico fidei a se nominatim selecto facultatem tribuant officio fungendi testis *qualificati* in celebratione canonici matrimonii;

2) modo memorata facultas ad definitum tempus, non ultra biennium, concedatur;

3) ante definiti temporis expirationem, Ordinarius loci ad Apostolicam Sedem distincte referat de concessa facultate deque adiunctis memoratu dignis quae eiusdem facultatis usum sint comitata vel ex eodem consecuta.

In adhibendo autem indulto, hae sunt ad amussim observandae clausulae: 3310

a) Attendendum est officium quo parochi adstringuntur consensum exquirendi et benedictionem impertiendi matrimoniis suorum fidelium, ita scilicet ut, etiam indulto impetrato, ipsi animarum rectores omnibus modis curare debeant personaliter adesse nuptiarum celebrationi, vel saltem in suum ipsorum locum substituere, ubi prorsus hoc fieri possit, sacerdotem alium vel diaconum. Immo vero, de hoc monendus est sacerdos sibi incumbere officium aptam institutionem nupturientibus tradendi. His positis, facultas, de qua agitur, exceptionis ambitum praetergredi non debet, ac propterea ipsa concedenda non est nisi post prudens examen circumstantiarum, et concedi potest tunc solum cum reapse parochus, aliusve sacerdos vel diaconus a parocho delegatus, matrimonii celebrationi adstare non potest.

b) Fidelem catholicum ad id muneris praestandum ipse per se eligat Ordinarius, quavis exclusa delegatione. Porro eligi potest solus fidelis qui undequaque sit dignus, opportuna pollens scientia, et nullo proprii commodi adipiscendi desiderio impulsus; qui insuper ad institutionem nupturientibus tradendam sit capax, et ritui, iuxta ordinem per competentem S. Congregationem pro Cultu Divino statutum persolvendo, ita interesse valeat, ut spiritualis eiusdem significatio pie prodatur.

Curae autem erit electo fidei ut confecti actus — scilicet celebrationis nuptiarum — legitimum conficiatur instrumentum, subsignationibus sponsorum, testium ipsiusque adsistentis fidelis muniendum; illas etiam civiles sollemnitates peragendas ipse curabit, quae observandae sunt vel observari solent cum matrimonium celebratur coram loci Ordinario vel parocho, vel coram sacerdote sive diacono delegato. 3311

Electus tamen catholicus fidelis, quamvis officio fungatur testis *qualificati* Ecclesiae, non gaudet facultate de qua in can. 1044 CIC, dispensandi scilicet ab impedimentis matrimonialibus.

Firmum demum esto extraordinaria hac Apostolicae Sedis dispositione nullatenus abrogari can. 1098 CIC, qui pergit vigere.  
Hanc Instructionem, de mandato Summi Pontificis PAULI VI compositam, die XXIII mensis martii anni 1974 rite idem Pontifex approbavit, mandans ut normae eiusdem Instructionis ad usum tantum internum Sacrarum Congregationum, quarum interest, pro nunc permanerent.

## «Firma in traditione»

Die 13 iunii 1974 Paulus VI per Litteras Apostolicas Motu proprio datas quaedam capita de facultatibus ad Missarum stipendia pertinentibus statuit.

ED. - Lat.: AAS 66 (1974) 308-311. Angl.: DOL 287; J 34 (1974) 414-416. Gall.: DC 72 (1975) 651-652; BNL 8 (1974) 291-293. Hisp.: E 34 (1974) 915-916. Ital.: RL 61 (1974) 710-712; EV 5, 331-337. Neer.: AK 29 (1974) 894-896.

COMM. - Gall.: R. TUCCI, in: DC 72 (1975) 652-653. Germ.: A. MAYER, in: GD 8 (1974) 188-189. Ital.: G. CAPRILE, in: CC 125/III (1974) 137-143; G. CONCETTI, in: OR 28-VI-1974, 1.

[308] FIRMA IN TRADITIONE Ecclesiae positum est, ut fideles, religioso et ecclesiali sensu ducti, Sacrificio Eucharistico, quo actuosius hoc participant, quoddam quasi sacrificium sui ipsorum adiungant, hoc modo consulentes, pro sua parte, necessitatibus Ecclesiae, maxime vero eiusdem ministrorum sustentationi. Quod idem fit secundum spiritum verborum Domini *Dignus est (...) operarius mercede sua* (Lc. 10, 7), quae Paulus Apostolus in prima Epistula ad Timotheum (5, 18) et in prima Epistula ad Corinthios (9, 7-14) memorat.

Qui quidem usus, quo fideles Christo, se hostiam offerenti, arctius sociantur et abundantiorum fructuum copiam inde percipiunt, non solum probatus est ab Ecclesia, sed etiam promotus, quae eum esse existimat veluti signum coniunctionis hominis baptizati cum Christo, necnon fidelis cum sacerdote, qui in eiusdem fidelis bonum suum obit ministerium.

Ut autem eiusmodi sensus integer semper servaretur et adversus quamvis deformationem, quae fieri posset, tutus praestaretur, saeculorum decursu aptae normae sunt constitutae, eo spectantes, ut cultus, quem fideles Deo liberaliter tribuere cuperent, non minore cum observantia et magnanimitate reapse celebraretur. Quoniam vero, singularia ob temporum humanaeque societatis adiuncta, interdum moraliter fieri nequit — ideoque minus aequae contingit — ut onera exquisita et accepta integre impleantur, Ecclesia hisce in casibus necessario cogitur eadem onera congruenter recognoscere; simul autem annititur, ut sibi met ipsi hac in re constet et fidem erga oblatores servet.

[309] Eo praesertim ducti consilio, ut normae, quibus Missarum stipendia — res sane gravis multumque postulans prudentiae — regun-

tur, pari quadam ratione conficerentur, statuimus per notificationem, a Secretaria Status seu Papali die 29 mensis Novembris, anno 1971 (AAS 63 [1971] 841) vulgatam, Nobismet ipsis, interim et ad tempus, reservare omnem deliberationem circa expetitas reductiones, condonationes et commutationes stipendiorum Missarum, suspendentes a die 1 mensis Februarii, anno 1972, cunctas facultates, cuilibet et quoquo modo concessas.

Nunc vero, adeptis quoad praecipua finibus, quorum causa dispositio illa est inducta, tempus advenisse censemus reservationi illi finem imponendi. Ut autem apta huius rei ordinatio novis fulciretur fundamentis neque interpretationibus minus rectis quomodolibet impediretur, innixis in iis, quae praeterita aetate legitima agnosci potuerunt, visum est quidquid de anterioribus facultatibus superesset, nunc auferre.

Attamen, ut necessitatibus aliquo modo occurramus, quibus Nostri in episcopatu Fratres interdum consulere debent, et rationem habentes probatae experientiae, quam haberi contigit usu facultatum iisdem concessarum per Litteras Apostolicas, «Pastorale munus» (AAS 56 [1964] 5-12) et «De Episcoporum muneribus» (AAS 58 [1966] 467-472), motu proprio datas, expedire arbitrati sumus iis, qui Nobiscum ministerium pastorale in Ecclesia participant, nonnullas facultates impertire.

Itaque, re mature perpensa, motu proprio ac de Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine, haec, quae sequuntur, pro universa Ecclesia constituimus atque decernimus:

3314 I. A die prima mensis Iulii, anno 1974, reservatio praedicta, de qua in notificatione Secretariae Status diei 29 mensis Novembris anni 1971 agitur, cessat. Ab eodem ergo die Sacrae Congregationes Romanae Curiae ea resumere valent, quae ipsis circa hanc rem competunt, exercitium tamen eorum ad novas [310] et accuratius definitas normas, sibi seorsum iniunctas, accommodantes. Itaque petitiones, quas circa eandem rem fieri contingat, iisdem Sacris Congregationibus erunt deinceps admovendae.

3315 II. Ab eodem die modo terminali revocantur, quod ad Missarum stipendia attinet, omnes, quae antea viguerunt, facultates, quomodocumque concessae aut quaesitae. Esse igitur desinunt facultates tum cuivis personae, physicae vel morali, concessae a Nobis, aut a Decessoribus Nostriis, etiam vivae vocis oraculo, a Curia Romana, vel ab alia qualibet auctoritate, vi privilegii, indulti, dispensationis, vel qualicumque alia ratione, particulari lege haud excepta; tum facultates quaesitae vi communicationis, consuetudinis, etiam particularis, centenariae vel immemorabilis, praescriptionis, vel qualicumque alia ratione.

Huiusmodi facta revocatione, has tantummodo facultates in posterum vigere statuimus:

a) facultates nunc Sacris Romanae Curiae Congregationibus, de quibus in n. I agitur, concessas;

b) facultates, quae in Litteris Apostolicis «Pastorale munus» motu pro-



prio datis et in «Indicibus Facultatum», quae Ordinariis locorum et Legatis Pontificiis tribui solent, continentur;

c) novas facultates Episcopis, per has Litteras Apostolicas motu proprio datas, impertitas, de quibus infra, n. III, fit sermo.

III. Iis namque personis, quae in Litteris Apostolicis «Pastorale munus» motu proprio datis, memorantur, iisdem quidem servatis conditionibus ibidem statutis, a die item prima mensis Iulii has facultates tribuimus: 3316

a) facultatem permittendi sacerdotibus, qui Missas *binatas* vel *trinatas* in dioecesi celebrant, eas applicandi, stipe percepta, [311] quae in necessitates ab Episcopo dioecesano praefinitas erit eroganda, aut applicandi secundum illas intentiones, quarum causa secus postulanda esset condonatio aut sola reductio. Quae facultas non extenditur ad Missas binatas concelebratas, de quibus agitur in Declaratione Sacrae Congregationis pro Cultu Divino, die 7 mensis Augusti, anno 1972 edita, n. 3, b (AAS 64 [1972] 561-563), pro quibus stipendium quolibet titulo percipi vetatur;

b) facultatem reducendi, pro ratione redivitis imminutis congruenti, onus quo Capitula cathedralia vel collegialia gravantur, Missam conventualem cotidie pro benefactoribus applicandi, excepta tamen, singulis mensibus, una saltem Missa conventuali;

c) facultatem transferendi, congrua de causa, onera Missarum in dies, ecclesias vel altaria diversa ab illis, quae in foundationibus sunt statuta.

Hae normae vigere incipiunt a die 1 insequentis mensis Iulii.

Quaecumque vero a Nobis hisce Litteris motu proprio datis decreta sunt, ea omnia firma ac rata esse iubemus, contrariis quibusvis, etiam specialissima mentione dignis, non obstantibus.

## De Missali Romano

Die 28 octobris 1974 SCCD Notificationem de Missali Romano emisit.

ED. - Lat.: N 10 (1974) 353. Angl.: DOL 219. Gall.: DC 72 (1975) 58; BNL 9 (1975) 150. Hisp.: PLDI n. 83 (1975) 3-4; E 35 (1975) 931. Ital.: EV 5, 399-401; RL 62 (1975) 411. Neer.: Analecta Aartsbisdom Utrecht 48 (1975) 73.

COMM. - Hisp.: J.M. BERNAL, in: Ph 15 (1975) 426-429.

- 3317 [353] Conferentiarum Episcopaliū munera de conficiendis popularibus interpretationibus librorum liturgicorum necnon normae de eandem confirmatione a Sede Apostolica debite exquirenda antea ab hac S. Congregatione definita sunt, approbante Summo Pontifice, per *Notificationem* diei 14 iunii 1971. Quae quidem gradatim ubique terrarum ita in usum sunt deducta, ut, sufficienti temporis spatio transacto, id operis iam fere perfectum esse constet. Quod autem ad Missale Romanum attinet, quoties Conferentia Episcopalis statuit Missale Romanum in lingua vernacula, vel etiam quandam eius partem, v. gr. *Ordo Missae*, in sua regione assumi debere, tunc sive lingua latina sive lingua vernacula Missam celebrare licet *tantummodo* iuxta ritum Missalis Romani auctoritate Pauli VI promulgati, die 3 mensis aprilis 1969. Circa normas vero, quae ab hac S. Congregatione editae sunt in bonum sacerdotum, qui ob provectam aetatem vel infirmitatem graves experiantur difficultates in novo Ordine Missalis Romani vel Lectionarii Missae servando, patet facultatem ab *Ordinario* concedi posse Missale Romanum iuxta editionem typicam anni 1962, per Decreta annorum 1965 et 1967 accommodatum, sive ex parte sive ex toto retinendi, sed *tantummodo* pro celebratione Missae *sine populo*. Nequeunt tamen Ordinarii huiusmodi facultatem tribuere pro celebratione Missae cum populo. Invigilent potius iidem Ordinarii, tum locorum tum religiosorum, ut, salvis ritibus liturgicis non Romanis, ab Ecclesia legitime agnitis, et nonobstante praetextu cuiusvis consuetudinis etiam immemorabilis, Ordo Missae novi Missalis Romani ab omnibus ritibus Romani sacerdotibus et fidelibus recte accipiatur et maiore usque studio ac pietate comprehendatur in iis, quos continet, thesauris sive divinatorum Verborum sive liturgicae pastoralisque doctrinae.

## Preces eucharisticae

Die 1 novembris 1974 SCCD tres Preces eucharisticas pro Missis cum pueris et duas pro Missis «De reconciliatione» ad experimentum edidit. Textus Precum Conferentiis Episcoporum eos petentibus transmissi sunt, dum normae statutae necnon Praenotanda publici iuris facta sunt.

ED. EPISTULAE - Lat.: N 11 (1975) 4-6. Angl.: DOL 249. Gall.: DC 72 (1975) 369-370.

[4] Postquam de Precibus eucharisticis litterae circulares ab hac Sacra 3318

Congregatione die 27 maii 1973 editae sunt, nonnullae Conferentiae Episcopales et Episcopi e diversis orbis regionibus Apostolicae Sedis petitiones attulerunt ad novas Preces eucharisticas obtinendas pro Missis quae cum pueris celebrantur et pro Missis de reconciliatione.

Etenim Directorium de Missis cum pueris, die 1 novembris 1973 editum, generatim postulat ut orationes praesidentiales compositae pro fidelibus adultis, in Missis cum pueris ita adaptentur, ut a pueris tamquam expressio vitae propriae religiosae considerari possint.<sup>1</sup> At ad nobilissimam orationem praesidentialem quod attinet, id est Precem eucharisticam, idem documentum statuerat solas quattuor Preces eucharisticas approbatas etiam cum pueris adhibendas esse «donec Apostolica Sedes pro Missis cum pueris aliter provideat».<sup>2</sup>

Ex altera parte occasione celebrationis Anni Sancti valde utilis et opportuna visa est peculiaris Prex eucharistica, quae etiam occasione celebrationum paenitentialium adhiberi posset, eo praesertim cum thema fundamentale varios praebeat aspectus, qui in gratiarum actionem et benedictionem Precis eucharisticae culmen attingunt.

Summus Pontifex Paulus VI legitimas postulationes consideravit et huic Sacrae Congregationi commisit ut aliquas formulas peculiare Precis eucharisticae pro supradictis occasionibus appareret.

Tria ergo schemata Precum eucharisticarum pro Missis cum pueris et duo «de reconciliatione» confecta sunt et iudicio Summi Pontificis submissa. Qui, die 26 octobris 1974, ea quae sequuntur statuit:

1. Preces eucharisticae quae hoc fasciculo continentur, approbatae 3319  
sunt *ad experimentum et ad triennium*, scilicet usque ad finem anni

<sup>1</sup> Cf. Directorium de Missis cum pueris, n. 51: AAS 66 (1974) 44.

<sup>2</sup> *Ibid.*, n. 52: AAS 66 (1974) 45.

1977. Prex «de reconciliatione» adhiberi potest quando peculiare celebrationes fiunt super themata de reconciliatione et de Paenitentia, praesertim tempore Quadragesimae, occasione peregrinationum vel conventus spiritualis.

Textus tamen in editiones officiales Missalis Romani inseri nequeunt.

- 3320 2. Supradictae Preces eucharisticae ad Conferentiarum Episcopaliū Praesides, qui eas petunt, mittuntur. Quaevis autem Conferentia Episcopalis *unam tantum* Precem eucharisticam pro Missis cum pueris et *unam* «de reconciliatione» eligere potest.<sup>3</sup>
- 3321 3. Textus a Conferentia Episcopali electi interpretatio popularis approbetur et huic Sacrae Congregationi proponatur pro confirmatione. Tantum post confirmationem Apostolicae Sedis adhiberi potest. Interpretatio popularis textus selecti cum quadam libertate fieri potest ut exigentiis et indoli cuiusque linguae plene respondeat et a textu latino aliquantulum differre potest, iuxta ea quae in Praenotandis pro Missis cum pueris, nn. 9-11, dicuntur. *Structura* tamen Precis eu[6]charisticae et significatio textus servanda sunt, ac *fideliter et litteraliter* interpretandae formulae consecrationis, quae eadem esse debent in omnibus Precibus eucharisticis.
- 3322 4. Usus Precis eucharisticae pro Missis cum pueris limitatur ad Missas quae pro ipsis tantum celebrantur, aut ad illas in quibus maior pars participantium ab ipsis constituitur.<sup>4</sup> Communitas puerorum ea intelligitur quae a Directorio pro Missis cum pueris consideratur, constans scilicet puerorum qui nodum in aetatem, quam vocant praeadulescentiam, intraverunt.<sup>5</sup> Ii quibus facultas concedetur ut «ad experimentum» adhibere valeant supradictas Preces, condiciones supra indicatas stricte servare tenentur.

---

ED. TEXTUUM - Angl.: *Eucharistic Prayers for Masses with Children and for Masses of Reconciliation* (ad interim), Washington 1975; *Eucharistic Prayers for Masses with Children* (ad interim), Washington 1977. Gall.: *Prières eucharistiques pour la réconciliation et pour assemblées d'enfants*, Paris 1975; Ph. BÉGUERIE - J. EVENOU, *Eucharisties de tous pays*, Paris 1975, 59-91; *Prières eucharistiques pour assemblées à majorité d'enfants*, in: *Célébrer la messe avec les enfants*, Lyon-Paris 1975, 105-123; <sup>2</sup>1983, 171-184. Germ.: *Vier Hochgebete bei besonderen Anlässen. Votivhochgebet "Versöhnung". Drei Hochgebete für Messfeiern mit Kindern. Studienausgabe*, Einsiedeln 1975;

<sup>3</sup> Tamen, rationabiles petitiones ad largiorem concessionem obtinendam benigne a Sancta Sede, singulis in casibus, perpenduntur (E communicatione Secretariae Status Summi Pontificis, diei 26 ianuarii 1975, Prot. n. 272908).

<sup>4</sup> Directorium de Missis cum pueris, n. 19: AAS 66 (1974) 35.

<sup>5</sup> *Ibid.*, n. 6: AAS 66 (1974) 31.

*Fünf Hochgebete. Hochgebet zum Thema "Versöhnung". Hochgebete für Meßfeiern mit Kindern. Studienausgabe für die Bistümer des deutschen Sprachgebietes mit einem Anhang: Hochgebet für Meßfeiern mit Gehörlosen*, Einsiedeln 1980. *Hisp.*: *Subsidia Liturgica* 26, Madrid 1975. *Ital.*: *La messa dei fanciulli*, Roma 1976; *Preghiere eucaristiche della riconciliazione*, Roma 1977; *Messale Romano*, Roma 1983, 911-926. *Lus.*: *Orações eucarísticas das Missas com Crianças e das Missas da Reconciliação*, Coimbra 1980.

*COMM.* - *Germ.*: H. RENNINGS, in: *GD* 8 (1974) 177-179; *Id.*, in: *GD* 9 (1975) 92-93; R. SAUER, *ibid.*, 105-107. *Hisp.*: J. BELLAVISTA, in: *Ph* 15 (1975) 309-314; J. ALDAZABAL, in: *Dossiers CPL* 20, Barcelona 1983, 53-88. *Ital.*: D. SARTORE, in: *RL* 65 (1978) 241-248; F. BROVELLI, *ibid.*, 357-369; E. MAZZA, *Le odierne Preghiere eucaristiche*. 1, Bologna 1984, 237-254 et 265-282. *Neer.*: E. DE JONG, in: *TvL* 62 (1978) 321-334.

*Normae pro adhibendis Precibus eucharisticis hic referuntur iuxta N* 11 (1975) 7-12.

*ED.* - *Angl.*: *DOL* 250. *Ital.*: *RL* 62 (1975) 591-593; *L* 9 (1975) 180-182; *EV* 5, 403-407.

## PRECES EUCHARISTICAE PRO MISSIS CUM PUERIS

### PRAENOTANDA

- [7] 1. Textus Precis eucharisticae pueris aptati eos adiuvare debent, 3323  
ut cum maiore fructu Missas adulatorum participant.  
Ita Directorium de Missis cum pueris statuit quosdam textus Missae pueris numquam esse adaptandos, «ne differentia inter Missas cum pueris et Missas cum adultis nimia evadat». Inter-quos textus «acclamationes et responsiones fidelium salutationibus sacerdotis» enumerantur. 1. Proinde in his Precibus eucharisticis dialogus Praefationis semper idem est ac in Missis cum adultis. Idem valet de cantu «Sanctus», salvis iis quae infra sub nn. 18 et 23 dicuntur.
2. Pariter iuxta Constitutionem Apostolicam «Missale Romanum», 3324  
ipsa verba Domini in qualibet Canonis formula una eademque sunt. 2
3. Ut pro pueris clarius in his verbis distinguantur ea quae super panem et vinum dicuntur, et ea quae de iteranda celebratione agunt, ante verba «Hoc facite in meam commemorationem» introducta est sententia: «Deinde dixit ad eos». 3325

<sup>1</sup> Cf. Directorium de Missis cum pueris, n. 39: *AAS* 66 (1974) 41-42.

<sup>2</sup> *AAS* 61 (1969) 219.

- 3326 4. Quaevis e tribus Precibus eucharisticis pro Missis cum pueris omnia elementa continet, e quibus iuxta n. 55 Institutionis generalis Missalis Romani Prae eucharistica constat, salvis raris quibusdam exceptionibus.
- 3327 5. Non tantum adsunt elementa requisita, sed etiam, simpliciore quidem loquela, pueris adaptata, ea exprimunt quae iuxta traditionem, ex. gr. in anamnesi vel epiclesi, semper expressa sunt.
- 3328 6. Etsi sermo facilius selectus sit, redactores semper prae oculis habuerunt vitandi periculum «infantilismi», quod vocant, quo dignitas celebrationis eucharisticae periclitaretur, praesertim si verba ab ipso celebrante proferenda ab eo efficerentur.
- 3329 [8] 7. Cum principia actuosae participationis pro pueris quodammodo a fortiori valeant, ad talem participationem augendam et impensio-riorem reddendam<sup>3</sup> numerus acclamationum in Precibus eucharisticis pro Missis cum pueris auctus est, quin indoles Prae eucharisticae tamquam orationis *praesidentialis* obscuraretur.
- 3330 8. Quia sat difficile est unam tantum Praem eucharisticam in toto orbe terrarum pro Missis cum pueris adhibere, respectu habito differentiae culturalis et ingenii diversorum populorum, opportunum visum est saltem tres textus diversae indolis (de qua infra sub nn. 23-25) proponere.

*De redactione harum Prae in diversis linguis*

- 3331 9. Conferentiae Episcopalis erit unum e schematibus hic propositis seligere et curare ut textus in lingua vernacula redigatur qui plene respondeat exigentiis pastoralibus, paedagogicis et liturgicis. Hic textus a Conferentia Episcopali approbari debet et Apostolicae Sedi pro confirmatione mittatur.
- 3332 10. Optandum est ut talis labor redigendi coetui cuidam concedatur e viris et mulieribus non tantum in re liturgica, sed etiam in re paedagogica, catechetica, litteraria et musicali competentibus.
- 3333 11. Talis coetus semper prae oculis habeat textum latinum hac vice destinatum non esse ad usum liturgicum; exinde eum non simpliciter vertendum esse.
- Textus latinus determinat quidem finem, substantiam et formam generalem harum Prae, quae eadem esse debent in interpretationibus diversarum linguarum. Quae autem sunt propria linguae latinae (quae numquam stilum proprium loquendi cum pueris excoluit), nempe praeferebantur pro constructione quam vocant hypotacticam, stilus quodammodo ornatus et redundans, sic dictus «cursus», nullatenus transponenda sunt in ipsos textus vernaculos usui liturgico destinatos. Quorum loquela sit in omnibus adaptata genio diversarum linguarum

<sup>3</sup> Cf. Directorium de Missis cum pueris, n. 22: AAS 66 (1974) 36.

simul et modo quo in diversis linguis cum pueris sermo fit, quando agitur de rebus magni momenti. Quae omnia a fortiori valent si agitur [9] de linguis, quae a lingua latina magis distant, praesertim de linguis non occidentalibus. Exemplum redactionis pro unaquaque Prece eucharistica in aliqua lingua occidentali ad utilitatem translatorum affertur.

12. Bene discernatur in his textibus redigendis diversa *genera litteraria*, quae in Prece eucharistica occurrunt: Praefatio, intercessionem, acclamationes, iuxta sana principia quae in instructione diei 25 ianuarii 1969 pro interpretationibus textuum liturgicorum enuntiata sunt. <sup>4</sup> 3334

13. Curent insuper Conferentiae Episcopales ut pro partibus in his Precibus ab ipsis pueris cantandis *modi musici* iuxta genium diversarum regionum apparentur. 3335

#### *De usu liturgico harum Precum*

14. Usus harum Precum ad Missas cum pueris celebrandas omnino limitetur, salvo tamen iure Episcopi, quod in Directorio de Missis cum pueris statutum est. <sup>5</sup> 3336

15. E tribus Precibus eligatur illa quae conditioni puerorum magis respondere videtur: sive prima propter maiorem simplicitatem, sive altera propter ditioem participationem, sive tertia propter variabilitatem. 3337

16. Acclamationes novae facile in usum liturgicum deduci possunt, si, praeunte cantore vel aliquo e pueris, ab omnibus cantando vel pronuntiando repetuntur. In textibus autem lingua vernacula apparandis cura habeatur ut acclamationes facile introducantur, v.g. quodam verbo typico ad acclamationem invitante. 3338

17. Licet Conferentiis Episcoporum loco acclamationum novarum, quae in his Precibus eucharisticis inveniuntur, alias introducere dummodo eundem praeseferant spiritum. 3339

[10] 18. Necessae est ut etiam pueri «Sanctus» cantare vel pronuntiare addiscant, firma tamen lege quod interdum pro hoc cantu «ad faciliorem reddendam participationem puerorum ... adhibere licet cum modis musicis aptas interpretationes populares ab auctoritate competente receptas, etiamsi in omnibus cum textu liturgico non concordet». <sup>6</sup> Ubiqumque autem, in diversis populis, viget mos cantandi modo responsoriali, licet Conferentiae Episcoporum permittere ut «Sanctus» responsorialiter cantetur. 3340

<sup>4</sup> Cf. Consilium ad exsequendam Constitutionem de S. Liturgia, *Instruction sur la traduction des textes liturgiques pour la célébration avec le peuple*, 25 ianuarii 1969: N 5 (1969) 3-12.

<sup>5</sup> Cf. Directorium de Missis cum pueris, n. 19: AAS 66 (1974) 35.

<sup>6</sup> Cf. *ibid.*, n. 31: AAS 66 (1974) 39.

- 3341 19. Paululum mutatus est locus acclamationis fidelium, quae fit consecratione terminata, et quidem ex rationibus paedagogicis. Ut pueris clare appareat nexus inter verbum Domini: «Hoc facite in meam commemorationem» et anamnesim a sacerdote celebrante prolatam. Acclamatio aut anamnetica aut laudativa non fit nisi post anamnesim prolatam.
- 3342 20. Ad participationem puerorum fovendam licet iuxta Directorium de Missis cum pueris causas particulares ad gratias agendas inserere ante dialogum praefationis.<sup>7</sup> Etiam quoad participationem per gestus et habitus corporis valent ea quae in Directorio sub n. 33 dicta sunt. Prae omnibus autem magni fiat participatio interna; quae in n. 23 de celebratione festiva, fraterna, meditativa dicuntur, peculiari modo valent de Prece eucharistica.
- 3343 21. Ad hanc participationem internam, quae pastoribus puerorum maxime cordi esse debet, fovendam, opus est ut celebrationem praecedat et sequatur diligens instructio catechetica. Inter textus, quos haec catechesis pueris apte elucidabit, eminent locus convenit precibus quae in culmine ipsius celebrationis eucharisticae pro pueris deinceps adhibentur.<sup>8</sup>
- 3344 22. Rubricae singularum Precum eucharisticarum quae in textu latino inveniuntur, inserendae sunt omnes in textum vulgari sermone exaratum.  
[11] Rubricae speciales pro concelebratione, uti in quattuor Precibus eucharisticis, iam introductis, inveniuntur, in his Precibus desunt, quia intuitu psychologiae puerorum a concelebratione potius abstinendum esse videtur, quando Missa cum pueris celebratur.

a) *De Prece eucharistica I*

- 3345 23. Ut pueri facilius cantui «Sanctus» assuefiant, Prex prima eum in has partes dividit, quae acclamatione «Hosanna in excelsis» concluduntur. Iuxta ea quae supra n. 16 dicta sunt, hae acclamationes cantari vel pronuntiari possunt, cantore vel uno e pueris praeunte. Tertia vice, quando cantandum est «Sanctus, sanctus, sanctus» totus cantus ab omnibus cantari vel recitari potest. Post anamnesim huius Precis loco acclamationis simplicioris in textu praevisae cantari potest una ex iis, quae pro quattuor Precibus eucharisticis approbatae sunt.

b) *De Prece eucharistica II*

- 3346 24. In Prece eucharistica altera, salvo cantu «Sanctus», et salva acclamatione post anamnesim, ceterae acclamationes ad libitum adhiberi possunt. Acclamationes quae insertae sunt post verba Domini super

<sup>7</sup> Cf. Directorium de Missis cum pueris, n. 22: AAS 66 (1974) 37.

<sup>8</sup> Cf. *ibid.*, n. 12: AAS 66 (1974) 33 f.



panem et super vinum prolata, considerari et cantari debent tamquam meditatio communis de mysterio eucharistico.

c) *De Prece eucharistica III*

25. In Prece eucharistica tertia partes variables pro una tantum occasione indicantur nempe pro tempore paschali. Mens est ut pro aliis temporibus et occasionibus tales partes variables a Conferentiis Episcoporum approbentur et post debitam confirmationem ad Apostolica Sede iuxta Litteras circulares de Precibus eucharisticis n. 10 in usum liturgicum introducantur. <sup>9</sup> In redigendis his textibus sedulo provideatur ut tres partes (Praefatio, pars «post Sanctus», epiclesis) sibimet invicem apte respondeant.

Eadem acclamatio, post consecrationem, ter eodem modo recurrit, ut pueris indoles laudativa et eucharistica totius Precis insinuetur.

PRECES EUCHARISTICAE PRO MISSIS «DE RECONCILIATIONE»

PRAENOTANDA

[12] 1. Opportunum esse videtur intentiones pro Anni Sancti celebratione iterum iterumque a Summo Pontifice propositas in celebrationibus liturgicis, praesertim in Missae sacrificio, ipsa Prece eucharistica minime exclusa, resonare. Hac de causa duo textus Precis eucharisticae exarati sunt, qui aspectus reconciliationis, quatenus obiectum gratiarum actionis esse possunt, in lucem ponunt. 3348

2. Conferentia Episcopalis unum textum eligere potest qui in suo territorio adhiberi valeat, Anno Sancto perdurante, in Missis, quarum celebratione intentiones huius Anni inculcantur, Anno Sancto autem elapso, in Missis, quibus mysterium reconciliationis peculiari modo fidelibus insinuetur. 3349

3. Textus propositi omnia elementa continent, e quibus iuxta n. 55 Institutionis generalis Missalis Romani Prex eucharistica constat. Ordo talium elementorum idem est ac in Precibus eucharisticis II-IV Missalis Romani. 3350

4. Rubricae in textibus latino sermone exaratis referuntur. Ad utilitatem eorum, qui versiones in linguas populares parare debent, pro unaquaque Prece versio in aliqua lingua occidentali additur. Cum quaedam Prex eucharistica in lingua vulgari evulgatur, item rubricae ponendae sunt. 3351

<sup>9</sup> AAS 65 (1973) 344.

## Graduale simplex

Die 22 novembris 1974 SCCD Editionem typicam alteram Gradualis simplicis promulgavit.

ED. DECRETI - Lat.: N 11 (1975) 292; EL 90 (1976) 504-505. Angl.: DOL 536. Ital.: EV 5, 491.

- 3352 [292] Cantus faciliores ad Ordinem et ad Proprium Missae spectantes publici iuris facti sunt *Kyriali simplici*, anno 1965, et *Graduali simplici*, anno 1967, ad obtemperanda praecepta Constitutionis de sacra Liturgia Concilii Vaticani II de paranda editione simpliciores gregorianos modos continente in usum minorum ecclesiarum (n. 117). Interim, post instaurationem Calendarii Romani generalis, libri Psalmorum secundum Novam Vulgatam et librorum liturgicorum pro celebratione Missae, nova ordinatio cantuum Gradualis Romani facta est *Ordine Cantus Missae*, anno 1972. Iuxta quam etiam emendanda et complenda erant *Graduale simplex* et *Kyriale simplex*, quae nunc in unum volumen eduntur. Hanc ergo novam editionem Gradualis simplicis, a Summo Pontifice PAULO VI approbatam, Sacra Congregatio pro Cultu Divino nunc emittit et typicam eam declarat ut adhiberi possit in sacris celebrationibus iuxta normas in ipso Graduali simplici traditas.

ED. VOLUMINIS: *Graduale simplex. Ed. typ. altera*, Typis Polyglottis Vaticanis 1975.

Praenotanda hic referuntur iuxta ed. typ. alteram:

ED. - Lat.: N. 11 (1975) 293-296. Angl.: DOL 537. Ital.: EV 5; 493-501.

## I. De natura huius editionis

- 3353 [VII] 1. Cantum sacrum et actuosam fidelium participationem in sacris celebrationibus in cantu peractis fovere cupiens, Sacrosanctum

Oecumenicum Concilium Vaticanum II, in Constitutione de sacra Liturgia edixit ut, praeter typicam gregorianarum melodiaram editionem complendam, pararetur «editio simpliciores modos continens, in usum minorum ecclesiarum» (n. 117). Cui voto Concilii Patrum obtemperans, a viris peritis haec editio apparata est pro cantibus ad Ordinarium et ad Proprium Missae statutis, atque iis ecclesiis destinata est, quibus difficile evadat ornatiores Gradualis Romani melodias recte interpretari.

2. Graduale Romanum summo honori Ecclesiae sit ob miros artis pietatisque sensus, quibus abunde praeditum est, et suum integrum valorem servet. Ideo optandum est ut, iuxta novam eiusdem ordinationem in *Ordo Cantus Missae* (Typis Polyglottis Vaticanis 1972), iis in ecclesiis congrue adhibeatur, quae schola cantorum necessaria institutione technica praedita fruuntur, ut ornatiores modos debite assumere valeant. 3354

Immo commendatur ut etiam in minoribus ecclesiis, quae Graduale simplex adhibent, aliquae partes, praesertim vero quae faciliores aut magis in usu apud populum traditio more habentur, e Graduali Romano retineantur.

3. Utriusque ergo libri thesaurus non necessario separatim est adhibendus; immo aliqua permixtio formarum ex utroque fonte depromptarum in maiorem et iucundam varietatem cedere potest. 3355

[VIII] 4. Sapienti proinde consilio si adhibeatur, Graduale simplex thesaurum musicum gregorianarum melodiaram nedum pauperiorem reddat, ipsum ditiolem efficit. Et primo quidem ad textuum selectionem quod attinet, cum alios in usum liturgicum inducat, qui usque adhuc in Missali Romano non habentur; secundo etiam ad melodias quod spectat, cum aliae non paucae e thesauro authentico fontium gregorianorum accipiantur et proponantur; tertio vero sub respectu quoque pastoralis, eo quod facultatem praebet celebrationes in cantu peragendi etiam in minoribus coetibus. 3356

## II. De criteriis adhibitis

5. Ut eucharistica celebratio forma nobiliore, idest in cantu, ubique peragi posset, atque in ea fidelium participatio obtineri, necesse omnino erat ut melodiae simplices haberentur. 3357

6. Quae tamen simplices melodiae ex ornatoribus, in Graduali Romano exstantibus, derivari non poterant, cum ex iis notas aliquas aut melismata auferre nullo modo liceret; neque operi consentaneum, visum est neo-gregorianas melodias pro textibus Missalis Romani ex novo conficere. 3358

7. Proinde melodiae authenticae, quae fini proposito responderent, exquisitae sunt e thesauro cantus gregoriani, tum e typicis editionibus iam exstantibus, tum e manuscriptis fontibus sive Ritus Romani sive aliorum rituum latinorum. 3359

- 3360 8. Sed ex hac nova melodiaram selectione factum est ut textuum quoque nova series oriretur: nam rarissime melodia simplex inventa est cum iisdem verbis in Missali exstantibus connexa. Quoties ergo huiusmodi congruentia haberi non potuit, partes selectae sunt, quae verba [IX] praeberent textui Missalis Romani similia aut saltem, quoad sensum, propinqua. Saepius tamen textus antiphonae, e psalmo depromptae, quae melodia simplici caret et ideo tamquam antiphona proponi non potuit, in ipso psalmo, post antiphonam decantando, tamquam versus occurrit.
- 3361 9. Cum igitur hi novi textus solummodo ex musicalibus rationibus selecti sint, iis sine notis musicis ullo modo uti liceat.

### III. De cantibus Kyrialis simplicis

- 3362 10. Partes ita disponuntur, ut quinque schemata simplicia Ordinarii Missae efficiant, quae tamen nullam ex se relationem habent cum gradu festivitatis dierum liturgicorum. Ex his primum peculiari modo desiderio Concilii respondet: «Provideatur ut christifideles etiam lingua latina partes Ordinarii Missae quae ad ipsos spectant possint simul dicere vel cantare» (Const. n. 54). Attamen singulae partes numeris progredientibus distinguuntur, quo facilius evadat, si placet, Ordinarium Missae, partibus ex diversis schematibus selectis, componere.
- 3363 11. In fine hymni *Gloria in excelsis*, e ritu ambrosiano derivati, ponitur *Amen* simplicius, quod tamen a germana antiquiore traditione haud discrepat.
- 3364 12. Nihil prohibet quominus populus non totum *Agnus Dei* decantet, sed tantum respondeat per verba *miserere nobis et dona nobis pacem*.

### IV. De forma cantuum Missae

- 3365 13. Pro cantibus ad introitum, ad offertorium et ad communionem forma adhibetur, quae constat antiphona post psalmi versus resumenda.
- 3366 [X] 14. Pro cantibus inter lectiones occurrentibus invenitur, iuxta diversa anni tempora:
- a) psalmus responsorius, cum responso psalmodico aut alleluiatico;
  - b) psalmus absque responso qui, tradito nomine, *tractus* appellatur;
  - c) Alleluia cum aliquibus versiculis psalmi tempore quo canitur *Alleluia*, vel alia acclamatio non alleluiatica ad Evangelium pro tempore Quadragesimae.

## V. De structura schematum Missarum

15. In Proprio de Tempore, praeter in Quadragesima, non singulae dominicae proprios cantus habent, sed pro singulis temporibus liturgicis unum vel plura praebentur schemata cum facultate ea per dominicas eiusdem temporis assumendi. Singulae tamen celebrationes Domini proprios cantus habent. 3367
16. In Proprio Sanctorum, cantus Missae inveniuntur proprii pro celebrationibus, quae dominicae occurrenti praevalent. 3368
17. Communia Sanctorum eodem modo ordinantur ac Communia Missalis Romani, ea tamen lege ut pro singulis Sanctorum ordinibus unum tantum praebatur schema, cum pluribus tamen cantibus pro diversis Missae partibus, ita ut liceat unum vel alterum ex ipsis seligere qui Sancto melius congruat. 3369

## VI. De personis quae ad cantus Gradualis simplicis exsequendos requiruntur

18. Attento principio in Constitutione de sacra Liturgia proposito, ut «quisque, sive minister sive fidelis, munere suo fungens, solum et totum id agat, quod ad ipsum [XI] ex rei natura et normis liturgicis pertinet» (n. 28), ex structura cantuum Gradualis simplicis: 3370
- a) *Cantor* antiphonas inchoat, atque versus psalmodiarum proponit, populo respondente. Psalmus potest etiam a schola cani.
- b) *Coetus fidelium* antiphonas, et responsoria ad psalmos inter lectiones occurrentes, cantare debet. Pars fidelium aliquando etiam scholae tribui poterit; convenit tamen ut saltem responsoria ad psalmos inter lectiones occurrentes, attenta eorum natura eorumque facilitate ad cantum, ab universo coetu proferantur.

## VII. De usu Gradualis simplicis

19. Ad introitum, offertorium et communionem canitur antiphona cum uno vel pluribus versibus psalmi pro opportunitate. Antiphona resumitur post versus psalmi; versiculi tamen libere seligi possunt, etiam aliquibus ex iis, qui proponuntur, omissis, ita, tamen, ut locutio integra habeatur. Ad introitum et ad communionem in fine cantari potest *Gloria Patri* et *Sicut erat*, ex duobus unico versu effecto, prout in tonis communibus notatur. In canendo psalmo, duo servantur elementa particularia toni psalmodici, nempe: initium, quo finis antiphonae connectitur cum tenore psalmi; et terminatio, qua finis toni psalmi connectitur cum initio antiphonae. 3371
20. Cantus inter lectiones hac ratione ordinantur: 3372
- Quando fiunt duae lectiones ante evangelium, cantus sic ordinantur:
- 1) Extra Quadragesimam et tempus paschale, post primam lectionem

cantatur psalmus responsorius; post alteram: vel psalmus alleluiaticus, vel antiphona *Alleluia* cum versibus suis.

[XII] 2) In Quadragesima, post primam lectionem: psalmus responsorius prior; post alteram: vel psalmus responsorius alter, vel antiphona acclamationis, vel tractus.

3) Tempore paschali, post primam lectionem: psalmus alleluiaticus prior vel alter; post alteram: vel alter, vel antiphona *Alleluia* cum versibus suis.

Quoties una tantum fit lectio ante evangelium, sumitur unus tantum e congruis cantibus ad libitum eligendus.

E psalmo autem quinque saltem versus, ad libitum, si plures proponuntur, seligendi, semper canuntur.

- 3373 21. Quando plura pro eodem tempore exhibentur schemata, unum vel alterum ad libitum, prout magis opportunum visum fuerit, eligi potest. Immo possunt etiam aliae partes ex uno assumi, aliae ex altero. Ad communionem cantari potest semper psalmus 33 *Benedicam Dominum*, cum R. *Alleluia* vel *Gustate*. Immo possunt etiam cantari ad libitum alii cantus apti, ut notatur in fine voluminis, p. 462.

## De Declaratione «Nostra aetate»

Die 1 decembris 1974 SCU Notas directivas et Indicationes, a Commissione pro religiosis necessitudinibus cum Hebraismo fovendis lingua gallica exaratas, de n. 4 Declarationis Concilii Vaticani II «Nostra aetate» recte applicando edidit; in quibus Notis et Indicationibus etiam de vinculis inter Liturgiam christianam et Liturgiam iudaicam existentibus disseritur.

ED. - Gall.: AAS 67 (1975) 73-79; BNL 9 (1975) 188-193; DC 72 (1975) 59-61; EL 90 (1976) 500 (partim). Angl.: DOL 158 (partim). Germ.: NK 49 (1976) 32-40; HK 29 (1975) 65-68; US 30 (1975) 30-34. Ital.: EV 5, 503-515; Unitas 30 (1975) 49-54. Neer.: AK 30 (1975) 95-99; Analecta Aartsbisdom Utrecht 48 (1975) 75-81.

COMM. - Germ.: W.P. ECKERT, in: NK 49 (1975) 7-31.

[73] [...] Bien que le christianisme soit né dans le judaïsme et qu'il en ait reçu certains éléments essentiels de sa foi et de son culte, le fossé s'est creusé de plus en plus au point d'en arriver presque à une méconnaissance de part et d'autre. [...]

## II. Liturgie

[75] On se souviendra des liens qui existent entre la liturgie chrétienne et la liturgie juive. La communauté de vie dans le service de Dieu et de l'humanité pour l'amour de Dieu, tel que ce service se réalise dans la liturgie, caractérise la liturgie juive comme la chrétienne. Pour les relations judéo-chrétiennes, il importe de prendre connaissance des éléments communs de la vie liturgique (formules, fêtes, rites, etc.) où la Bible tient une place essentielle.

On s'efforcera de mieux comprendre ce qui, dans l'Ancien Testament, garde une valeur propre et perpétuelle,<sup>3</sup> celle-ci n'étant pas oblitérée par l'interprétation ultérieure du Nouveau Testament qui lui donne sa signification plénière, alors qu'il y trouve réciproquement lumière et

<sup>3</sup> Cf. *Dei Verbum*, nn. 14-15.

explication.<sup>4</sup> Cela est d'autant plus important que la réforme liturgique met les chrétiens de plus en plus fréquemment en contact avec les textes de l'Ancien Testament.

Dans le commentaire des textes bibliques, sans minimiser les éléments originaux du christianisme, on mettra en lumière la continuité de notre foi avec celle de l'Alliance ancienne, dans la ligne des promesses. Nous croyons que celles-ci ont été accomplies lors du premier avènement du Christ, il n'en est pas moins vrai que nous sommes encore [76] dans l'attente de leur parfait achèvement lors de son retour glorieux à la fin des temps.

En ce qui concerne les lectures liturgiques, on prendra soin d'en donner, dans l'homélie, une interprétation juste, surtout quand il s'agit de passages qui semblent placer le peuple juif en tant que tel sous un jour défavorable. On s'efforcera d'instruire le peuple chrétien de telle façon qu'il arrive à comprendre tous les textes dans leur véritable sens et dans leur signification pour le croyant d'aujourd'hui.

Les commissions chargées de traductions liturgiques seront particulièrement attentives à la façon de rendre les expressions et les passages qui peuvent être entendus de façon tendancieuse par des chrétiens insuffisamment informés. Il est bien évident que l'on ne peut changer le texte biblique, tout en ayant le souci, dans une version destinée à l'usage liturgique, de rendre explicite la signification d'un texte,<sup>5</sup> en tenant compte des études des exégètes.

Les remarques qui précèdent s'appliquent aussi aux introductions des lectures bibliques, ainsi qu'à l'*Oratio fidelium* et aux commentaires insérés dans les missels des fidèles.

<sup>4</sup> Cf. *Dei Verbum*, n. 16.

<sup>5</sup> C'est ainsi que la formule «les juifs», dans saint Jean, désigne parfois, suivant les contextes, «les chefs des juifs», ou «les adversaires de Jésus», expressions qui expriment mieux la pensée de l'évangéliste et évitent de paraître mettre en cause le peuple juif comme tel. Un autre exemple est l'usage des mots «pharisien» et «pharisaïsme» qui ont acquis une nuance surtout péjorative.



## De cooperatione oecumenica

Die 22 februarii 1975 SCU Notas directivas de cooperatione oecumenica in regionibus, nationibus, locis edidit; in quibus Notis complures quaestiones Liturgiam spectantes tractantur. Textus, pluribus linguis publici iuris factus, hic lingua gallica refertur, qua exaratus est.

ED. - Gall.: *La collaboration oecuménique au plan régional, au plan national et au plan local*, in: SCU, Service d'information, n. 26, 1975/I, 10-34; DC 72 (1975) 663-677; BNL 9 (1975) 194-198 (partim); EL 90 (1976) 500-502 (partim). Angl.: DOL 159 (partim). Germ.: NK 56 (1976) 58-147. Hisp.: E 35 (1975) 960-963 et 996-1007. Ital.: Unitas 30 (1975) 196-223; EV 5, 669-735. Neer.: AK 30 (1975) 823-848; Analecta Aartsbisdom Utrecht 48 (1975) 359-394.

COMM. - Gall.: R. TUCCI, in: DC 72 (1975) 663. Germ.: W. BECKER, in: NK 56 (1976) 20-57.

## 1. LA TACHE OECUMENIQUE

[10] [...] Une condition préliminaire à ce mouvement oecuménique est un renouveau dans l'Eglise, selon l'esprit de vérité et de sainteté en Jésus-[11]Christ, un renouveau qui doit atteindre chaque membre de l'Eglise et dont doit témoigner la qualité de leur vie.<sup>3</sup> 3376

Au moment même où cet appel de l'Esprit-Saint vers l'unité est entendu par les communautés chrétiennes et où celles-ci répondent, les dimensions de l'étude et de l'action communes se développent de telle manière que l'on peut parler d'une exigence du mouvement oecuménique qui de plus en plus pousse les chrétiens au dialogue, à la prière commune, à la collaboration pratique et au témoignage commun.<sup>4</sup> [...]

<sup>3</sup> Cf. Directorium oecumenicum I, *Ad totam Ecclesiam*, Pars Prima, § 2: AAS 59 (1967) 575; cf. aussi Service d'Information 2 (1967) 5.

<sup>4</sup> Ici nous voudrions faire nôtre un éclaircissement qui a été donné dans le Troisième Rapport officiel du Groupe mixte de travail entre le Conseil oecuménique des Eglises et l'Eglise catholique romaine, Appendice II, *Témoignage commun et prosélytisme*, dans Service d'Information 14 (1971) 20: «Les langues modernes désignent par plusieurs termes dérivés de la Bible les aspects particuliers de l'annonce, en paroles et en actes, de l'Evangile: Témoignage, Apostolat, Mission, Confession, Evangélisation, Kérygme, Message, etc. Le mot

## 2. LA CONCEPTION CATHOLIQUE DE L'ÉGLISE LOCALE<sup>8</sup> ET SON RAPPORT AU MOUVEMENT OECUMENIQUE

3377 [12] [...] Non seulement c'est aux Eglises locales de diriger le travail oecuménique au plan local et d'en assumer en communion avec le Siège Apostolique la responsabilité, mais dans les Eglises locales les mystères de la communion ecclésiale (le baptême, la foi au Christ, la proclamation de l'Évangile, etc.) sont célébrés et constamment renouvelés, ils constituent la base de la collaboration oecuménique. [...]  
[13] L'importance de l'oecuménisme local découle de la place significative des Eglises locales dans l'Église catholique, comme cela a été mis en valeur au Deuxième Concile du Vatican:  
«Un diocèse est une portion du peuple de Dieu confiée à un évêque pour qu'avec l'aide de son presbyterium il en soit le pasteur: ainsi le diocèse lié à son pasteur et par lui rassemblé dans le Saint-Esprit, grâce à l'Évangile et à l'Eucharistie, constitue une Église particulière en laquelle est vraiment présente et agissante l'Église du Christ, une, sainte, catholique et apostolique» (*Christus Dominus*, n. 11).

3378 Le même Concile enseigne: [...] «Cette Église du Christ est vraiment présente dans toutes les légitimes assemblées locales des fidèles, qui, attachées à leurs pasteurs, sont aussi appelées Eglises dans la Nouveau Testament. Elles sont, à leur place, le Peuple nouveau appelé par Dieu, dans l'Esprit-Saint et dans une pleine assurance (cf. *1 Th.* 1, 5). En elles la prédication de l'Évangile du Christ rassemble les fidèles, et se célèbre le mystère de la Cène du Seigneur, "pour que par la chair et le sang du Seigneur se resserre toute la fraternité du Corps"» (*Lumen gentium*, n. 26).  
Dans les assemblées locales, où le peuple de Dieu en union de foi et d'amour avec son évêque manifeste l'unité d'une foi vécue et proclamée, est exprimée de façon sacramentelle et irremplaçable l'unité vivante de l'Église catholique.<sup>10</sup> [...]

"témoignage" a été retenu ici parce qu'il exprime de façon plus compréhensive l'ensemble des réalités désignées».

Mérite aussi d'être cité le numéro 10 de la *Déclaration des Pères du Synode* (26 octobre 1974): «En accomplissant cette mission, nous voulons collaborer plus activement avec les frères chrétiens séparés en nous basant sur le fondement du baptême et sur le patrimoine commun de la foi, afin de pouvoir offrir dans l'évangélisation, un témoignage commun plus large du Christ, tandis que nous oeuvrons encore pour obtenir du Christ la pleine unité. Le commandement du Christ nous y pousse et l'oeuvre d'évangélisation, ainsi que le témoignage de l'Évangile, le requièrent» (*L'Osservatore Romano*, 27 octobre 1974, 6).

<sup>8</sup> L'Église particulière est définie très clairement et est identifiée avec le diocèse dans le n. 11 de *Christus Dominus* (cité page 7). Nous entendons l'expression «Église locale» dans un sens plus large. Elle est d'abord ce qui est appelé dans le texte mentionné plus haut: «Église particulière». Elle est aussi réalisée dans les territoires où les évêques ont formé des conférences épiscopales ou des synodes (cf. p. 7). Elle est encore réalisée dans toutes les assemblées légitimes des fidèles sous la direction de leurs pasteurs en communion avec leur évêque, ce que nous appellerions «la paroisse» (cf. *Sacrosanctum Concilium*, n. 42). L'expression «Église locale» est plus compréhensive et plus compréhensible que «Église particulière».

<sup>10</sup> Cf. Pape Paul VI, *Allocutio ad delegatos commissionum "pro Oecumenismo"* Confe-

[14] Ayant conscience d'être en un lieu donné le moyen de la présence et de l'action de l'Eglise catholique, fondamentalement une, l'Eglise locale sera prête à faire en sorte que ses libres initiatives ne dépassent pas les limites de sa compétence et soient toujours développées dans le cadre de la doctrine et de la discipline de l'Eglise catholique tout entière surtout en ce qui concerne les sacrements; en effet, cette discipline est la sauvegarde de l'unité de la foi. [...]

### 3. DIVERSITE DES DOMAINES ET DES FORMES DE L'OECUMENISME LOCAL

En plus de l'expression sacramentelle de l'unité de l'Eglise catholique 3379 qui est donnée au sein de l'Eglise locale, la communion réelle mais encore imparfaite entre les Eglises et communautés ecclésiales chrétiennes trouve son expression dans un grand nombre de formes d'action oecuménique et dans certaines organisations communes. Dans la section ci-dessous on a tenté de décrire, à titre d'exemples, quelques domaines ou formes d'action oecuménique locale.<sup>11</sup> On ne les propose pas comme des normes. Les initiatives évoquées restent en effet toujours soumises à l'autorité pastorale de l'évêque du diocèse ou de la conférence épiscopale. Cette description n'est manifestement pas exhaustive mais fournit un cadre aux sections suivantes du présent document. On doit garder présent à l'esprit que si ces champs d'action offrent de nombreuses occasions de collaboration oecuménique, ils impliquent aussi certains problèmes et des difficultés dont les solutions doivent être trouvées à la lumière des principes catholiques de l'oecuménisme.

#### a) *Partage dans la prière et le culte*

Au plan des Eglises locales, de nombreuses occasions se présentent de 3380 rechercher les dons de l'Esprit-Saint ainsi que «cette conversion du cœur et cette sainteté de vie qui, unies aux prières publiques et privées pour l'unité des chrétiens, doivent être regardées comme l'âme de tout l'oecuménisme». <sup>12</sup> De nombreuses formes de cet «oecuménisme spiri-

rentiarum Episcopaliū et Catholicorum Orientalium Patriarchatuum Synodorum partem agentes: AAS 64 (1972) 761; cf. aussi dans Service d'Information 20 (1973) 25 (publié par le Secrétariat pour l'unité des chrétiens).

<sup>11</sup> En 1973, le Groupe mixte de travail entre l'Eglise catholique et le Conseil oecuménique des Eglises a fait procéder à une enquête sur les problèmes auxquels sont confrontées les diverses Eglises et communautés ecclésiales dans l'accomplissement de leur mission et à un examen des conséquences de ces problèmes sur la situation oecuménique. Les résultats en ont été publiés dans la revue *One in Christ*, numéro de janvier 1975, et on espère les faire paraître dans des revues de langue française et allemande au cours de cette année. En plus d'une large réflexion sur ce qui ressort de cette enquête, le texte publié comporte des appendices sur la situation dans divers pays.

<sup>12</sup> *Unitatis redintegratio*, n. 8.

tuel» se manifestent aujourd'hui dans les groupes de prière réunissant des membres de diverses confessions chrétiennes.

Le Directoire oecuménique exprime l'espoir que «les catholiques s'associent dans la prière avec les frères séparés pour toute tâche commune dans laquelle ils peuvent et doivent collaborer entre eux, v.g.: pour promouvoir le bien de la paix, la justice sociale, la charité mutuelle entre les hommes, la dignité de la famille et autres choses semblables. On assimile à ces cas les occasions dans lesquelles une nation ou une communauté veut rendre grâce à Dieu communautairement ou demander son aide pour une raison donnée, comme aux jours de fête nationale, en temps de calamité, ou de deuil commun, au jour fixé pour célébrer la mémoire des morts pour la patrie. Cette prière commune, autant que possible, est recommandée aussi dans les congrès qui rassemblent les chrétiens pour des motifs d'étude ou d'action». <sup>13</sup>

3381 La prière pour l'unité, telle qu'on la pratique en janvier ou pendant la semaine qui précède la Pentecôte, est répandue dans le monde entier, et elle continue, dans la plupart des endroits, à être l'occasion majeure pour les catholiques et pour les autres chrétiens de prier ensemble. Cette prière est organisée par des comités spéciaux qui sont établis pour la circonstance, par des associations ou des groupes fraternels de pasteurs et de prêtres et souvent par des conseils d'Églises.

En quelques endroits, certaines des grandes festivités de l'année liturgique sont marquées par des célébrations conjointes, afin d'exprimer la joie commune des chrétiens au moment des événements centraux de leur foi.

Du côté catholique, la participation dans le culte sacramentel est réglementée par le Décret sur l'oecuménisme (n. 8), le Directoire oecuménique I (42-44, 55) et l'Instruction de 1972, ainsi que la note publiée en 1973. <sup>14</sup>

[16] La participation à un culte commun tout comme la fidélité aux prescriptions canoniques actuelles caractérisent l'activité oecuménique catholique normale.

#### b) Partage de locaux

3382 [17] La règle demeure qu'une église catholique est destinée exclusivement au culte catholique. Par le fait de leur consécration, les églises jouent un rôle important comme signe liturgique. Elles ont en plus un rôle pédagogique pour enseigner le sens et l'esprit du culte. C'est pourquoi leur partage avec d'autres chrétiens ou la construction de nouvel-

<sup>13</sup> Directorium oecumenicum, n. 33.

<sup>14</sup> Instructio de peculiaribus casibus admittendi alios Christianos ad communionem eucharisticam in Ecclesia Catholica: AAS 64 (1972) 518-525; cf. aussi Service d'Information 18 (1972), 3-6. *Communicatio* quoad interpretationem Instructionis de peculiaribus casibus admittendi alios Christianos ad communionem eucharisticam in Ecclesia Catholica: AAS 65 (1973) 616-619; cf. aussi Service d'Information 23 (1974) 25-26.

les églises en commun avec d'autres chrétiens ne peut être qu'exceptionnel.

Cependant, le *Directoire oecuménique*, première partie, a posé les principes suivants:

«Si les frères séparés manquent de lieux pour célébrer convenablement et dignement leurs cérémonies religieuses, l'ordinaire du lieu peut concéder l'usage d'un édifice catholique, d'un cimetière ou d'une église» (n. 61).

«Parce que "la participation aux cérémonies ou choses sacrées, l'usage des lieux sacrés sont permis entre orientaux catholiques et frères séparés, pour une juste raison" (Décret sur les Eglises orientales, n. 28), il est recommandé que, avec la permission de l'ordinaire du lieu, l'usage des édifices catholiques, cimetières ou églises, avec le nécessaire, soit concédé, pour leurs rites religieux, aux prêtres ou aux communautés orientales séparées, s'ils le demandent, quand ils manquent de lieux pour accomplir convenablement et dignement leurs saintes célébrations» (n. 52).

A cause des développements sociaux, à cause de la croissance rapide de la population et des constructions, et pour des raisons financières, quand il y a de bonnes relations oecuméniques et une bonne compréhension mutuelle entre les communautés, le partage de locaux ecclésiastiques peut être alors intéressant au plan pratique. Mais il ne [18] paraît pas possible de proposer un modèle unique pour ce genre de partage puisqu'il s'agit de répondre à un besoin ou à une urgence.<sup>21</sup> La construction de lieux de culte interconfessionnels doit être une exception et répondre à des besoins réels qui autrement ne pourraient être satisfaits. Une chapelle d'aéroport, une église de camp militaire semblent vérifier de telles conditions. Une situation pastorale exceptionnelle pourrait motiver ce genre de construction, par exemple, quand la pression d'un gouvernement interdit la multiplication des lieux de culte ou en cas d'extrême pauvreté d'une communauté chrétienne. Il en est de même là où le «simultaneum» se trouve légitimement admis.

Dans une église utilisée par plusieurs communautés, une attention judicieuse doit être donnée à la question de la Réserve eucharistique, de sorte qu'elle soit résolue d'une façon qui sera en harmonie avec une saine théologie sacramentelle en même temps qu'elle respectera les sensibilités de ceux qui utiliseront le bâtiment. En plus du souci de considérations proprement religieuses, il convient d'accorder l'attention qu'ils méritent aux problèmes pratiques, financiers et administratifs, ainsi que juridiques, d'ordre civil et d'ordre canonique, qui se trouvent impliqués.

<sup>21</sup> L'expérience du partage de locaux n'est pas encore très répandue. Mais en plusieurs endroits, comme dans quelques villes nouvelles en Angleterre et dans des paroisses «associées» aux USA, elle a conduit à une situation telle que certaines activités communes sociales et pastorales ont été entreprises en commun, en même temps que se trouvaient sauvegardées la personnalité de l'Eglise catholique et celle des autres confessions engagées et que leurs disciplines liturgiques étaient respectées.

3384 Il est clair que toute initiative en matière de partage de locaux ne peut être entreprise que sous l'autorité de l'évêque du diocèse et sur la base des normes d'application établies par la conférence épiscopale compétente. Avant de faire des plans pour un édifice commun, comme aussi avant toute décision sur l'usage commun d'un lieu de culte, les autorités des diverses communautés devront se mettre d'accord sur la façon dont seront observées leurs règles diverses, particulièrement pour ce qui est des sacrements. Des dispositions seront prises pour que la discipline de l'Eglise catholique en matière de «*communicatio in sacris*» soit ici respectée.

En ce domaine du partage de locaux, il est important que toute réalisation s'accompagne d'une éducation appropriée des fidèles catholiques, de façon qu'ils comprennent la signification du partage et que l'on évite tout danger d'indifférentisme.

#### 4. CONSEILS D'EGLISES ET CONSEILS CHRETIENS

##### A. DESCRIPTION ET ÉCLAIRCISSEMENTS

###### c) Signification de «*conciliarity*»

3385 [25] Le mot anglais «*conciliarity*» peut avoir des significations ecclésiologiques tout à fait différentes. Pour cette raison, du point de vue catholique, il faut bien expliquer ce que l'on entend par là.<sup>38</sup>

La «*conciliarity*», qui caractérise la vie de l'Eglise catholique qui s'exprime quelquefois par des conciles oecuméniques et provinciaux,<sup>39</sup> est fondée sur la pleine communion des Eglises locales entre elles et avec l'Eglise de Rome qui préside à l'universelle assemblée de charité.<sup>40</sup> Cette communion trouve son expression dans la confession de la foi, la célébration des sacrements, l'exercice du ministère et l'acceptation des conciles oecuméniques. En ce sens, un concile est un moyen qui permet à une Eglise locale, à un certain groupe d'Eglises locales, ou à toutes les Eglises locales, en communion avec l'évêque de Rome, d'exprimer la communion de l'Eglise catholique. [...]

<sup>38</sup> La signification donnée non seulement par les catholiques mais aussi par les orthodoxes, les anglicans et de nombreux protestants est exprimée dans une description de «*conciliarity*» donnée dans le document de travail de la Conférence de Salamanque (1973) de la Commission «*Foi et Constitution*» du Conseil oecuménique des Eglises.

<sup>39</sup> Dans certaines langues autres que l'anglais, deux mots distincts sont utilisés pour parler des réalités pour lesquelles en anglais on utilise un seul mot: «*council*». En français, par exemple, on a les mots «*concile*» et «*conseil*»; en italien «*concilio*» et «*consiglio*»; en espagnol «*concilio*» et «*consejo*»; en allemand «*Konzil*» et «*Rat*»; et en latin «*Concilium*» et «*consilium*».

<sup>40</sup> Cfr. *Lumen gentium*, n. 13; *Ad gentes*, n. 22; S. Ignatius M., *Ad Rom.*, Praef.

6. REFLEXIONS PASTORALES ET PRATIQUES  
POUR UNE ACTION OECUMENIQUE AU PLAN LOCAL

[32] c) Ce qui compte réellement, ce n'est pas la création de nouvelles structures mais la collaboration des chrétiens entre eux dans la prière, la réflexion et l'action, fondée sur le baptême commun et sur une foi qui, sur tant de points capitaux, nous est aussi commune. 3386

## De vigilantia circa libros

Die 19 martii 1975 SCDF Decretum «de Ecclesiae pastorum vigilantia circa libros» emisit; in quo Decreto normae etiam dantur de libris liturgicis edendis.

ED. - Lat.: AAS 67 (1975) 281-284. Angl.: DOL 140 (partim); J 35 (1975) 344-348. Gall.: DC 72 (1975) 361-362; BNL 9 (1975) 179-182. Germ.: NK 52 (1976) 40-49. Hisp.: E 35 (1975) 509. Ital.: EV 5, 743-749; RD 20 (1975) 194-195. Lus.: LRC 39 (1975) 311-312. Neer.: AK 30 (1975) 521-524; *Analecta voor het bisdom Roermond* 58 (1977) 131-134.

COMM. - Germ.: H. HEINEMANN, in: NK 52 (1976) 12-39. Hisp.: J.M. BERNAL, in: Ph 15 (1975) 434. Ital.: E. BARAGLI, in: CC 126/II (1976) 436-449; F. COCCOPALMERIO, in: *Rivista del Clero Italiano* 56 (1975) 575-577; OR 10-IV-1975, 1-2. Lat.: N 11 (1975) 99-100.

## ART. 3

- 3387 [282] 1. Libri liturgici itemque eorum versiones in linguam vernaculam eorumve partes ne edantur nisi de mandato Episcoporum Conferentiae atque sub eiusdem vigilantia, praevia confirmatione Apostolicae Sedis.
2. Ut iterum edantur libri liturgici qui a Sede Apostolica probati sunt necnon eorum versiones in linguam vernaculam ad normam par. 1 factae et approbatae, eorumve partes, constare debet de concordantia cum editione approbata ex attestazione Ordinarii loci in quo publici iuris fiunt.
3. Libri quoque preces ad orationem privatam proponentes ne edantur nisi de licentia loci Ordinarii.

## ART. 4

- 3388 [283] 4. In ecclesiis oratoriisve exponi, vendi aut dari non possunt libri vel alia scripta de quaestionibus religionis aut morum tractantes, nisi cum approbatione competentis Auctoritatis ecclesiasticae editi sint.
- [284] *Has normas, in Plenario Coetu Sacrae Congregationis pro Doctrina Fidei propositas, Summus Pontifex PAULUS VI, in Audientia die 7 Martii 1975 infrascripto Praefecto impertita, approbavit et publici iuris fieri iussit, derogans simul Codicis Iuris Canonici praescriptis quae eidem normis sint contraria.*



## «Gaudete in Domino»

Die 9 maii 1975 Paulus VI «ad Episcopos, Sacerdotes et Christifideles totius catholici orbis» Adhortationem Apostolicam de christiano gaudio direxit. In qua Adhortatione Summus Pontifex pluries de Liturgia loquitur.

ED. - Lat.: AAS 67 (1975) 289-322. Gall.: DC 72 (1975) 501-511. Germ.: NK 53 (1976) 20-91; HK 29 (1975) 337-346. Hisp.: E 35 (1975) 669-677. Ital.: EV 5, 763-815; *La gioia del cristiano* = Servizio dell'Unità 5, Leumann (Torino) 1975; RD 20 (1975) 290-297. Neer.: AK 30 (1975) 541-563; *Analecta Aartsbisdom Utrecht* 48 (1975) 233-261; WKD 1.

COMM. - Ital.: r.m., in: OR 18-V-1975, 1; G.M. GARRONE, in: OR 1-VI-1975, 1; S. MAGGIOLINI, in: OR 8-VI-1975, 1; D. BARSOTTI, in: OR 2-VII-1975, 1; B. MONDIN, in: OR 9-VII-1975, 1-2.

## III

[297] [...] A gaudio, per Dominum Iesum allato, nemo excluditur; etenim gaudium magnum, ab Angelo nocte qua Christus natus est nuntiatum, reapse ad universum populum pertinet, <sup>17</sup> ad populum videlicet Israel, qui tum Salvatorem sollicite exspectabat, et ad innumerabilem populum eorum omnium, qui temporum decursu eundem nuntium accepturi erant, cum eo vitam conformare studentes. Primum quidem per os Gabrielis archangeli id allatum est ad beatam Mariam Virginem, cuius hymnus, a verbo *Magnificat* incipiens, iam canticum exultationis omnium humilium fuit. Quotiescumque Rosarii preces recitamus, mysteria, gaudii nomine appellata, eventum illum ineffabilem referunt, qui est veluti centrum et fastigium historiae, nempe adventum in terra Emmanuelis, qui est «nobiscum Deus». [...]

[301] Resurrectio Iesu e mortuis est quodam modo sigillum, quo Pater <sup>37</sup> pretium sacrificii Filii confirmavit, eademque fidelitatem Patris comprobavit, secundum vota, quae Iesus, antequam Passionem iniret, protulit: *Pater, ...clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te.*

<sup>17</sup> Cf. Lc. 2, 10.

<sup>37</sup> Io. 17, 1.

Exinde Iesus in perpetuum vivit in gloria Patris, eademque de causa discipuli in gaudio, quod exstingui non poterat, sunt firmiter constituti, cum vespere Paschatis Dominum suis oculis conspexerunt.

Inde consequitur, ut gaudium Regni Dei ad effectum deducti exoriri nequeat, nisi a celebrandis intime conexis morte et resurrectione Domini. [...] Paschale praeconium, a verbo *Exsultet* incipiens, canit mysterium, quod spem propheticam transcendit: in iubilo annuntiatae resurrectionis etiam aerumnae hominis transfigurantur, dum plenitudo gaudii e victoria Crucifixi, e Corde eius transfixo, e Corpore eius glorioso erumpit, ac tenebras animarum illuminat: *Et nox illuminatio mea in deliciis meis.*<sup>39</sup> [...].

[302] Itaque Spiritus, qui a Patre et Filio procedit, quorum ipse est mutus et vivus amor, Populo novi Foederis exinde tribuitur et unicuique animo, qui actioni intimae eius patescit. Idem nosmet suum habitaculum efficit: *dulcis hospes animae.*<sup>40</sup> Una cum eo hominis cor a Patre simul et a Filio incolitur.<sup>41</sup> Idem Spiritus Sanctus excitat in eo filiorum precessionem, quae ex ima animi parte prorumpit quaeque laudatione exprimitur, gratiarum actione, expiatione, supplicatione. [...]

#### IV

- 3391 [...] [308] In vita filiorum Ecclesiae haec gaudii Christi Domini participatio disiungi nequit a mysterii eucharistici celebratione, in qua ipsi Corpore Christi nutriuntur et eius Sanguine potantur. Ac revera, ita refecti, viatorum instar qui ad aeterna regna iter faciunt, iam nunc sempiterni gaudii libamentum sacramentali modo recipiunt. [...]

#### V

- 3392 [...] [312] Et ita Annus sanctus — cuncto qui populo tamquam promissum iubilationis est —, cum per poenitentiam reditum ad Patrem maturare suadet, idem exstat invitamentum, ut sive significatio sive usus sacramenti Reconciliationis iterum inveniantur. Vestigiis optimae de vita spirituali traditionis insistentes, id Nos iuvat fideles eorumque pastores commonere gravium peccatorum accusationem esse faciendam, confessionemque crebro usitatam ditissimum fontem sanctimoniae, pacis, gaudii permanere.

#### VI

- 3393 [...] [314] Ecclesia autem oportet, uti Dei Populus qui ad futurum Re-

<sup>39</sup> Praeconium paschale.

<sup>40</sup> *Sequentia in Pentecostes sollemnitatem.*

<sup>41</sup> Cf. Io. 14, 23.

gnum peregrinatur, se perennem efficiat seseque idcirco per hominum generationes renovet: haec illi est fecunditatis suae, vel simpliciter vitae necessaria condicio. Hoc igitur magni momenti est, ut, unoquoque eius historiae tempore, nova quae oritur generatio quodam saltem modo adimpleat superiorum spem generationum eiusdemque Ecclesiae spem, quae in dono Dei, Veritatis ac Vitae, indeficienter tradendo continetur. Quamobrem, in unaquaque generatione, christiani iuvenes ratum facere debent, clara ducti conscientia nullaque praepediti conditione, foedus illud, quod Baptismatis sacramento pepigerunt et postea sacramento Confirmationis corroboraverunt. [...]

## VII

[...] [321] Spiritus est sacrae Pentecostes, qui in praesenti plurimos Christi discipulos ducit in vias orandi et deprecandi, in iucunda laudatione filiorum, ad humile laetumque famulatum praestandum exheredibus et reiectis societatis nostrae. Laetitia enim seiungi nequit a sui communicatione, siquidem ipso in Deo omnia gaudium, quia omnia donum. 3394

Benevolens hic obtutus in homines atque in res, qui fructus est et humani spiritus recte sentientis et Spiritus Sancti, singularem invenit apud Christifideles locum ad sese excolendum: paschalis celebrationem mysterii Iesu. Revera in passione et morte et resurrectione sua Christus historiam uniuscuiusque hominis omniumque hominum summam colligit, eorum sumpto pondere aerumnarum et peccatorum, eorumque [322] aucta facultate sui perficiendi et sanctificandi. Propterea, hanc hortationem vobis facientes, postremum verbum Nostrum est instans invitamentum ad omnes auctoritate pollentes in christianis communitatibus earumque spirituales incitatores: ne dubitent urgere, opportune et importune, baptizatorum fidelitatem ad Eucharistiam diebus dominicis festive laetanterque celebrandam. Quo enim modo hunc occursum neglegant, tantumque convivium, quod Christus suo pro amore nobis apparat? Haec igitur Eucharistiae participatio quam dignissime et cum iucunditate fiat! Ipse Christus, cruci affixus itemque glorificatus, graditur in medio discipulorum suorum, ut omnes pertrahat in renovationem resurrectione sua factam. Fastigium est huic Foederis amoris inter Deum eiusque Populum: signum et fons christianae laetitiae est, itemque statio itineris ad aeternam ducentis sollemnitatem.

## De Missali Romano

Die 15 mai 1975 SCCD Declarationem «de formulis melodiis musicis ditandis in editionibus vulgaribus Missalis Romani» emisit.

ED. - Lat.: N 11 (1975) 129-132. Angl.: DOL 538. Gall.: BNL 9 (1975) 184-187.

- 3395 [129] Passim quaeritur an nova Missalia Romana ad usum celebrantis linguis vulgaribus edenda ornari *debeant* melodiis musicis pro Missa cantu celebranda.  
Nam quaedam Missalia recenter edita etiam melodias praebent pro cantu celebrantis, quaedam e contra nihil habent. Consequenter paulatim Missa sine cantu celebrari coepta est, saltem in iis partibus, pro quibus cantus praefendus esset, eae scilicet «quae a sacerdote vel ministris, populo respondente, canendae sunt, aut a sacerdote et populo simul proferendae» (cf. Institutio Generalis Missalis Romani, n. 19).
- 3396 1. Responsio est omnino *affirmativa*; sicut vetus Missale Romanum et novum (cf. *Appendicem*), ita et Missalia, quae in variis nationibus vel regionibus linguis vulgaribus eduntur, praebere debent melodias Ordinis Missae sive a celebrante sive a ministris sive a populo vel a schola canendas.
- 3397 2. *Quaenam partes Missae sunt canendae?*  
Sermonem astringemus praesertim ad *Ordinem Missae*. Ad quaestionem aptius solvendam attendendum est quid suggerat usus traditionalis, quid propositae melodiae editionis typicae novi Missalis, quid genus litterarium diversarum partium.  
a) *Usus traditionalis*. Missale in usum receptum usque ad annum 1970 sequentes melodias ferebat pro Ordine Missae:  
Intonationes *Gloria* (4) et *Credo* (1).  
Praefationes omnes, duplici melodia, sollemni et feriali.  
«Pater noster», duplici melodia.  
«Ite, missa est» (6), «Benedicamus Domino» (4), «Requiescat».  
In appendice habebantur alii *cantus ad libitum* pro intonatione *Gloria* et *Credo*, pro praefationibus, «Ite, missa est», «Benedicamus Domino» et ad aspersionem aquae.  
Libri cantus, insuper, nempe *Graduale Romanum*, et adnexum subsidium, *Liber usualis*, continebant melodias pro aliis formulis, ex. gr. ad  
[130] b) *Editio typica hodierni Missalis* (1970) habet melodias Ordinis

Missae in Appendice, et sunt:  
Formulae salutationis initio Missae.  
Acclamationes post lectiones.  
Toni praefationum (simplex et sollemnis).  
Preces eucharisticae.  
Doxologia Precis eucharisticae (2 toni).  
Oratio dominica (2 toni).  
Tonus embolismi.  
Tonus benedictionis finalis.

Sed ut recta habeatur idea circa cantum, prae oculis etiam habendus est *Ordo cantus Missae*, anno 1972 editus, ubi nonnullae aliae formulae melodiis ditantur, nempe:

Signum crucis initio Missae.  
Toni orationis.  
Toni lectionum.  
Tertius tonus ad Orationem Dominicam.  
«Pax Domini».  
Ad benedictiones sollemnes et orationes super populum.  
Ad benedictionem Episcopi.

Nec praetereundum est monachos Solesmenses, proprio studio et inceptu, edidisse libellum cum melodiis totius Missae.

c) *Genus litterarium*. Non omnes hae melodiae necessario inveniri debent in Missalibus lingua vernacula exaratis. Nam etiam attendendum est ad genus litterarium textuum liturgicorum et ad indolem cuiusque linguae propriam. Quidam textus, qui lingua latina canuntur, lingua vulgari ad cantum aptari non valent.

Criteria generalia haec enunciari posse videntur:

- monitiones, sive celebrantis sive diaconi, potius *dicuntur* quam canuntur;
- lectiones, potius *proclamantur* quam cantantur; sed convenit ut cantetur clausula finalis in prima et secunda lectione et, praesertim, dialogus initialis et clausula finalis in lectione evangelii;
- *praestat* ut orationes cantentur et certe cantari debet oratio excellentissima, seu *praefatio*, quae cantum *Sanctus* introducit;
- certissime canendae sunt acclamationes;

[131] — Canendi quoque sunt *cantus* Missae, scilicet *Gloria*, *Sanctus*, *Agnus Dei*. Sed de his hic non agitur, quia eorum melodiae libris propriis fidelibus destinatis imprimuntur.

3. In *praxi* formulae Ordinis Missae, quae in editionibus vulgaribus Missalis Romani notulis musicis ditari debent hae numerantur: 3398

Formulae salutationis populi.

Acclamationes.

- “Dominus vobiscum” — “Et cum spiritu tuo”
- “Lectio Sancti Evangelii secundum N” — “Gloria tibi, Domine”.
- “Verbum Domini” — “Laus tibi, Christe”
- “Mysterium fidei” — tres acclamationes
- “Tuum est regnum”

Praefationes

Partes in cantu Precum eucharisticarum

“Pater noster” cum embolismo

“Domine Iesu Christe, qui dixisti” (quia praecedit cantum “Pax Domini”).

Tonus simplex et sollemnis benedictionis finalis

Tonus benedictionis episcopalis

“Ite, missa est” — “Deo gratias”.

Praeter melodias supra relatas pro Ordine Missae, vetus Missale, et partim novum, praebebat melodias pro diversis celebrationibus anni circuli, v. gr. *Exsultet*. Et illae sunt componendae et inducendae in nova Missalia.

3399 4. *Una vel plures melodiae?*

Vetus Missale duas vel plures ferebat melodias.

Haec norma retineri potest. At nimiae melodiae confusionem gignunt. Scopus enim harum melodiarum «officialium» est faciliorem reddere participationem populi ad Missam cum cantu. Si melodiae multiplicantur, a populo haud faciliter apprehenduntur, et, praesertim pro acclamationibus, responsionem difficiliorem reddunt.

3400 5. *Suntne ponendae in appendice Missalis vel in ipso corpore voluminis?*

Ponantur in *corpore* voluminis, suo loco. Est magis practicum. Editio typica latina illas posuit in appendice; sed minus recte.

[132] Excipitur casus quo eadem Missalis editio inservire debeat pluribus regionibus vel nationibus, quae diversam iam habeant traditionem melodiarum. Tunc hae colligendae videntur in fasciculo separato, in Appendice voluminis posito. Sed manere debet exceptio.

Si melodiae ponuntur suis locis, hoc aliud commodum habent, ut in memoriam revocent sacerdoti celebranti illas partes, *de more, canendas esse*. Et hoc cedit in favorem sollemnioris et efficacioris celebrationis.

Posthac, proinde, Missalia linguis vulgaribus interpretata praesentanda erunt Sacrae Congregationi pro Cultu Divino, confirmationis obtinendae causa, *munita aptis melodiis* pro omnibus possunt vel debent.

## De celebratione Paschae

Die 18 maii 1975 I. Card. Willebrands, Praeses SCU, ad Praesides Conferentiarum Episcoporum Epistulam de celebratione Paschae misit. Textus lingua gallica publici iuris factus est.

ED. - Gall.: N 12 (1976) 59-60; EL 90 (1976) 503-504; DC 73 (1976) 308; BNL 9 (1975) 204-206. Angl.: DOL 160. Hisp.: Ph 17 (1977) 536-537. Ital.: EV 5, 825-829.

COMM. - Hisp.: P. TENA, in: Ph 17 (1977) 535-541. Ital.: G. CAPRILE, in: CC 128/III (1977) 67-70.

[59] Le deuxième Concile du Vatican, en appendice de la Constitution sur la Liturgie «estimant d'une grande importance les désirs de beaucoup en faveur de la fixation de la fête de Pâques à un dimanche déterminé», a déclaré qu'il «ne s'oppose pas à ce que la fête de Pâques soit fixée à un dimanche déterminé du calendrier grégorien avec l'assentiment de ceux à qui importe cette question, surtout des frères séparés de la communion avec le Siège Apostolique».

3401

Ce désir, en effet, avait été exprimé par de nombreux évêques répondant au questionnaire de la Commission pontificale antépréparatoire et il s'était déjà manifesté en 1918 lors d'une enquête faite à l'occasion de l'application de la réforme liturgique de saint Pie X.

En 1964, le Saint-Père a chargé le Secrétariat pour l'Unité des chrétiens de s'occuper de ce problème en liaison avec les autres Eglises chrétiennes et, en particulier, avec les Églises orthodoxes. De nombreux contacts furent pris; le groupe mixte de travail entre l'Église catholique et le Conseil Oecuménique des Églises s'est occupé de cette question dans presque toutes ses réunions; en 1970, un colloque fut organisé par le département de «Foi et Constitution» du Conseil Oecuménique des Églises: des catholiques, des orthodoxes, des anglicans, des protestants y prirent part.

Les lignes d'une solution possible se sont ainsi précisées en même temps que, surtout dans les régions où vivaient des groupes chrétiens célébrant Pâques à une date différente, les fidèles prenaient conscience de la nécessité de donner un témoignage visible de leur communauté de foi dans ce mystère central de la prédication évangélique.

Le Saint-Père, après de récentes consultations, a pensé que le moment était venu d'essayer d'engager un processus de décision. Après avoir abordé lui-même la question dans la lettre pascale qu'il adressa aux Patriarches orthodoxes, il m'a chargé de communiquer [60] aux Églises

orthodoxes, à la Communion anglicane et aux Familles confessionnelles mondiales, une proposition concrète.

3402 En 1977, tous les chrétiens selon leurs différents calculs coïncideront dans la célébration de Pâques le 10 avril, le dimanche qui suit le deuxième samedi d'avril. Or c'est précisément le dimanche qui, dans des déclarations faites par divers chefs d'Églises et dans les conclusions de différents groupes chrétiens autorisés à étudier cette question, semble le plus souvent retenu comme la date la plus indiquée pour la célébration de Pâques.

Au nom du Saint-Père, j'ai proposé qu'à partir de 1977, Pâques soit toujours célébrée le dimanche suivant le deuxième samedi d'avril.

La solution proposée n'est pas l'imposition d'une tradition à une autre; elle pourrait être bien plutôt l'expression d'un accord auquel nous aurait amené l'Esprit Saint, en obéissance à l'intention des Pères du premier Concile Oecuménique, qui voulaient avant tout l'unité de tous dans la célébration de la résurrection du Seigneur.

En même temps nous étions en contact avec le Conseil Oecuménique des Églises qui va soumettre une proposition analogue à l'étude de ses Églises membres en sollicitant leurs réactions.

Nous demandons en même temps aux Églises qui auraient des raisons les empêchant d'accepter cette proposition, de nous indiquer si elles seraient opposées à ce que l'Église catholique fixe la célébration de la fête de Pâques à cette date, dans le cas où le plus grand nombre des Églises y seraient favorables.

Nous avons tenu à informer votre Conférence épiscopale de cette initiative, afin qu'il vous soit possible, si vous le jugez opportun, d'avoir à ce sujet des échanges de vues avec les autres Églises chrétiennes de votre région, échanges de vues susceptibles de favoriser un accord.

Aucune décision n'est encore prise. Pour rester fidèle à l'orientation donnée par le deuxième Concile du Vatican, cette décision dépendra de l'acceptation ou non de la proposition du Saint-Père par les autres Églises chrétiennes.

Espérant dans la prière que l'Esprit Saint suscitera l'accord désiré, je vous prie d'agréer l'expression de mes sentiments respectueux et fraternels dans le Seigneur.



## «Constans Nobis studium»

Die 11 iulii 1975 Paulus VI per Constitutionem Apostolicam, Sacris Congregationibus de Disciplina Sacramentorum et pro Cultu Divino suppressis, novam inde erexit Sacram Congregationem Sacramentis Divinoque Cultui moderandis.

ED. - Lat.: AAS 67 (1975) 417-420; N 11 (1975) 209-211; EI 90 (1976) 484-486. Angl.: DOL 101. Gall.: DC 72 (1975) 701-702; BNL 9 (1975) 146-148. Germ.: ÖAfKR 26 (1975) 352-353. Hisp.: PLDI n. 86 (1975) 3-5; E 35 (1975) 987-988. Ital.: EV 5, 887-891; RL 62 (1975) 594-595. Neer.: AK 30 (1975) 1110-1112.

COMM. - Angl.: A.T. in: W 49 (1975) 498-499. Gall.: P.-M. GY, in: LMD n. 124 (1975) 7-13. Germ.: H. HAUG, in: GD 9 (1975) 127-128. Hisp.: J.M. BERNAL, in: Ph 15 (1975) 418-419. Ital.: N 11 (1975) 213-215; S. MARSILI, in: RL 62 (1975) 622-625; OR 20-VII-1975, 2; OR 3-VIII-1975, 2. Neer.: A. VERHEUL, in: TvL 60 (1976) 153-155; ICLZ- Mededelingen, Nr. 31 (1976) 263-265.

[417] CONSTANS NOBIS studium assiduaque cura fuit hisce praesertim 3403  
annis, qui Oecumenicum Concilium Vaticanum II subsecuti sunt, Romanam Curiam ita disponere, ut eius instituta, per quae bono ac profectui Ecclesiae universae consulimus, suorum munerum amplitudinem efficaciter exsequerentur, atque adeo augescentibus rei pastoralis necessitatibus aptius usque responderent. Inde primum factum est, ut edita Apostolica Constitutione *Regimini Ecclesiae Universae*, secundum eiusdem Concilii vota, <sup>1</sup> novam uberiolemque concinnarem generalem ordinationem, ad Sacras Congregationes, Tribunalia, Secretariatus, Officia ceteraque Curiae instituta pertinen[418]tem, <sup>2</sup> quae sane, dum antiquiores formas seu *structuras* prudenti ratione immutavit, alias deinde inducendi aliasve abolendi, pro rerum opportunitate, neque facultatem neque viam praepediebat. Has autem formas reolere supervacaneum nunc esse arbitramur, quippe quae, suo statutae tempore, rite iam sint evulgatae. <sup>3</sup> Sed illud

<sup>1</sup> Cf. *Christus Dominus*, n. 9.

<sup>2</sup> Cf. Const. Apost. *Regimini Ecclesiae Universae*: AAS 59 (1967) 885-928.

<sup>3</sup> Cf. Const. Apost. *Sacra Rituum Congregatio*, qua nempe S. Congregatio Rituum divisa est in duas Congregationes: AAS 61 (1969) 297-305; Litt. Apost. Motu Proprio datae *Apostolicae Caritatis*, quibus Pontificia Commissio de spiritali migratorum atque itinerantium cura constituta est: AAS 62 (1970) 193-197; Epist. *Amoris officio*, ad D. num

potius monere iuvat, si plures in praesenti fiant ecclesiastici regiminis permutationes, ex altera parte citatissimum apparere cursum societatis hodiernae; ex altera vero parte sollicitudinem sedulitatemque ipsius Ecclesiae eminere, quae quidem, idoneis tempestive usa instrumentis, huiusmodi attendere cursum quasi quoddam signum temporis nitatur, ad supernaturalem nempe missionem, a divino sibi Conditore creditam, accurandam. Certo enim movemur proposito, ut eae, quas diximus, structurae cunctis Dei Populi membris inserviant, cum earum natura in ministrando reapse contineatur.

3404 Nunc vero ex iis, quae ab anno MCMLXIX — cum scilicet Sacram Congregationem pro Cultu divino instituimus<sup>4</sup> — ad praesens usque tempus experti sumus, clare perspectum est mutuas inter hanc Congregationem et Congregationem de disciplina Sacramentorum necessitudines tam arctas eodemque vergentes esse, ut primo quidem consilium et deinde firmum in Nobis propositum ortum sit: operam reapse utilem, immo etiam necessariam fieri, si duorum horum Dicasteriorum materia uni novoque Instituto attribueretur. Agitur [419] etenim, aliquo saltem modo, unum theologi generis negotium, in quo pars sive liturgica-culturalis sive pastoralis cum canonica et iuridica parte ita copulatur, ut altera ab altera vix separari nequeat. Quapropter, plane Nobis persuasum habemus per aptiorem compositionem rerum, quas adhuc duo illa Dicasteria exsequebantur, vel commodius adiuvari atque augeri posse illam Sacrae Liturgiae renovationem, quae, a Concilio Vaticano II sapienter decreta, iam multum profecit tantique operis rectam executionem, cui sane Nobis esse assidue adlaborandum sentimus, et ex qua tot iam laetique religiosae vitae fructus in universum Dei Populum redundarunt.

Quae cum ita sint, postquam totam huiusmodi quaestionem diligenter expendimus, sententiamque gravium peritorumque virorum cognovimus, prae oculis habita — ut diximus — opportunitate ad unitatem redigendi munera sive ad Sacramentorum disciplinam, sive ad divinum Cultum attinentia, pro illis, quae antea fuerant, Congregationibus novum Dicasterium substituere decrevimus.

Cuius rei causa haec, quae sequuntur statuimus:

- 3405 1. S. Congregatio de disciplina Sacramentorum et S. Congregatio pro Cultu divino in ea, quam nunc obtinent, conformatione esse desinunt.
- 3406 2. Nova S. Congregatio instituitur, quae «*Sacra Congregatio pro Sacramentis divinoque Cultu*» appellabitur.
- 3407 3. Nova haec Congregatio, cui praest Cardinalis Praefectus, Secretario operam conferente, in duas partes seu *sectiones* dividitur, alteram pro Sacramentorum disciplina, alteram pro Cultu divino. Utrique sectioni Subsecretarius destinatur.

Card. Ioannem Villos, qua Pontificium Consilium «*Cor Unum*» conditum est: AAS 63 (1971) 669-673; Litt. Apost. Motu Proprio datae *Quo aptius*, quibus Cancellariae Apostolicae munera in Secretariam Status seu Papalem translata sunt: AAS 65 (1973) 113-116.  
4 Cf. Const. Apost. *Sacra Rituum Congregatio*: AAS 61 (1969) 297-305.

4. Sectio prior pro commissio sibi munere recipit materiam, quae antea 3408  
ad S.C. de disciplina Sacramentorum spec[420]tavit, ut in Const.  
Apost. *Regimini Ecclesiae Universae*, nn. 54-57 <sup>5</sup> propositum fuit; al-  
tera vero Sectio pro commissio sibi munere recipit materiam, quae an-  
tea ad S.C. pro Cultu divino spectavit, quemadmodum in Const.  
Apost. *Sacra Rituum Congregatio*, nn. 1-4 statutum fuit. <sup>6</sup>

5. Ea omnia, quae hac Nostra Constitutione praescribimus, a die 1 in- 3409  
sequentis mensis Augusti vigere incipient.

Nostra haec autem statuta et praescripta nunc et in posterum firma et  
efficacia esse et fore volumus, non obstantibus, quatenus opus est,  
contrariis Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, a Nobis et  
Decessoribus Nostribus editis, ceterisque praescriptionibus, etiam spe-  
cialissima mentione dignis.

<sup>5</sup> Cf. AAS 59 (1967) 903-904.

<sup>6</sup> Cf. AAS 61 (1969) 299-301.

## «Romano Pontifici eligendo»

Die 1 octobris 1975 Paulus VI per Constitutionem Apostolicam normas «de Sede Apostolica Vacante deque electione Romani Pontificis» dedit. In quibus normis etiam exsequiae Romani Pontificis et Sacri Ritus Conclavis respiciuntur.

ED. - Lat.: AAS 67 (1975) 611-645. Gall.: DC 72 (1975) 1001-1011. Hisp.: E 35 (1975) 1483-1491 et 1515-1520. Ital.: EV 5, 919-977; RD 20 (1975) 484-495. Neer.: AK 31 (1976) 1-24.

COMM. - Angl.: F. MCMANUS, in: J 36 (1976) 247-248. Gall.: R. TUCCI, in: DC 72 (1975) 1011-1012. Ital.: R. TUCCI, in: OR 15-XI-1975, 2; Id., in: OR 17/18-XI-1975, 2; M. MACCARONE, in: OR 21-XI-1975, 2; U. BETTI, in: OR 22-XI-1975, 2; A. STICKLER, in: OR 24/25-XI-1975, 2.

## PARS I. DE SEDE APOSTOLICA VACANTE

## Caput V. DE EXSEQUIIS ROMANI PONTIFICIS

- 3410 [620] 27. Romano Pontifice demortuo, Cardinales exsequias pro eius anima per novem dies continuos celebrabunt, iuxta *Ordinem exsequiarum Summi Pontificis vita functi*, qui, perinde ac *Ordo sacrorum rituum Conclavis*, ut pars complens huic Constitutioni adicitur.
- 3411 [621] 28. Si tumulationem in Basilica Vaticana fieri contingit, authenticum eius instrumentum a Notario Capituli eiusdem Basilicae conficitur. Postea vero delegatus a Cardinali Camerario ac delegatus a Praefecto Domus Pontificalis separatim documenta perscribant, quae peractae tumulationis fidem faciant, prior coram Reverenda Camera Apostolica, alter coram Praefecto Domus Pontificalis.
- 3412 29. Si Romanus Pontifex extra Urbem supremum obiit diem, Sacri Cardinalium Collegii est omnia disponere, quae necessaria sunt ad dignam ac decoram translationem exanimi corporis ad Vaticanam Basilicam Sancti Petri.

## PARS II. DE ELECTIONE ROMANI PONTIFICIS

### Caput III. DE INGRESSU IN CONCLAVE

[627] 49. Exsequiis defuncti Pontificis rite persolutis et Conclavi interim apparato, Cardinales electores, die constituto in Basilicam Vaticanam Sancti Petri, vel alio pro temporis et loci opportunitate, conveniunt, ubi ea fiant, quae in *Ordine sacrorum rituum Conclavis* statuta sunt. Statim post rem divinam mane peractam vel, si opportunius visum fuerit, tempore postmeridiano eiusdem diei, ingressus fit in Conclave. Cum ad sacellum seu cappellam advenerint, oratione convenienti recitata et intimato *extra omnes* e sacello, praesentis Constitutionis pars altera, seu «De electione Romani Pontificis», legatur, ac deinde omnes Cardinales electores ius iurandum dent secundum formulam sequentem, quae a Decano aut a Cardinali, qui ordine et aetate sit primus, elata voce recitetur: [...]

3413

### Caput V. DE ELECTIONIS FORMA

[632] 62. Mane, postridie clausum Conclave, ac post signum datum, Cardinales electores, qui infirmitate non impediuntur, ad designatum sacellum conveniunt, ubi Eucharisticum Sacrificium concelebrant vel ei assistunt. [...]

3414

[639] 75. Haec omnia, quae de scrutiniis ritibus sunt exposita, servanda erunt diligenter Cardinalibus electoribus in omnibus scrutiniis, quae singulis diebus peragi debent mane et post meridiem, peractis sacris ritibus seu precationibus, de quibus in memorato *Ordine sacrorum rituum Conclavis* agitur.

3415

76. Quodsi contingat, ut Cardinales electores cum difficultate de persona eligendi concordia ineant consilia, tunc per tres dies scrutiniis secundum formam supra descriptam [640] (n. 65 et sqq.) frustra peractis, scrutinia ipsa tempore summum unius diei intermittuntur, ut preces Deo admoveantur, electores inter se libere colloquantur fiatque per Cardinalem primum ex ordine Diaconorum brevis adhortatio spiritualis. Post quae, scrutinia secundum eandem formam exsequenda resumuntur; quae, nisi electio interveniat, sint septem. Dehinc rursus intervallum interponitur, ut precationi, colloquio et adhortationi, per Cardinalem primum ex ordine Presbyterorum faciendae, sit locus. Deum septem, si casus fert, scrutinia secundum praedictam formam peraguntur; quae si ad irritum ceciderint, denuo orationes ad Deum fundantur, colloquia serantur, adhortatio a Cardinali primo ex ordine Episcoporum electoribus adhibeatur. [...]

3416

[642]85. Dum Conclave celebratur, Ecclesia singulari prorsus modo cum sacris Pastoribus et praecipue cum Cardinalibus [643] electoribus Summi Pontificis coniungitur, atque a Deo novum Caput veluti donum eius bonitatis et providentiae implorat. Perinde enim ac prima

3417

christianorum communitas, de qua in *Actibus Apostolorum* agitur, <sup>16</sup> ita universa Ecclesia, spiritualiter congregata cum Maria, Matre Iesu, unanimiter perseveret oportet in oratione; quo fit, ut electio novi Pontificis non sit quiddam disiunctum a populo Dei et ad solum electorum pertinens collegium, sed quasi quaedam actio totius Ecclesiae. Quapropter statuimus, ut in omnibus urbibus ceterisque locis, saltem insignioribus, ubi primum nuntius obitus Pontificis pervenerit et postquam exsequiae sollemniter pro eo celebratae sint, humiles assiduaeque ad Dominum fundantur, ut ipse electorum animos illuminet et in eligendo tam concordem efficiat, ut provisionem celerem, unanimam et utilem, prout animarum salus exigit et totius orbis catholici bonum requirit, fieri contingat.

Caput VII. DE ACCEPTIIONE ET PROCLAMATIONE ELECTIONIS  
NECNON DE CORONATIONE NOVI PONTIFICIS

- 3418 [644] 88. Post acceptionem, electus qui episcopali ordinatione iam pollet, est ilico Romanae Ecclesiae Episcopus simulque verus Papa, et Caput Collegii Episcopalis; idemque actu plenam et supremam potestatem in universam Ecclesiam acquirit atque exercere potest. Quodsi electus caractere episcopali careat, statim ordinetur Episcopus.
- 3419 89. Deinde, actis de more agendis, iuxta *Ordinem sacrorum rituum Conclavis*, Cardinales electores, secundum statutas rationes, accedunt ut electo Summo Pontifici obsequium et oboedientiam exhibeant. Quo actu completo, gratiae Deo persolvuntur, ac deinde populo expectanti a primo Cardinalium Diaconorum novus Pontifex annuntiatur, qui subinde Apostolicam Benedictionem *Urbi et Orbi* impertit. Si electus caractere episcopali careat, obsequium et oboedientia eidem praebentur et nuntius populo perfertur tantum postquam ipse ordinatus Episcopus est.
- 3420 90. Si autem electus extra Conclave degit, normae sunt observandae, quae in praedicto *Ordine sacrorum rituum Conclavis* continentur. Episcopalis ordinatio Summi Pontificis electi, qui nondum sit Episcopus, de qua in nn. 88 et 89 mentio habetur, fit de more Ecclesiae a Decano Sacri Cardinalium Collegii aut, [645] si hic abest, a Subdecano aut, si hic etiam impeditur, ab antiquiore Cardinali Episcopo.

<sup>16</sup> Cf. *Act.* 1, 14.

## De titulo Basilicae Minoris

Die 15 octobris 1975 Sectio pro Cultu Divino SCSCD partes quasdam Decreti «de titulo Basilicae Minoris» pressius definivit, recentioribus attentis documentis.

ED. - Lat.: N 11 (1975) 260-262; EL 90 (1976) 506-507.

I. *Condiciones*

- [260] 1. Ecclesia congruenti amplitudine et artis decore emineat, et sit consecrata. <sup>2</sup> 3421
2. Ad structuram et formam quod attinent, liturgicis legibus admissim respondeat (v. gr. altare maius versus populum sit exstructum; sedes celebrantis et ambo ad verbum Dei proclamandum, crux, baptisterium, locus pro asservatione SS.mae Eucharistiae habeantur apte disposita; imagines quoad formam, numerum, collocationem vigentibus normis congruant); idonea sit ad liturgicas actiones rite exsequendas et ad fidelium actuosam participationem obtinendam. 3422
3. In universa dioecesi quadam celebritate gaudeat, v.g. quia corpus vel insignis reliquia alicuius Sancti canonizati in ea asservatur, vel celebris imago ibidem peculiari veneratione colitur, vel ipsa ecclesia refertur ad singularem quendam eventum religiosae dioecesis historiae. 3423
4. Vitae religiosae et pastoralis veluti radiationis centrum existat; hinc: 3424
- a) sacrae Liturgiae et praesertim Eucharistiae celebratio omnimoda cum dignitate peragatur, quae sit aliis in exemplum, sive ob liturgicarum legum observantiam sive ob actuosam populi participationem;
- [261] b) *Schola Cantorum* ibi habeatur ac praeterea non desit qui fidelium participationem ducere et sustinere queat;
- c) sacerdotes numero sufficientes ecclesiae addicti et confessarii paenitentium necessitati, statutis horis, praesto sint;
- d) verbi divini praedicatio frequens fiat nec ad homiliam dierum festorum dumtaxat redigatur.
5. Documenta dirigenda Sacrae Congregationi pro Sacramentis et Cultu Divino ad titulum Basilicae Minoris obtinendum ea quae sequuntur amplecti debent: 3425

<sup>2</sup> Longitudo aedificii ca. 50 m. de more computatur.

- a) petitionem rectoris ecclesiae ab Ordinario loci approbatam, etiamsi agatur de ecclesiis exemptis;
- b) indicationem an aliae et quaenam Basilicae in dioecesi inveniantur;
- c) «nihil obstat» Conferentiae Episcoporum;
- d) opuscula, libros, imagines luce impressas, ex quibus ecclesiae forma, structura, condicio, sufficienter illustrentur;
- e) responsiones «Quaestionario» adnexo.<sup>3</sup>

## II. Obligationes

- 3426 6. Intra Basilicae fines promoveatur religiosa fidelium institutio, peculiaribus cursibus instructionis seriebus, ceterisque eiusmodi inceptis.
- 3427 7. Inter Basilicae opera et incepta plurimum tribuatur studio et vulgationi documentorum, quibus Summi Pontificis mens et magisterium exhibetur.
- 3428 8. In ipsa Basilica singulari cum sollemnitate celebrentur:
- a) festum Cathedrae S. Petri (22 febr.);
  - b) sollemnitas SS. Apostolorum Petri et Pauli (29 iun.);
  - c) anniversarium electionis Summi Pontificis.
- 3429 [262] 9. In quavis Basilica, pro opportunitate, diebus praesertim festivis, una alterave Missa lingua latina celebretur. In eiusmodi Missis gregorianae melodiae vel sacra polyphonia peculiari cura et studio proferantur.  
Item, pro opportunitate, celebrentur etiam Missae lingua vernacula frequentioribus coetibus peregrinorum propria.
- 3430 10. In fronte Basilicae Summi Pontificis vel Apostolicae Sedis insignia collocentur.

## III. Concessiones

- 3431 11. Fideles plenariam indulgentiam, suetis condicionibus, acquirere possunt Basilicam diebus infrascriptis visitantes:
- a) in sollemnitate SS. Apostolorum Petri et Pauli (29 iun.);
  - b) in sollemnitate Titularis;
  - c) die 2 augusti, quo «Portiunculae» indulgentia occurrit;
  - d) die ad libitum semel in anno electa.
- 3432 12. Signum pontificium, idest Claves decussatae, adhiberi poterit in vexillis, in supellectile, in sigillo Basilicae.
- 3433 13. Rectori Basilicae super rochetum uti licet mozzetta ex serico nigro cum oris, ocellis et globulis rubini coloris.

<sup>3</sup> In «Quaestionario» notitiae quaeruntur circa mensuram ecclesiae eiusque dispositionem ad celebrationes liturgicas iuxta exigentias instaurationis liturgicae, diem consecrationis, reliquias et imagines quae in ea coluntur, eius momentum historicum et artisticum eiusque vitam religiosam et pastorem.



## De mulierum sacerdotio

Die 30 novembris 1975 Paulus VI rescriptum ad litteras Friderici Donaldi Coggan, Archiepiscopi Cantuariensis, de sacerdotali mulierum ministerio dedit.

---

ED. - Angl.: AAS 68 (1976) 599-600; DOL 161. Gall.: DC 73 (1976) 771-772. Ital.: Unitas 31 (1976) 201-202; CC 128/I (1977) 378-379. Neer.: AK 31 (1976) 935-936.

---

[599] We write in answer to your letter of 9 July last. We have many times had occasion to express to your revered predecessor, and more lately to yourself, our gratitude to God and our consolation at the growth of understanding between the Catholic Church and the Anglican Communion and to acknowledge the devoted work both in theological dialogue and reflection and in Christian collaboration which promotes and witnesses to this growth. 3434

It is indeed within this setting of confidence and candour that we see your presentation of the problem raised by the developements within the Anglican Communion concerning the ordination of women to the priesthood.

Your Grace is of course well aware of the Catholic Church's position on this question. She holds that it is not admissible to ordain women to the priesthood, for very fundamental reasons. These reasons include: the example recorded in the Sacred Scriptures of Christ choosing his Apostles only from among men; the constant practice of the Church, which has imitated Christ in choosing only men; and her living teaching authority which has consistently held that the exclusion of women from the priesthood is in accordance with God's plan for his Church.

The Joint Commission between the Anglican Communion and the Catholic Church, which has been at work since 1966, is charged with presenting in due time a final report. We must regretfully recognize that a new course taken by the Anglican Communion in admitting women to the ordained priesthood cannot fail to introduce into this dialogue an element of grave difficulty which those involved will have to take seriously into account.

Obstacles do not destroy mutual commitment to a search for reconciliation. We learn with satisfaction of a first informal discussion of the

question between Anglican representatives and those of our Secretariat for Promoting Christian Unity, at which the fundamental theological importance of the question was agreed on. It is our hope [600] that this beginning may lead to further common counsel and growth of understanding.

## «Evangelii nuntiandi»

Die 8 decembris 1975 Paulus VI «ad Episcopos, Sacerdotes et Christifideles totius Catholicae Ecclesiae» Adhortationem Apostolicam de evangelizatione in mundo huius temporis direxit. In qua Adhortatione Summus Pontifex saepenumero de rebus liturgicis loquitur.

ED. - Lat.: AAS 68 (1976) 5-76. Gall.: DC 73 (1976) 1-22; BNL 10 (1976) 56-57 (partim). Germ.: VAS 2, 3-72; NK 57 (1976) 32-195; HK 30 (1976) 133-152. Hisp.: E 36 (1976) 14-25 et 77-81 et 113-117; *La Evangelización del mundo contemporáneo*, Madrid 1976. Ital.: EV 5, 1009-1125; RD 21 (1976) 2-17; *L'impegno di annunciare il Vangelo* = Servizio dell'Unità 7, Leumann (Torino) 1977. Lus.: LRC 40 (1976) 53-82. Neer.: AK 31 (1976) 189-233; WKD 3.

COMM. - Germ.: A. BRANDENBURG, in: NK 57 (1976) 196-240; P.W. SCHEELE, in: VAS 2, 73-79. Ital.: G. CONCETTI (ed.), *Evangelizzazione e Catechesi* = Sussidi pastorali e liturgici 45, Milano 1980, 205-393.

## I

[13] 14. [...] Ecclesia evangelizandi causa exstat, id est ut praedicet ac doceat verbum Dei, ut per eam donum gratiae ad nos perveniat, ut peccatores cum Deo reconcilientur, ut denique Christi sacrificium in perpetuum repraesentet in Missa celebranda, quae eius mortis eiusque gloriosae Resurrectionis memoriale est. 3435

15. [...] [14] Christianorum enim communitas numquam in se ipsa concluditur, quoniam eius intima vita — hoc est precandi studium, verbi atque doctrinae Apostolorum auscultatio, fraternae caritatis exercitatio, fractio panis<sup>40</sup> — vim virtutemque suam haud plene consequitur, nisi cum in testimonium transit, admirationem animorumque conversionem gignit, Evangelii praedicatio ac nuntiatio efficitur. [...] 3436

<sup>40</sup> Cf. Act. 2, 42-46; 4, 32-35; 5, 12-16.

II

- 3437 [17] 17. In opere evangelizantis Ecclesiae quaedam elementa et partes profecto sunt, quae retineantur oportet. Immo vero aliqua eorum tanti sunt momenti, ut interdum existimentur simpliciter constituere totam ipsam evangelizationem. Ita videlicet evangelizatio definiri potuit tamquam demonstratio Christi Domini iis qui illum non noverunt, uti praedicatio, catechesis, baptismus et aliorum Sacramentorum dispensatio. [...]
- 3438 [21] 23. [...] Sed ingressus ille in ecclesiam communitatem multis aliis vicissim signis declarabitur, quae idem Ecclesiae signum extendunt et explicant. Secundum dynamicam vim evangelizationis, is qui Evangelium amplectitur uti Verbum salutis,<sup>54</sup> plerumque illud transfert in haec signa sacramentalia: in adhaesionem Ecclesiae et in frequentationem Sacramentorum, quae patefaciunt et fulciunt eandem adhaesionem per gratiam, quam conferunt.

III

- 3439 [24] 28. [...] Evangelizatio continet igitur etiam praedicationem spei de promissionibus, a Deo in novo Foedere factis per Iesum Christum; praedicationem amoris Dei erga nos nostrique amoris in Deum; praedicationem amoris fraterni erga omnes homines — id est capacitatis largiendi doni et veniae, abnegationis et opitulationis pro fatribus — qui, ex amore Dei profluens, centrum est Evangelii; praedicationem mysterii iniquitatis atque actuosae inquisitionis honestatis; praedicationem similiter — et quidem semper urgentem — inquisitionis Dei ipsius per precationem in primis adorationis et gratiarum actionis causa admotam, sed etiam per communionem cum aspectabili illo signo conjunctionis cum Deo, quod est Ecclesia Iesu Christi; quae quidem communio vicissim significatur per impletionem aliorum illorum signorum Christi, viventis atque [25] operantis in Ecclesia, quae sunt Sacramenta. Sacramenta vivere ita, ut eorum celebratio perveniat ad veram christianae vitae plenitudinem, non significat — quemadmodum etiam nunc perperam affirmatur — impedimentum inicere evangelizationi vel ab eadem declinationem admittere, sed ei tribuere propriam integritatem. Etenim evangelizationis plenitudo, praeter alicuius nuntii praedicationem, consistit in Ecclesiae aedificatione, quae vero non existit sine hoc spiritu, qui est vita sacramentalis, in divina Eucharistia suum attingens fastigium.<sup>59</sup>

<sup>54</sup> Cf. Rom. 1, 16; 1 Cor. 1, 18.

<sup>59</sup> Cf. SCDF, *Declaratio circa Catholicam Doctrinam de Ecclesia contra nonnullos errores hodiernos tuendam* (24 Iunii 1973): AAS 65 (1973) 396-408.

[30] 43. Haec autem praedicatio, qua Evangelium nuntiatur, multas induere formas potest, easque ardens animorum studium suggeret et in infinitum paene multiplicabit. Revera enim innumerabiles sunt vitae eventus ipsaque, in quibus homines versantur, adiuncta, quae praebent opportunitatem res prudenter itemque praeclare nuntiandi, quas Dominus aliqua data occasione dicere velit. In quo satis cuique est, si vere spiritualem habeat sensum, quo Dei nuntium in rerum cursu signatum detegat. Verum, quoniam instauratus sacrae liturgiae ordo «Liturgiae Verbi» multum auctoritatis attribuit, is profecto erret qui homiliam esse validum atque lectissimum peragenda evangelizationis instrumentum neget. Oportet sane pernoscere in usumque convertere sive postulationes sive virtutes, homiliae proprias, ut ea nempe pastoralis efficacitatis plenitudinem consequatur. Sed hoc in primis oportet sibi quisque persuasum habeat, totoque amoris affectu ad hoc se devoteat. Haec eadem praedicatio, singulari modo in eucharisticam celebrationem inserta, ex qua peculiarem vim ac firmitatem haurit, nihil est dubii, quin praecipuum munus in evangelizatione expleat, quatenus intimam fidem sacri ministri praedicantis patefaciat penitusque amore imbuatur. Ab ea enim fideles, coadunati ut Ecclesiam paschalem efforment, quae festum Domini in medio eorum adstantis celebrat, multum sibi exspectant laetosque fructus percipiunt, modo sit simplex, perspicua, directa, accommodata, in Evangelii doctrina posita atque infixata, Ecclesiaeque pariter Magisterio fideliter adhaerens, apostolico incitata ac temperata ardore, qui ei suapte natura obveniat, plena bonae spei, fidem enutrens, pacem progignens et unitatem. Multae [34] communitates sive paroeciales sive alius generis per homiliam, dominicis habitam diebus, vivunt atque confirmantur, modo illis ditetur proprietatibus.

3440

Huc insuper accedit quod, propter eandem sacrae liturgiae instaurationem, non in eucharistica tantummodo celebratione tempus adest habendae homiliae conveniens. Haec enim suum locum obtinet, neque proinde est neglegenda in Sacramentis omnibus celebrandis, atque etiam in caeremoniis liturgiae adsimilioribus peragendis, cum fideles una simul conveniunt. Semper eadem ad Verbum Domini annuntiandum opportunitas maxime singularis erit.

44. [...] [35] Ex altera autem parte, quamvis minime praetereunda sit infantium educatio, iam patet hodiernas condiciones plus plusque flagitare, ut institutio catechetica sub forma alicuius catechumenatus tradatur pluribus adolescentibus et adultis, qui gratia divina commoti paulatim detegunt Christi vultum et sentiunt quam sit necesse sese Illi totos dedere.

3441

[36] 46. [...] Equidem Nos paene impares sumus egregio merito sacerdotum, qui per Paenitentiae Sacramentum vel per pastorales colloquutiones sese impigros sedulosque praestant ad personas secundum Evangelii vias ducendas, ad eas quae enitantur confirmandas, ad eas si ceciderint erigendas, ad eas suo semper consilio studiosaque voluntate adjuvandas.

3442

3443 47. Verumtamen, illud satis numquam perseverabitur, evangelizationem neque habita praedicatione neque aliqua tradita doctrina ex toto perfici. Etenim, ad vitam usque pertingat oportet: sive ad naturalem vitam, quam quidem nova significatione dicit, spe et expectatione evangelici verbi reseratis; sive ad vitam supernaturalem, quae ipsam naturalem vitam, nedum respuat, purificat et auget. Supernaturalis haec vita quid sit quidque valeat, septem Sacramenta declarant eaque inde mire radiantibus virtutes gratiae atque sanctitatis.

Tali igitur modo suas omnes divitias evangelizatio in apertum profert, cum per eam artissimum nectitur vinculum, vel [37] potius continuatio coniunctioque inter Verbum et Sacramenta. Res enim in ambiguo quodammodo est, si — ut interdum fit — Evangelii nuntiatio et Sacramentorum ministratio ex adverso ponantur. Quidam sane Sacramenta conferendi mos, qui firmo careat fundamento catecheseos de iisdem Sacramentis atque *globalis*, ut aiunt, catecheseos, eum ad finem recidit, ut illa magna ex parte sua efficacitate destituantur. Nam proprium evangelizantis munus est ad fidem ita educare, ut per eam singuli christiani adducantur ad Sacramenta veluti vera fidei Sacramenta vivenda, non autem ad ea desidiose recipienda vel aegre ferenda.

3444 48. Nunc vero talis evangelizationis faciei mentionem inchoamus, quae neglegentes nos esse non sinit; quapropter, de illa iuvat re loqui, quae saepe in praesenti *popularis religiositas* nuncupatur.

Tam in regionibus ubi Ecclesia multa iam saecula consita est, quam in illis ubi in eo est ut conseratur, passim apud populum singulares consuetudines inveniuntur, quibus Dei investigatio atque fides significantur. Qui habitus, si diu tamquam minus puri existimati interdumque despecti sunt, ubique fere ab hodiernae aetatis hominibus ad novam quandam indagacionem cognitionemque revocantur, eorumque sensum ipsi Episcopi, inter recentioris Synodi coetus, penitius intellegere conati sunt, insigni ducti rerum pastoralium veritate atque studio.

Fatendum sane est popularem religiositatem certis angustisque terminis contineri. Ea enim haud raro multis spuris religionis formis patet, propiusque etiam ad superstitionem accedit; saepe in inferioribus veluti gradibus religiosi cultus consistit, qui tamen animos ad germanam fidei consensionem non pertrahit; potest ad sectas etiam factionesque condendas impellere, ipsa unde ecclesialis communitas periclitetur.

At vero, si congruenter dirigatur, ac potissimum per evangelizandi viam rationemque, multis quoque bonis eadem uber [38] est. Namque aliquam Dei sitim portendit, quam simplices pauperesque spiritu uni possunt experiri; hominibus tribuit facultatem sese devovendi et strenue impendendi ad apicem usque virtutis, cum de fide profitenda agatur. Acrem secumfert sensum, quo ineffabilia Dei attributa percipi queant: eius nempe paternitas, providentia, praesentia perpetuae benevolentisque caritatis. Ex interiore homine progignit habitus, quos rarius alibi pares aequalesque deprehendas: patientiam dicimus, conserentiam crucis in cotidiana vita ferendae, a rebus abstractionem, liberalem aliorum admissionem, officiosam observantiam. Pro hisce igitur

tur dotibus eam potius *popularem pietatem*, seu populi religionem, quam religiositatem appellamus.

Pastoralis caritatis est illis omnibus, quos Dominus Ecclesiae communitatibus praeposuit, rectas agendi normas suadere ad tantam rem accurandam, quae tam fructibus uber, quam periculis obnoxia est. Ante omnia, molliore quis sensu oportet moveatur, menteque exercitata in interioribus eius elementis eiusque haud infitiandis bonis detegendis, promptoque animo ad eam sustentandam, ut suorum discrimina errorum propulsare valeat. Cum bene dirigitur, popularis eiusmodi religiositas magis magisque conferre potest, ut nostrae vulgi multitudines Deo in Christo Iesu revera occurrant.

V

[41] 53. [...] Ecclesia veneratur et magni facit eiusmodi religiones non christianas, quibus animi permultorum hominum coetum significanter exprimuntur; in iis enim percipere est quasi repercussas voces illorum, qui per mille annorum spatia Deum imperfecte quidem, sed saepe sincere ac recte quaesiverunt. Religiones illae, mirabile quoddam patrimonium textuum penitus religiosorum obtinentes, generationes hominum docuerunt preces facere; eademque tamquam innumeris *seminibus Verbi*<sup>74</sup> distinguuntur atque adeo veri nominis *praeparationem evangelicam*<sup>75</sup> efficiunt, ut egregiis locutionibus Concilii Vaticani II utamur, de opere Eusebii Caesariensis depromptis. [...]

3445

[45] 56. Altera condicio eorum est, qui religionem non exercent, scilicet permagnae multitudinis baptizatorum, qui plerumque non eiuraverunt suum expresse baptismum, sed velut in extremis eius limitibus prorsus versantur neque ex eo vitam ducunt. [...]

3446

[46] 58. Diu Synodus recens de his parvis communitatibus, seu a basi appellatas, egit, quoniam in hodierna Ecclesia saepius de iis mentio fit. [...]

3447

[47] Hae communitates vel tantum modo suo, quoad ea, quae ad rem spiritualem et religiosam pertinent — ut sunt Dei cultus, subtilior fidei cognitio, caritas fraterna, preces, communio cum Pastoribus — parvum sociale coetum, pagum aliave extendere possunt; vel congregare volunt ad audiendum reputandumque Verbum, ad Sacramenta, ad agapes vinculum, coetus aetate, cultura, sociali condicione similes — coniuges, iuvenes, eos qui varia munera et artes profitentur, ceteros —; itemque homines ipsa vivendi ratione concordantes, quoniam una simul iustitiam, opem fraternam pauperibus ferendam, humanam progressionem propugnant; christianos denique, ubi penuria sacerdotum

<sup>74</sup> Cf. S. Iustini, *I Apologia* 46, 1-4; *II Apologia* 7 (8) 1-4; 10, 1-3; 13, 3-4; *Florilegium Patristicum* II, Bonn 1911 2, 81, 125, 129, 133; Clementis Alex., *Stromata* I, 19, 91, 94; *SCh* 30, 117-118, 119-120; *Ad gentes*, n. 11; *Lumen gentium*, n. 17.

<sup>75</sup> Eusebii Caesariensis, *Praeparatio Evangelica*, 1, 1; *PG* 21, 26-28; cf. *Lumen gentium*, n. 16.

non favet ordinariae paroecialis communitatis vitae. Haec omnia fieri putantur intra communitates ab Ecclesia constitutas, et maxime intra ecclesias particulares et paroecias. [...]

## VI

3448 [50] 60. Ecclesiam autem missam esse, eandemque ad evangelizationem proprie spectare, hoc duplicem in nobis excitat persuasionem. Ac primum, opus evangelizationis nemini singularem actum esse et solitarium, sed omnino ecclesiale. Ideoque, [51] cum praedicator vel humillimus, catechista vel pastor, in perquam loginqua regione, Evangelium nuntiat, sive parvam suam communitatem colligit, sive aliquod Sacramentum ministrat, etiamsi sit solus, actum Ecclesiae exsequitur, eiusque opus cum totius Ecclesiae evangelizantis actione certe coniungitur, non solum vinculis *institutionalibus*, sed invisibilibus etiam vinculis atque occultis cum superna gratia radicibus. Ex hoc inducitur eum non veluti sibi sumpto sponte officio, nec sua ipsius ductum mentis incitatione agere, sed in communione cum Ecclesiae munere atque eiusdem nomine. [...]

3449 61. [...] Prisci christiani, in suis liturgicis celebrationibus, in suis coram iudicibus et carnificibus testificationibus, in suis de re apologetica scriptis, se firmissime in Ecclesiam credere libenter declarabant, eam ubique terrarum diffusam esse demonstrantes. [...]

3450 [53] 63. Ecclesiae particulares, quae penitus non modo cum ipsis hominibus commiscuntur, sed etiam cum appetitionibus, divitiis angustisque, necnon orandi, amandi, vitam mundumque spectandi modis, quae distinguunt definitum quemdam hominum coetum, debent substantiam evangelici nuntii intellectam excipere eamque, sine ulla vel minima eius fundamentalis veritatis immutatione, in sermonem transferre, qui ab iisdem hominibus comprehendatur, eamque postea tali sermone nuntiare.

Quae quidem translatio facienda est — iis sane adhibitis consilio, gravitate, reverentia et competenti facultate, quae res ipsa postulat — in campis ad sacrae Liturgiae rationes,<sup>92</sup> ad catechesim, ad theologiae enuntiata, ad secundarias ecclesiales structuras, ad ministeria pertinentibus. [...]

3451 64. [...] [55] Revera, quo solidiora sunt communionis vincula, quibus Ecclesia particularis cum Ecclesia universali devincitur — vincula dicimus caritatis et fidelitatis, prompti erga Petri Magisterium obsequii, unitatis in lege orandi, quae est etiam lex credendi, sollicitudinis servandi unitatem cum ceteris Ecclesiis, quae universalitatem efficiunt —, eo aptior haec eadem Ecclesia evadet ad thesaurum fidei in legitimas

<sup>92</sup> Cf. *Sacrosanctum Concilium*, nn. 37-38; cf. etiam liturgici libri ceteraque documenta, insequenti tempore ab Apostolica Sede edita ad reformationem liturgicam exsequendam, quam Concilium Vaticanum II faciendam decrevit.



varietates transferendum, quibus exprimi possunt sive eiusdem fidei professio, sive orationis formae ac Dei cultus, sive christianorum vita et mores, sive spiritualis populi vis, in quo ipsa versatur; eoque etiam verior fiet Evangelii nuntia, hoc est facultate pollens hauriendi a patrimonio universalis id quod ad sui populi emolumentum cedat, itemque eiusdem populi experientiam vitamque Ecclesiae universali tradendi in omnium utilitatem. [...]

[57] 68. Cum Successore Petri coniuncti, Episcopi, Apostolorum successores, vi episcopalis ordinationis, potestatem suscipiunt veritates revelatas in Ecclesia docendi. Ipsi fidei magistri constituti sunt. Cum Episcopis in ministerium evangelizationis consociantur, huius potestatis ex peculiari titulo participes, ii qui per sacerdotalem ordinationem *personam Christi gerunt*,<sup>103</sup> qua educatores Populi Dei in fide, divini Verbi praecones, simulque Eucharistiae ceterorumque Sacramentorum administri.

3452

Nos omnes igitur Pastores, magis quam quolibet aliud Ecclesiae membrum, invitamur ad huius muneris conscientiam in Nobis excitandam. Quod nostrum sacerdotale ministerium distinguit, quod efficit ut apte inter se cohaereant innumera ea negotia, quae per totius nostrae vitae cursum nos sollicitos tenent, quod denique peculiarem prorsus notam nostrae indu[68]striae impertit, est hic finis, cuiuslibet insitus actioni nostrae: *Evangelium Dei praedicare*.<sup>104</sup>

En verae imaginis nostrae proprietas, quam nulla umquam dubitatio extenuare, nulla obiectatio obscurare debet: qua Pastores, miserenti Pastoris Summi consilio<sup>105</sup> electi sursum, etsi impares, ad Verbum Dei cum potestate praedicandum, ad congregandum Populum Dei dispersum, ad innutriendum hunc Populum in signis actionis Christi, quae Sacramenta sunt, ad illum per salutis iter ducendum in eaque servandum unitate, cuius nos ipsi in variis ordinibus activa ac vitalia instrumenta constituti sumus, denique ad continenter animandam hanc communitatem circa Christum congregatam, secundum intimam eius vocationem. Cum autem haec omnia absolvimus pro nostris humanis viribus et secundum gratiae Dei mensuram, tunc profecto evangelizationis opus perficimus, sive Nos, qui munere fungimur Pastoris Ecclesiae universalis, sive Nostri in episcopatu Fratres Ecclesiis particularibus praepositi, sive Presbyteri et Diaconi coniuncti cum episcopis suis, quorum cooperatores sunt per communionem, quae e sacramento Ordinis sacri et ex Ecclesiae caritate proficiscitur.

69. [...] [59] Quae cum ita sint, facile intellegitur, quas partes agant in evangelizatione religiosi sodales atque sanctimoniales, qui precationibus, silentio, poenitentiae operibus, sui devovendi studio se dedunt. [...]

3453

<sup>103</sup> Cf. *Lumen gentium*, nn. 10, 37; *Ad gentes*, n. 39; *Presbyterorum ordinis*, nn. 2, 12, 13.

<sup>104</sup> Cf. *1 Th.* 2, 9.

<sup>105</sup> Cf. *1 Petr.* 5, 4.

3454 71. [...] [61] Ipsae familiae, quae ex matrimonio mixto exortae sunt, Christum suae proli annuntiare debent secundum plenam vim et significationem communis baptismi; ipsae praeterea difficili tenentur officio sese efficiendi unitatis artifices.

3455 73. Ita quidem maximum sui momentum consequitur operosa laicorum praesentia in rebus temporalibus. Neglegendus igitur non est neque oblivione praetereundus alter rerum prospectus: laici enim possunt animadvertere se vocatos esse vel vocari ad consociandam operam cum Pastoribus in famulatu communitatis ecclesialis, in eius auctum et vitae ubertatem, dum ministeria valde distincta exercent, pro gratia atque carismatibus, quae Dominus iis dilargiri voluerit. [...] [62] Absque dubio, iuxta ministeria per sacramentum Ordinis collata, vi quorum Pastores constituuntur atque peculiari modo communitatis famulatu se devovent, Ecclesia agnoscit alia ministeria, quae, etsi cum sacro Ordine non sint coniuncta, accommodantur tamen ad peculiare Ecclesiae officium exercendum.

Consideratio ad Ecclesiae primordia intenta multum luminis affert atque nobis sinit, ut utamur vetusta experientia, quod ad ministeria attinet; quae experientia eo validior est, quoniam pristinae Ecclesiae facultatem dedit accrescendi, sese corroborandi atque extendendi. Haec tamen primordiorum exploratio complenda est consideratione necessitatum humanae condicionis Ecclesiaeque nostrae aetatis. Haurire ex fontibus istis semper consiliorum plenis, nullum horum bonorum posthabere atque apte accommodari postulatis et necessitatibus huius temporis: haec sunt capita, quae facultatem praebebunt sapienter inquirendi atque in luce collocandi ministeria, quibus Ecclesia indiget quaeque plures Christifideles libenter suscipient ad maiorem usque fovendam ecclesialis communitatis vivacitatem. Haec ministeria secum ferent veram pastoralementem virtutem secundum rationem, qua servabunt omnino unitatem normasque latas a Pastoribus, utpote qui unitatis Ecclesiae sponsores atque auctores sint constituti.

Huiusmodi ministeria, quae specie quidem nova videntur, sed valde contra cohaerent cum antiquis Ecclesiae experimentis per longum vitae eius curriculum — ministeria, verbi causa, dicimus catechistarum, precatationis et cantus moderatorum, christianorum deditorum praedicationi Verbi Dei vel famulatu fratrum egentium, praepositorum communitatum parvarum, auctorum motuum apostolicorum, et aliorum istius generis — [63] utilissima quidem sunt ad Ecclesiam condendam, vivificandam et amplificandam, atque etiam efficere possunt, ut ipsa magis circumcirca effulgeat eosque tangat, qui procul absunt. [...]

Omnibus evangelizationis operariis sedula praeparatio necessaria est, qua quidem multo magis ii indigent, qui ministerio Verbi sunt addicti. Incitati altiore semper conscientia excelsitatis et ubertatis Verbi Dei, illi, quorum officium est idem Verbum diffundere, quam maximum studium adhibere debent ad dignitatem et diligentem curam et accommodationem sermonum suorum. Omnes enim noverunt loquendi artem hodie permagnum prae se ferre momentum et pondus. Quomodo igitur praedicatores et catechistae poterunt eam contemnere? Vehemen-

ter proinde optamus, ut in unaquaque Ecclesia particulari Episcopi convenienter procurent institutionem omnium ministrorum Verbi. Illa videlicet educatio seria augebit in iis necessariam fiduciam sui, sed etiam studium inflammabit Iesu Christi praedicandi hoc ipso tempore nostro.

## VII

75. [...] [66] Episcoporum Synodus quidem, anno MCMLXXIV habita, postquam opportune instituit operam Spiritus Sancti in negotio evangelizationis, vota pariter suscepit, ut animorum pastores atque theologi — inter quos fideles etiam ponimus, quos signum Spiritus Sancti per Baptismum notavit — naturam atque agendi [67] modum divini illius Paracliti altius excuterent in evangelizatione praesentis temporis. Quod et Nos in votis habemus, dum Evangelii praecones hortamur, cuiuscumque ordinis vel condicionis sunt, ut sine intermissione Spiritui divino summa fide et ardore supplicent, illiusque ductui prudenter se permittant tamquam auctoris praecipui consiliorum suorum, suorum coeptorum suaeque operae ad evangelizationem spectantis. 3456

76. [...] [68] Hortamur ergo Venerabiles Fratres, quos *Spiritus Sanctus posuit pascere Ecclesiam Dei*.<sup>120</sup> Hortamur Presbyteros et Diaconos, Episcoporum adiutores atque spiritalis alacritatis suasores in consociationibus Populi Dei et in locorum communitatibus. Hortamur Religiosos, testes huius Ecclesiae, quae ad sanctitatem invitatur, ideoque exstimulatos ad talem amplectendam vivendi rationem, quae evangelicarum Beatitudinum sit argumentum. Hortamur laicos: familias christianas, iuvenes et adultos, illos omnes qui artificia exercent, moderatores, neque obliviscimur pauperes saepe fide et spe affluentes, laicos omnes conscios suarum in evangelizatione partium in famulatu Ecclesiae, vel in media societate et mundo. His omnibus dicimus: necesse est, ut nostrum evangelizationis studium vehemens a germana vitae sanctitate proficiscatur, quam precatio ac praesertim amor erga Eucharistiam alant, atque — sicut Concilium Vaticanum II nos admonet — praedicatio ex parte sua incrementum afferat sanctitati praedicatoris.<sup>121</sup> [...] 3457

Mundus repetit et exposcit a nobis vitae simplicitatem, precandi habitum, caritatem in omnes, praesertim erga parvulos et pauperes, oboedientiam et humilitatem, nostri oblivionem et renuntiationem. [...]

80. [...] [74] Haud inutile erit, si singuli fideles singulique evangelizatores orando hanc perscrutantur sententiam: homines, etiamsi eos non evangelizaverimus, salvi esse poterunt etiam per alias vias, propter Dei misericordiam; at, si desidiosi vel pavidus vel «erubescens Evange- 3458

<sup>120</sup> Cf. Act. 20, 28.

<sup>121</sup> Cf. *Presbyterorum ordinis*, n. 13.

<sup>134</sup> Cf. Rom. 1, 16.

lium», ut scripsit Sanctus Paulus, <sup>134</sup> vel, falsas secuti sententias, illud praetermittimus nuntiare, num possumus nosmet ipsos salvos facere? Id enim nihil aliud est quam irritam facere vocationem Dei, qui vult bonum semen per vocem ministrorum Evangelii germinare; perque nos stabit, ut idem semen in arborem excrescat suumque fructum proferat. [...]

## De institutione theologica candidatorum ad sacerdotium

Die 22 februarii 1976 SCIC Notas directivas et Normas circa institutionem theologicam candidatorum ad sacerdotium edidit; in quibus Notis et Normis etiam institutio liturgica quodammodo respicitur. Textus, pluribus linguis publici iuris factus, hic lingua italica refertur, qua exaratus est.

ED. - Ital.: SCIC, *La formazione teologica dei futuri sacerdoti*, Typis Polyglottis Vaticanis 1976; EV 5, 1168-1221; RD 21 (1976) 198-214. Gall.: DC 73 (1976) 457-477. Hisp.: E 36 (1976) 785-789 et 821-825 et 854-858 et 892-897; *La formación teológica de los futuros sacerdotes*, Madrid 1976.

COMM. - Ital.: A. BENI, in: *Rivista del Clero Italiano* 58 (1977) 253-256.

### II. ESIGENZE DELL'INSEGNAMENTO TEOLOGICO

#### I. ESIGENZE FONDAMENTALI

##### 2. *Funzione della teologia*

[12] (25)\* 2) Nello svolgere questa sua funzione, la teologia ha un'incidenza rilevante nella vita spirituale, perché chiarisce e approfondisce il senso delle leggi della salvezza e della via del progresso spirituale, che la Rivelazione offre alla vita cristiana. Ciò vale, anzitutto, per la formazione del futuro sacerdote a una illuminata e solida pietà, fondata sulla comprensione del suo ministero e sull'esatta valutazione della oblazione che la Chiesa gli chiede. <sup>1</sup> 3459

<sup>1</sup> Questo aspetto della teologia deve essere messo in risalto in modo particolare nel Corso introduttorio, nel quale «il mistero della salvezza sia proposto in modo che gli alunni possano percepire il significato degli studi ecclesiastici, la loro struttura e il loro fine pastorale, e insieme siano aiutati a far della fede il fondamento e l'anima di tutta la loro vita, e vengano consolidati nell'abbracciare la loro vocazione con piena dedizione personale e con lieto animo», *Optatam totius*, n. 14.

\* Numeri uncis rotundis inclusi in margine ipsius editionis principis inscripti sunt.

### III. ORIENTAMENTI PER L'INSEGNAMENTO TEOLOGICO

#### I. ORIENTAMENTI GENERALI

##### 3. Vitalità e comunicabilità del sapere teologico

- 3460 [31] (73) 2) In forza della sua stessa natura, la teologia porta all'incontro personale con Dio, suscitando in chi la insegna o la studia uno stimolo alla preghiera e alla contemplazione. La spiritualità nascente da una vita di fede è come una dimensione interna della teologia, alla quale dà un sapore soprannaturale. D'altra parte, ai fini di una più intensa vita spirituale e di una adeguata preparazione pastorale è necessario un serio insegnamento scientifico, senza il quale a nulla valgono gli eventuali adattamenti ascetici e pastorali.
- 3461 (74) 3) La vitalità della teologia in rapporto alla preghiera e alla contemplazione, secondo l'insegnamento del Concilio Vaticano II, si ottiene mediante il ricorso alla parola di Dio manifestata e operante nella storia della salvezza, che trova il suo centro vivificante e sintetizzante nel mistero del Cristo.<sup>2</sup> Le verità della fede risultano tanto più vitali quanto più se ne vede la profonda unità nel Cristo, come si costata in modo particolare nei Padri e nella liturgia. Per questa ragione un maggiore accostamento sia alla Sacra Scrittura, sia ai Padri e alla liturgia può considerarsi il mezzo più efficace per scoprire la forza vitale della formazione teologica. A tal fine servono evidentemente anche tutti i mezzi e gli sforzi sopra menzionati per dare all'insegnamento teologico maggiore coesione e unità.

#### II. ORIENTAMENTI PARTICOLARI PER LE VARIE DISCIPLINE TEOLOGICHE

##### 1. La Sacra Scrittura

- 3462 [35] (83) 5) Il professore di Sacra Scrittura sarà consapevole soprattutto dei compiti che il suo insegnamento ha in funzione della teologia dogmatica e morale, della teologia fondamentale, del ministero pastorale e della vita spirituale dei futuri sacerdoti. Qui basterà ricordare che:
- d) in ordine alla vita spirituale, bisogna suscitare negli alunni rispetto e amore verso la Sacra Scrittura<sup>4</sup> e addestrarli a servirsene per il loro profitto nella liturgia, nella pietà e nell'ascetica sacerdotale.

<sup>2</sup> \* Cfr. *Dei Verbum*, n. 24; *Sacrosanctum Concilium*, n. 16; *Optatam totius*, nn. 14, 16; *Ad gentes*, n. 16.

<sup>4</sup> Cfr. *Sacrosanctum Concilium*, n. 24.

\* Adnotationes in editione princeps hoc modo numerantur, ut in unaquaque pagina a numero primo incipiant.

### 3. La teologia dogmatica

[37] (89) 1) Il metodo genetico descritto per la teologia dogmatica dal Concilio Vaticano II<sup>1</sup>, articolato nelle cinque tappe della Sacra Scrittura, della Tradizione patristica e della storia, della speculazione, della vita liturgica, della vita della Chiesa, con applicazione ai problemi d'oggi, garantisce un insegnamento ancorato ai dati rivelati, unificato nella storia della salvezza, sistematizzato e integrato in una visione completa della fede, vitale per il contatto con la liturgia e con la vita della Chiesa, aperto alle esigenze pastorali, grazie all'attenzione che si dà ai problemi dei nostri tempi. 3463

### 4. La teologia morale

[40] (100) 6) È pure necessario reintrodurre nella teologia morale l'aspetto dinamico che fa risaltare la risposta, che l'uomo deve dare all'appello divino nel processo della sua crescita nell'amore, nell'ambito di una comunità salvifica. In tal modo la teologia morale acquisterà una dimensione spirituale interna, rispondendo alle esigenze di sviluppo pieno della *imago Dei*, che è nell'uomo, e alle leggi del processo spirituale descritto nell'ascetica e mistica cristiane. Ma proprio per questo la teo[41]logia morale deve mantenersi in stretto contatto con la teologia biblica e dogmatica, tenendo in pari tempo presenti i compiti pastorali che i futuri sacerdoti dovranno assolvere nella direzione delle anime e nel mistero del sacramento della penitenza. 3464

### 7. Le altre discipline teologiche

[44] (114) Naturalmente a una completa formazione teologica dei futuri sacerdoti concorrono anche altre discipline principali di grande importanza come, per es., la liturgia, il diritto canonico, la storia ecclesiastica, e quelle ausiliarie: la teologia spirituale, l'insegnamento sociale della Chiesa, la teologia ecumenica, la missionologia, l'arte sacra, il canto sacro, ecc. Queste o affiancano le discipline principali o rientrano (come, per es., la catechetica e l'omiletica) nell'ambito della teologia pastorale. 3465

(115) Per esse valgono le direttive contenute in parte nei Documenti del Concilio Vaticano II (*Sacrosanctum Concilium*, *Optatam totius*, *Ad gentes*, *Unitatis redintegratio*, *Orientalium Ecclesiarum*, *Inter mirifica*, ecc.) e, in parte, nella *Ratio fundamentalis institutionis sacerdotalis* e in vari documenti particolari.<sup>1</sup> 3466

<sup>1</sup> *Optatam totius*, n. 16.

<sup>1</sup> I documenti pubblicati: SCU, *Directorium*, Pars altera (cfr. soprattutto il n. 75: De oecumenismo ut peculiari disciplina); S. C. per l'evangelizzazione dei popoli, Lett. circ. sulla dimensione missionaria della formazione sacerdotale, Pentecoste 1970; Segretariato per i non credenti, la nota sullo studio dell'ateismo, 10 lug. 1970; SCIC, Lett. circ. sull'insegnamento della filosofia nei seminari, 20 gen. 1972; Lett. circ. sullo studio del diritto canonico, 1 mar. 1975 - La medesima S. Congregazione ha inoltre curato, in questi ultimi anni, la pubblicazione nella rivista «*Seminarium*» di una serie di articoli orientativi, per promuovere il rinnovamento conciliare delle varie discipline del curriculum filosofico-teologico.

[45] Ognuna di queste discipline, mentre attenderà con sollecitudine alle proprie problematiche e ai propri fini specifici, potrà trarre grande vantaggio dal presente documento, soprattutto per quanto concerne una più viva presa di coscienza dei compiti attuali e la necessità di inserirsi in modo costruttivo nel discorso teologico, secondo lo spirito della fede.

#### IV. NORME PRATICHE

##### II. L'ORDINAMENTO DEGLI STUDI TEOLOGICI

3467 [49] (133) 2) [...] Non si potrebbe parlare di formazione di base, se l'uno o l'altro dei seguenti temi venisse omissso o trattato in fretta e superficialmente: la Rivelazione e la sua trasmissione mediante la Tradizione e la Sacra Scrittura; l'affermazione di Dio Uno e Trino; Dio Creatore; la Incarnazione del Figlio di Dio e la redenzione dell'uomo (mistero pasquale); la Chiesa e i sacramenti; l'antropologia cristiana (grazia e vita teologale); l'escatologia; la morale cristiana (fondamentale e speciale); l'insieme del messaggio della Sacra Scrittura (legge e profeti; Sinottici, Giovanni e Paolo). A questa visione del mistero cristiano concorre inoltre lo studio della teologia fondamentale, dell'epistemologia teologica, della liturgia, della storia della Chiesa, del diritto canonico, della teologia pastorale, della teologia spirituale, dell'insegnamento sociale della Chiesa, dell'ecumenismo e della missionologia.



## De mulierum sacerdotio

Die 23 martii 1976 Paulus VI alterum rescriptum ad Fridericum Donaldum Coggan, Archiepiscopum Cantuariensem, de sacerdotali mulierum ministerio dedit.

ED. - *Angl.*: AAS 68 (1976) 600-601; DOL 162. *Gall.*: DC 73 (1976) 772. *Ital.*: Unitas 31 (1976) 203-204; CC 128/I (1977) 379-380; RD 21 (1976) 342-343. *Neer.*: AK 31 (1976) 937-938.

COMM. - *Ital.*: G. GALEOTA, in: Rassegna di Teologia 19 (1978) 200-219.

[600] As the tenth anniversary comes round of your revered predecessor's visit to Rome, we write to reciprocate with all sincerity the gratitude and the hope which, in recalling that historic occasion, you express in a letter recently handed to us by Bishop John Howe. 3468

It is good to know that the resolves taken, the dialogue entered upon ten years ago, have continued and spread to many places, and that a new spirit of mutual consideration and trust increasingly pervades our relations.

In such a spirit of candour and trust you allude in your letter of greeting to a problem which has recently loomed large: the likelihood, already very strong it seems in some places, that the Anglican Churches will proceed to admit women to the ordained priesthood. We had already exchanged letters with you on this subject, and were able to express the Catholic conviction more fully to Bishop John Howe when he brought your greetings. Our affection for the Anglican Communion has for many years been strong, and we have always nourished and often expressed ardent hopes that the Holy Spirit would lead us, in love and in obedience to God's will, along the path of reconciliation. This must be the measure of the sadness with which we encounter so grave a new obstacle and threat on that path.

But it is no part of corresponding to the promptings of the Holy Spirit to fail in the virtue of hope. With all the force of the love which moves us we pray that at this critical time the Spirit of God may shed his light abundantly on all of us, and that his guiding hand may keep us in the way of reconciliation according to his will.

Moreover, we sincerely appreciate the fact that you have expressed [601] a desire to meet us, and we assure you that on our part we would look upon such a meeting as a great blessing and another means of furthering that complete unity willed by Christ for his Church.

## De sacramento Paenitentiae

Die 30 aprilis 1976 Sectio pro Sacramentis SCSCD et SCC ad Praesides Conferentiarum Episcoporum Litteras circulares «de praemittendo Sacramento Paenitentiae primae puerorum Communioni» miserunt. Textus, pluribus linguis exaratus, hic lingua gallica refertur.

Sacra Congregatio pro Clericis Prot. N. 152516/II  
ED. - Angl.: DOL 380. Ital.: RI. 65 (1978) 262-265; L. 11 (1977) 307-311. Neer.: Analecta voor het bisdom Roermond 66 (1985) n. 1, 26-28.

- 3469 Le Saint-Siège a reçu des Pères Rédemptoristes, entre beaucoup d'autres, une «Question» formelle, exprimant d'une façon concrète les demandes analogues contenues dans d'innombrables autres lettres de parents, de prêtres, d'évêques et même d'enfants, qui ont toutes pour objet la confusion créée en certains endroits par des interprétations inexactes de deux documents. Il y a d'abord l'interprétation trop large du décret «*Quam singulari*» stipulant que l'obligation de satisfaire au double précepte de la confession et de la communion commence ... «à l'âge de raison», obligation réaffirmée le 25 mai 1973 par la «*Déclaration*» conjointe des Sacrées Congrégations pour la Discipline des Sacraments et pour le Clergé. Il y a peut-être aussi l'interprétation trop étroite, dans l'application, de la Lettre de la Secrétairerie d'Etat à la XXVI<sup>e</sup> Semaine liturgique d'Italie, qui eut lieu à Florence du 25 au 29 août 1975, lettre dans laquelle le Saint-Père «insiste particulièrement sur la confession des enfants et spécialement sur la première confession, qui doit toujours précéder la première communion, même si elle en est opportunément éloignée».
- C'est pourquoi, au lieu de répondre individuellement aux lettres des parents, des prêtres et de chaque évêque, nous avons été autorisés à publier une réponse officielle et approuvée à la «Question» posée.
- 3470 Nos Congrégations estiment que faire la catéchèse exigée pour le sacrement de pénitence et d'eucharistie, comme aussi recevoir ces sacrements dans l'ordre indiqué par l'expression traditionnelle: «Confession et Communion», sont des choses obligatoires dans l'Eglise universelle, excepté les cas qui comportent clairement une exception. Cette norme est destinée à procurer non seulement le bien spirituel des enfants, mais aussi le renforcement spirituel de l'Eglise dans le contexte de la réforme générale du sacrement de pénitence.
- Avant la publication prochaine de cette «Question» et de la réponse of-

ficielle qui y sera donnée, le Saint-Siège a décidé d'en donner l'information le texte aux Présidents des Hiérarchies qui, pour quelque raison que ce soit, ont trouvé gênante la précédente «*Declaration*» soit à cause des programme établis, soit à cause des réactions personnelles de leurs éducateurs religieux.

Bien entendu — et nous avons mission de le dire — cette notification préalable ne veut remettre en question aucun des aspects de la «*mens*» du Saint-Siège, telle qu'elle est exprimée dans le décret «*Quam singulari*», dans la «*Déclaration*» de 1973 et dans la «*Lettre à la Semaine liturgique*» de Florence de 1975.

Nous sommes persuadés que l'ensemble de ce problème sera mieux compris, s'il est replacé dans le cadre de la réforme générale du sacrement de la réconciliation. De plus, les Présidents des Conférences épiscopales auront certainement à cœur de soutenir les efforts du Saint-Siège pour revivifier le sacrement de pénitence, et pour inculquer aux fidèles, dès l'enfance, le sens de la réconciliation, usant en tout cela de patience pastorale et observant fidèlement la loi générale de l'Église.

Nous exprimons notre gratitude aux nombreux évêques et directeurs d'enseignement religieux qui ont écrit à Rome pour donner leur soutien à un programme où le lien de la formation spirituelle individuelle, dès l'enfance, avec l'action du prêtre soit rendu plus étroit, et où, également, le recours au sacrement de pénitence, même pour les confessions dites de dévotion, soit rendu plus fréquent, comme le Saint-Père le demande avec insistance.

De même, nous sommes particulièrement reconnaissants aux Hiérarchies qui, par lettre ou lors de visites au Saint-Siège, ont exprimé leur acceptation sans réserve de la doctrine et de la discipline établies par Saint Pie X. Ils redoutent en effet le grand danger — dont nous sommes les témoins — d'un retour déjà actuel des malheureuses pratiques qui ont été la raison du décret «*Quam singulari*». Signalons, entre autres, le refus de l'absolution à des enfants qui désirent se confesser. Envoyés à se confesser par leurs parents ou par des prêtres bien intentionnés, ils sont ensuite déconcertés par l'attitude des maîtres d'enseignement religieux qui leur interdisent l'accès au sacrement. A ce sujet, nous devons, entre autres choses, dire notre reconnaissance aux prêtres qui, de leur propre initiative, ou suivant en cela l'inspiration du Saint-Siège, ont apporté un soin accru à l'apostolat extrêmement important et délicat de la direction spirituelle des enfants en confession. Beaucoup de ceux qui ont écrit au Saint-Siège déclarent sans ambages qu'il faut en finir avec la confusion actuelle. Nous avons pris comme règle de ne pas répondre aux parents de ces enfants à qui on a refusé la catéchèse préparatoire à la première confession ou à qui on a offert tout au plus la possibilité de recevoir une instruction à part des autres, comme s'il s'agissait d'enfants exceptionnels ou se trouvant dans une situation spéciale au point de vue moral. Nous n'avons pas répondu à de semblables lettres dans l'espoir que la Hiérarchie et le clergé aient bien vite remédié à cette situation en adoptant des mesures et en prenant des moyens de nature à laisser intacte la liberté personnelle des enfants et à éviter qu'il ne soient l'objet de moqueries de la part de ca-

3471

marades, souvent fort capables de petites cruautés envers ceux qui se confessent, alors que les autres s'abstiennent du sacrement.

3472 Nous avons également mission de rappeler ceci: les conditions sociales, économiques et culturelles peuvent changer d'une nation à l'autre, mais la nature humaine reste fondamentalement la même, et les normes générales régissant les sacrements destinés à élever cette même nature sont universelles.

Nous respectons profondément le désir qu'ont les représentants du Saint-Siège et les officiers des Conférences épiscopales nationales d'être à la fois les interprètes et, autant que possible, les avocats des positions des Hiérarchies au service desquelles ils travaillent et de défendre leur crédibilité. Mais il y a maintenant un urgent besoin de défendre, avec tact et intelligence, la crédibilité du Saint-Siège, ses Congrégations, la Secrétairerie d'Etat, et l'autorité du Saint-Père lui-même, car il est bien connu que, sans son approbation personnelle et officielle, aucun décret ne peut être publié par les différents Dicastères. Et pourtant cela semble oublié quelquefois par des théologiens ou des responsables de l'éducation religieuse, dans les articles et bulletins qu'ils publient et dans les conférences qu'ils font, et cela pour la grande confusion des fidèles et du clergé.

La «Question» mentionnée plus haut, ainsi que la réponse officielle qui lui sera donnée, vous seront transmises dès que possible.

## Allocutio Pauli VI in Consistorio

Die 24 maii 1976 Paulus VI Allocutionem in Consistorio secreto tenens etiam de rebus ad Liturgiam pertinentibus locutus est. <sup>a</sup>

ED. - Lat.: AAS 68 (1977) 369-378. Angl.: DOL 59 (partim). Gall.: DC 73 (1976) 556-559; BNL 10 (1976) 206-208. Germ.: GD 10 (1976) 81-84 (partim). Hisp.: E 36 (1976) 781-784. Ital.: OR 24/25-V-1976, 5-6. Neer.: AK 32 (1977) 168-173.

COMM. - Hisp.: E 36 (1976) 775-776.

[371]II. Quemadmodum iam notavimus, Consistorium significat tempus perquam sollemne et grave pro Ecclesiae vita, quae inter terrestria adiuncta ducitur. Hanc ergo occasionem — qua coram vobis et vobiscum versamur — nullo pacto praeterire possumus, quin nonnullas tractemus quaestiones atque Ecclesiae causas, quae Nobis sollicitudinem afferunt quasque magni putamus esse momenti, itemque vobiscum intimos Nostros sensus communicemus. Qui sensus sunt gratiae ac laetitiae ex una parte, sed ex altera etiam angoris ac doloris. 3473

1) Prior sensus oritur ex nativo illo «optimismo» — innixio in certissimis Christi promissionibus <sup>2</sup> atque in novis semper ac solacii plenis Ecclesiae eventibus — quem Nos in pectore fovere solemus: est ipsa vitalis viriditas ac iuventus Ecclesiae, cuius tot praesto sunt testimonia et 3474

<sup>2</sup> Cf. Mt. 28, 20; Io. 16, 33.

<sup>a</sup> De eadem re cf. Epistolam Summi Pontificis Pauli VI ad D. num LeFebvre, quae invenitur in N 12 (1976) 417-427, necnon eiusdem Summi Pontificis Allocutionem die 27 iunii 1977 habitam in Consistorio secreto, quae invenitur in AAS 69 (1977) 369-377, praesertim 373-377.

ED. EPISTULAE: Angl.: DOL 61. Gall.: DC 73 (1976) 1056-1061. Hisp.: E 36 (1976) 1237-1238. Neer.: AK 32 (1977) 173-183.

ED. ALLOCUTIONIS: Angl.: DOL 65 (partim). Gall.: DC 74 (1977) 654-657. Ital.: OR 27/28-VI-1977, 4.

documenta. Haec vidimus et tetigimus per totum Annum Sanctum paulo ante terminatum, qui etiam nunc animum Nostrum salutariter illu[372]minat. Essentia enim vitae christianae in vita spirituali posita est, nempe in ea supernaturali vita quae donum Dei est: Nobis igitur egregium conceditur solacium, quod sentimus eandem illam vitam crescere et vigere in tot Nationibus et populis, per testificationem fidei, per Liturgiam, per precationis studium iterum detectum atque gustatum, per gaudium, quod ex clara visione spirituali cordisque puritate exoritur. [...]

3475 2) Attamen subsunt causae acerbitalis et maestitiae, quas nec contegere volumus nec deminuere. Hae plerumque procedunt ex comprobata quadam extremitate, interdum insanabili quoad aliquos suos excessus, quae in oppositis factionibus denotat immaturam animi levitatem vel contumacem obstinationem; quae quidem tristem surditatem gignunt erga omnes hortationes et monitiones ad sanam aequilibratam, animorum [373] exacerbatorum conciliatricem, quae per eximium Concilii magisterium impertitae sunt, iam ante plus quam decem annos.

a) Ex altera enim parte consistunt ii qui — dicentes se profiteri quam maximam fidelitatem erga Ecclesiam et Magisterium — data opera recusant et repudiant ipsa principia Concilii, et consequentem eorum applicationem et reformationem, itemque lentam eorundem executionem Apostolicae Sedis opera et Conferentiarum Episcopaliū sub Nostra auctoritate, quae a Christo originem ducit. Detrahitur auctoritati Ecclesiae praetextu Traditionis, cui ceterum solum verbis ac foris obsequium praestatur. Abducuntur fideles a vinculis oboedientiae erga Petri Sedem, sicut etiam a legitimis suis episcopis; respuitur auctoritas hodierna pro illa quae fuit alterius temporis. Et hoc tanto gravius est et peius, quod repugnantia ista, de qua loquimur, non solum defenditur ab aliquibus sacerdotibus, sed ducitur et dirigitur ab episcopo, scilicet Marcello Lefebvre, quem nihilominus Nos semper veneratione prosequimur.

3476 Hoc vehementi quidem cum animi dolore animadvertimus: attamen in hac agendi ratione — quicumque sunt fines ad quos illi homines intendunt — quis non videt iam praesens propositum sese constituendi extra oboedientiam et communionem cum Petri Successore ac propterea cum ipsa Ecclesia?

Iamvero hoc, pro dolor, sponte consequitur, cum nempe affirmatur potius habendum esse detrectare oboedientiam quam oboedire, praetextu integram fidem servandi atque allaborandi suo modo ad Ecclesiae catholicae tutelam, dum ex contrario vera oboedientia eidem reapse denegatur. Idque palam affirmatur! Immo asserere non dubitant Concilium Vaticanum II vi obligandi carere; catholicam fidem in discrimine versari etiam propter normas post Concilium propositas; oboediendum non esse, ut quaedam traditiones serventur. Quae traditiones? Ad hunc hominum coetum — non autem ad Romanum Pontificem, non ad Episcoporum Collegium, non ad Concilium Oecumenicum — ius pertineret statuendi quatenam ex innumeris traditionibus habendae sint fidei normae! Ut videtis, Venerabiles Fratres Nostri, hac

agendi ratione in iudicium vocatur illa divina voluntas quae Petrum eiusque legitimos Successores posuit Caput Ecclesiae, ut fratres in fide confirma[374]ret atque universum gregem pasceret, <sup>3</sup> eumque depositi fidei sponsorem et custodem constituit.

Peculiari autem modo in eo gravius censendum est, quod illuc divisio 3477 inducitur, ubi congregavit nos in unum Christi amor, scilicet in Liturgiam atque in Eucharisticum Sacrificium, cum denegetur obsequium normis de re liturgica statutis. At vero, nomine ipsius Traditionis Nos ab omnibus filiis Nostris atque ab omnibus catholicis communitatibus postulamus, ut cum dignitate pietatisque fervore renovatae Liturgiae ritus celebrentur. Usus novi *Ordinis Missae* minime quidem sacerdotum vel christifidelium arbitrio permittitur. Instructione autem edita die quarto decimo iunii anno millesimo nongentesimo septuagesimo primo provisum est, ut Missae celebratio antiquo ritu sineretur, facultate data ab Ordinario, tantummodo sacerdotibus aetate proVectis vel infirmis, qui Divinum Sacrificium *sine populo* offerent. Novus Ordo promulgatus est, ut in locum veteris substitueretur post maturam deliberationem, atque ad exsequendas normas quae a Concilio Vaticano II impertitae sunt. Haud dissimili ratione, Decessor Noster S. Pius V post Concilium Tridentinum Missale auctoritate sua recognitum adhiberi iusserat.

Idem promptum obsequium, vi supremae auctoritatis Nobis a Christo Iesu concessae, iubemus erga ceteras novas leges ad liturgiam, disciplinam, rem pastorem spectantes, quae hisce annis latae sunt, ut Concilii decreta ad effectum deducerentur. Quodlibet inceptum hisce decretis obstare contendens, censi nullo modo potest opus in Ecclesiae utilitatem positum, cum re vera grave ipsi afferat detrimentum.

Saepe per Nosmet ipsos, per Nostros adiutores aliosque amicos Reverendissimum Lefebvre monuimus de gravitate ipsius agendi modorum; de illegimitate praecipuorum eius inceptorum in praesens exstantium; de inanitate ac saepe de falsitate principiorum doctrinalium, quibus ille tum suum agendi modum tum sua incepta suffulcire studet; denique de damnis quae exinde Ecclesiae universae oriuntur. 3478

Vehementi cum angore, sed paterna cum spe, nunc etiam animum Nostrum convertimus ad hunc Nostrum in episcopatu [375] Fratrem, ad ipsius adiutores atque ad omnes, qui ad eos sequendos sunt adducti. Nos persuasum quidem habemus multos ex his fidelibus, saltem primo tempore, bona fide ductos esse. Plane etiam intellegimus studiosum eorum amoris affectum erga suetas cultus vel disciplinae formas, ex quibus ipsi tamdiu spirituale robur atque animorum suorum alimoniam haurire solebant. At fore confidimus, ut iidem sereno animo meditari noverint nullis praeiudicatis opinionibus ducti, atque agnoscere velint se hodie quaesitum praesidium atque alimoniam reperire posse in renovatis religionis formis, quas Concilio Vaticano II ac Nobismet ipsis necessario inducere visum est, ut Ecclesiae bonum, eius progres-

<sup>3</sup> Cf. Lc. 22, 32; Io. 21, 15 sq.

sum in mundo huius temporis eiusque unitatem promoveremus. Nos igitur iterum adhortamur hos Nostros fratres ac filios, eosque exoramus, ut conscii fiant gravium vulnerum quae secus Ecclesiae illaturi sunt. Invitationem ipsis iteramus, ut secum recogitent gravia Christi monita de Ecclesiae unitate<sup>4</sup> ac de oboedientia erga legitimum Pastorem, ab Ipso universo gregi praepositum, cum signum oboedientiae sit quae Patri ac Filio debetur.<sup>5</sup> Nos eos aperto corde exspectamus apertisque brachiis ad eos prompte amplectendos: utinam humilitatis exemplum praebentes, ad gaudium Populi Dei rursus viam unitatis et amoris ingredi valeant!

3479 *b)* Ex altera parte sunt qui — contrarias prorsus doctrinas profitentes sed pariter Nobis vehementis doloris causam afferentes — falso putant se viam pergere per Concilium apertam; atque adeo praeiudicatis opinionibus permoti, interdum sine ulla emendationis spe, sese acriter gerunt in iudiciis ferendis de Ecclesia eiusque institutis.

Quare eadem firmitate declarare debemus nullo modo admitti posse eorum omnium agendi rationem:

— quotquot arbitrantur sibi licere propriam ipsorum liturgiam creare, interdum Missae Sacrificium ac sacramenta redigentibus ad celebrationem suae vitae vel suae luctationis atque etiam ad suam ipsorum fraternitatem significandam; vel contra leges intercommunionem exercent; [...]

[376] — quotquot ita se habent, ut vivam Ecclesiae Traditionem a Patribus usque ad Magisterii doctrinam, plane neglegant; qui quidem nova ratione interpretantur Ecclesiae doctrinam, Evangelium ipsum, res spirituales, divinitatem Christi, eius resurrectionem vel Eucharistiam, ita ut germanam harum veritatum significationem reapse destruant, novam hoc modo gnosis creantes et quodammodo «liberum examen» in Ecclesiam introducentes; quod quidem eo periculosius contingit, quod de iis agitur, quibus altissimum itemque summae gravitatis munus concreditum est Sacram Theologiam docendi;

— quotquot extenuant munus sacerdotalis ministerii proprium; [...]

3480 Christiani huius generis non sunt quidem numero plures, sed magnopere perstrepunt, cum temere putent se necessitates interpretari universi populi christiani aut irrevocabilem historiae cursum. Hoc facientes, nullo modo ad Concilii Vaticani II [377] auctoritatem appellare possunt quia eius recta interpretatio atque applicatio nulli prorsus licentiae dant occasionem; neque provocare possunt ad apostolatus necessitates, ut ad homines accedere possint, qui religionem non exercent vel christiana fide carent: verus enim apostolus ab Ecclesia mittitur, ut de ipsius Ecclesiae doctrina ac vita testimonium perhibeat. Fermentum totam massam pervadere debet; attamen evangelicum permanere debet; secus et ipsum una cum mundo corrumpitur. [...]

<sup>4</sup> Cf. *Io.* 17, 21 sq.

<sup>5</sup> Cf. *Lc.* 10, 16.



## De linguis in sacram liturgiam inducendis

Die 5 iunii 1976 Sectio pro Cultu Divino SCSCD ad Praesides Conferentiarum Episcoporum Epistolam «de linguis vulgaribus in sacram Liturgiam inducendis» misit.

ED. - Lat.: N 12 (1976) 300-302; EL 90 (1976) 488-490. Angl.: DOL 133. Hisp.: PLDI nn. 93-94 (1976) 5-7. Ital.: EV 5, 1305-1309; RL 64 (1977) 272-274.

[300] Decem iam annos Conferentiae episcopales earumque Commissionum liturgicae ad opus libros liturgicos in sermones vulgares convertendi incumbunt; quod tamen nondum est ad finem perductum. Post versiones initio ad tempus et experimenti causa confectas, iam in cunctis nationibus textus et editiones terminali ratione apparantur. Agitur quidem de textibus publicis et legitimis, quibus Ecclesia orans fidem exprimit suam. Quapropter nemo non videt, quantum prudentiae hoc opus postulet, quantum conscientiae officium inferat, ut etiam eiusmodi libri, lingua vulgari editi, certi et accurati sint quoad doctrinam atque digni *ad cultum Deo tribuendum*. Necesse est praeterea iis omnibus praediti sint qualitatibus, per quas *Ecclesiarum particularium* textus authentici appareant, quibus Apostolica Sedes veluti signum unitatis et indolis authenticae in vinculo communionis ecclesialis impresserit. 3481

Hac de causa eadem Apostolica Sedes semper studiose attendit atque promovet opus textus liturgicos in linguas vulgares convertendi, spiritu ducta fraterni servitii, quo cum Ecclesiis particularibus coniungitur, opportunas normas edendo atque consilia dando. In hoc spiritu servitii et ea mente, ut textus a Sede Apostolica expeditius confirmentur — quae quidem confirmatio per Constitutionem a verbis *Sacrosanctum Concilium* incipientem praescribitur — nonnullae normae suadentur, quae observandae sunt cum textus huic Sacro Dicasterio exhibentur.

1. Conferentiarum episcopalium est discernere de inducenda lingua vulgari in Sacram Liturgiam necnon de eius amplitudine seu limitibus. Statuant etiam oportet, qui sermones, in natione forte vigentes, in [301] usum liturgicum introducantur. Huiusmodi decisiones a Sede Apostolica probari debent seu confirmari (cf. *Sacrosanctum Concilium*, n. 36, 3). 3482

Verumtamen accipi nequeunt, ideoque non probari seu confirmari idiomata, quae dialecto aliqua efficiantur, vel quae tantum cuidam loco sint propria et peculiaria, scilicet idiomata, pro quibus substitui

possunt sermones noti et communi institutione scholastica confirmati, maxime si haec lege praescribitur et ordinatur atque in scholis nationis iam est pervagata. Hoc propterea dicitur, ne qua dialectus vel idioma cuidam loco prorsus proprium et peculiare praevalendo antecellat sermoni vulgatori, quem omnes intellegant, neque nimius evadat numerus linguarum liturgicarum particularium. Etenim, si, intra fines eiusdem nationis, congrua unitas sermonis in re liturgica habetur, fovetur sive participatio fidelium sive praeparatio et impressio, typis facienda, versionum, quae quoad doctrinam sint certae et accuratae, dignae et integrae, necnon subsidiorum, quae praesto sint ipsis fidelibus. Quodsi praeterito tempore interdum servata fuit ratio seu criterium discrepans ab iis, quae in parte proxime praecedente harum Litterarum exposita sunt, tamen permissiones datae non desinunt. Sed Conferentiae episcopales — de hoc humane monentur — conitantur, ut *nova* haec ordinatio recte existimetur, eo etiam consilio ut incepta liturgica, forte inita eidemque adversantia, emendentur, quae, licet legitime, ad effectum adducta sint, antequam hae Litterae Circulares ederentur.

- 3483 2. Officium approbandi versiones textuum liturgicorum in linguas vulgares pertinet ad Conferentias episcopales: quae quidem approbatio rite fieri debet per suffragia (cf. Instr. *Inter Oecumenici*, diei 26 septembris anno 1964, n. 28; Commissio centralis coordinandis post Concilium laboribus et Concilii decretis interpretandis: Responsum ad propositum dubium: AAS 60 [1968] 361).  
Diversus autem modus procedendi, quem Conferentiae episcopales in peculiaribus adiunctis positae servare voluerint, definiri debet Statutis Conferentiae, a Sede Apostolica approbatis.
- 3484 3. Acta Conferentiae, quae approbationem factam testantur, significato suffragiorum exitu, ad hanc Sacram Congregationem mittantur una cum precibus circa confirmationem admotis; quibus actis *Praeses* et *Secretarius* Conferentiae subscribant (cf. Instr. *Inter Oecumenici*, n. 29).  
Confirmationis causa etiam duo exemplaria textuum liturgicorum mittantur: Monendum est versionem librorum liturgicorum esse debere [302] integram, non exceptis textibus «ad libitum», decretis initio positus et «Praenotandis».
- 3485 4. Relatione illustrentur rationes seu criteria, quae in translatione servata sunt, atque differentiae forte inductae respectu habitus textus typici latini (cf. *ibid.*, n. 30).
- 3486 5. Peculiaris cura in versione et approbatione formularum sacramentalium est ponenda. Ad hoc quod attinet, peculiare normae in notitiam Conferentiarum episcopalium perlatae sunt a Sacra Congregatione pro Cultu Divino die 25 mensis Octobris anno 1973 (cf. AAS 66 [1974] 98-99) et a Sacra Congregatione pro Doctrina Fidei die 25 mensis Ianuarii anno 1974 (cf. AAS 66 [1974] 661).  
Quod nominatim ad sermones minus notos pertinet, haec, quae sequuntur, observentur:  
a) significatio cuiusque verbi textus vulgaris reddatur una e linguis no-

tionibus, quae sunt: Gallica, Anglica, Italica, Lusitana, Hispanica, Germanica.

b) Si translatio a textu primigenio discrepat, rationes indicentur, cur eiusmodi *interpretatio sit inducta*.

c) Praeses et Secretarius Conferentiae Episcopalis approbationem translationis a Conferentia episcopali peractam et authenticam naturam illius versionis, qua verbum ex verbo in unam e praedictis linguis translatum est, testificentur.

6. In textibus typis excusis confirmatio a Sede Apostolica data indicetur. Duo exemplaria textuum typis editorum ad hanc Sacram Congregationem transmittantur. 3487

Gratum animum iam nunc declarans de opera, quam conferes ad exsequenda ea, quae supra dicta sunt, libenter hac utor opportunitate observantiam meam Tibi profitendi [...]

## De Missa pro defunctis

Die 11 iunii 1976 SCDF Decretum «de Missa publice celebranda in Ecclesia Catholica pro aliis christianis defunctis» emisit.

ED. - Lat.: AAS 68 (1976) 621-622; N 12 (1976) 364-365; EL 90 (1976) 496-497. Angl.: DOL 163; J 37 (1977) 168-170. Gall.: DC 73 (1976) 809; BNL 10 (1976) 269-271. Germ.: ÖAfrK 27 (1976) 333-334. Hisp.: PLDI nn. 93-94 (1976) 3-4. Ital.: EV 5, 1333-1335. Neer.: AK 31 (1976) 1137-1139.

COMM. - Germ.: GD 10 (1976) 140-142.

- 3488 [621] Accidit in diversis regionibus ut a ministris catholicis petantur missarum celebrationes in suffragium *defunctorum* qui baptizati fuerunt in aliis Ecclesiis vel Communitatibus ecclesialibus, tunc praesertim, cum defuncti religionem catholicam speciali devotione et honore prosecuti fuerunt, vel cum munera publica in servitium totius communitatis civilis gesserunt.
- Ad missas privatas quod attinet, nulla, uti notum est, habetur difficultas, ut pro his personis defunctis celebrentur; e contrario, multiplici ex titulo, v.g. pietatis, amicitiae, grati animi etc. possunt commendari, nullo vetito obsistente.
- Quoad publicas autem missarum celebrationes vigens disciplina statuit ne celebrentur pro his, qui extra plenam communionem Ecclesiae catholicae supremum diem obierint (Cf. Can. 1241, coll. 1240, par. 1, 1°).
- Mutatis hodie condicionibus religiosis et socialibus, quae supradictam disciplinam suadebant, diversis ex regionibus ab hac Sacra Congregatione quaesitum est, utrum certis in casibus etiam missa publica pro his defunctis celebrari possit.
- Ad rem quod attinet, Patres S. Congregationis pro Doctrina Fidei, in Congregatione Ordinaria diei 9 Iunii 1976, omnibus rite perpensis, hoc tulerunt decretum:
- 3489 I. Vigens disciplina quoad celebrationes missarum publicarum in suffragium aliorum christianorum in posterum quoque pro norma generalis retinenda est; idque etiam propter considerationem debitam conscientiae talium defunctorum, qui fidem catholicam non fuerunt plene professi.

[622]II. Huic autem normae generali derogari potest, usque ad promulgationem novi Codicis, quoties sequentes condiciones simul verificentur: 3490

1) Publica missarum celebratio a familiaribus, amicis, vel subditis defuncti ex genuino motivo religioso expresse petatur.

2) Iudicio Ordinarii absit scandalum fidelium.

Quae duae supradictae condiciones facilius verificari possunt si de fratribus agitur Ecclesiarum Orientalium, quibuscum arctior, quamvis non plena, communio in rebus fidei existit.

III. Hisce in casibus missa publica celebrari potest, ea tamen conditione, ut defuncti nomen in prece eucharistica non commemoretur, quae quidem commemoratio plenam communionem cum Ecclesia catholica praesupponit. 3491

Quodsi cum fidelibus catholicis in celebratione missarum participantibus praesentes adsint alii christiani, ad communicationem in sacris quod attinet, normae a Concilio Vaticano II (*Orientalium Ecclesiarum*, nn. 26-29; *Unitatis redintegratio*, n. 8) et a Sancta Sede (Cf. Directorium de re oecumenica, nn. 40-42. 55-56: AAS 59 [1967] 589. 590-591; Instructio de peculiaribus casibus admittendi alios christianos ad communionem eucharisticam in Ecclesia Catholica, nn. 5-6: ibid. 64 [1972] 523-525) hac in materia latae, quam fidelissime observentur.

Summus Pontifex Paulus Pp. VI, in audientia infrascripto Cardinali Sacrae Congregationis pro Doctrina Fidei Praefecto, die 11 Iunii concessa, derogando quatenus opus sit can. 809 (simul cum can. 2262, par. 2, n. 2) et 1241, contrariis quibuslibet non obstantibus, praedictam Patrum decisionem ratam habuit, adprobavit et promulgari iussit.

## De pastorali cura in Studiorum Universitatibus

Die 15 iulii 1976 Consilium de Laicis et SCIC ad Praesides Conferentiarum Episcoporum Conclusiones deliberationum de labore pastoralis in Studiorum Universitatibus miserunt; in quibus Conclusionibus bis de celebrationibus liturgicis agitur. Textus, pluribus linguis exaratus et typis non impressus, hic lingua gallica refertur.

Consilium de laicis Prot. N. 1050/76/P.U.-CE  
ED. - Ital.: EV 5, 1337-1339 et 1341-1371.

### LA PASTORALE UNIVERSITAIRE

#### CONCLUSIONS PROVISOIRES

#### 4. *Éléments de la pastorale universitaire*

- 3492 B) Quelques considérations pastorales sur les Universités catholiques [...] L'Université catholique doit arriver à créer, en son sein, une vraie communauté universitaire entre tous ses membres, animée par l'esprit évangélique de liberté et de charité, dépassant les risques de formes autoritaires ou démagogiques en vue d'assurer la participation responsable de tous — dans la mesure de leurs compétences et responsabilités — à l'animation et la gestion de l'institution. Que soient prévus et offerts aux divers membres de la communauté universitaire un accompagnement et une animation spirituelle des services liturgico-sacramentels et de prière, des études bibliques, etc.; [...]
- 3493 C) Mouvements apostoliques et autres institutions catholiques à l'intérieur de la Pastorale universitaire
- 3) *Les Paroisses universitaires* ou «*Campus Ministry*» peuvent offrir une série de services indispensables aux universitaires catholiques: services liturgiques et de prière, catéchétiques, théologiques et bibliques, de réflexion (foi-culture-idéologies, etc.). Sans se substituer à l'action apostolique des étudiants dans leur milieu ou se transformer en ghettos au climat «raréfié», ces services peuvent constituer:

- une base de rencontre et de connaissance mutuelle des chrétiens — enseignants, chercheurs, étudiants, employés — de l'Université et de plusieurs Universités;
- un soutien doctrinal et spirituel à leur action dans le milieu;
- l'occasion de préparer des manifestations massives de chrétiens universitaires (cours, pèlerinages, cycles de conférences, cérémonies liturgiques).

## De mulierum sacerdotio

Die 15 octobris 1976 SCDF Declarationem «circa quaestionem admissionis mulierum ad sacerdotium ministeriale» emisit. In qua Declaratione passim de rebus Liturgiam spectantibus disseritur.

ED. - Lat.: AAS 69 (1977) 98-116. Angl.: DOL 321 (partim); J 37 (1977) 325-339. Gall.: DC 74 (1977) 158-164. Germ.: VAS, 3, 3-21; HK 31 (1977) 151-157; *Die Sendung der Frau in der Kirche*, Kevelaer 1978, 11-25. Hisp.: E 37 (1977) 182-187. Ital.: EV 5, 1393-1423; RD 22 (1977) 98-102. Lus.: LRC 41 (1977) 273-279. Neer.: AK 32 (1977) 283-296; *Analecta voor het bisdom Roermond* 58 (1977) 160-174.

COMM. - Angl.: J 37 (1977) 313-324; L. SWIDLER - A. SWIDLER (ed.), *Women Priest. A Catholic Commentary on the Vatican Declaration*, New York 1977; M. SLUSGER, in: W 51 (1977) 434-445. Gall.: DC 74 (1977) 165-173. Germ.: K. LEHMANN, in: VAS 3, 53-60; *Die Sendung der Frau in der Kirche*, Kevelaer 1978, 26-41; K. RAHNER, in: *Stimmen der Zeit* 102 (1977) 291-301; P. HÜNERMANN, in: HK 31 (1977) 206-209; K.W. HALBIG, in: *GuL* 50 (1977) 288-294; H. RENNINGS, in: GD 11 (1977) 27. Hisp.: J. PIQUER, in: Ph 17 (1977) 515-534. Ital.: RD 22 (1977) 103-109; R. GOLDIE, in: *Presenza Pastorale* 42 (1977) 980-989. E. SPIAZZI, in: OR 29-I-1977, 1-2; A.-L. DESCAMPS, in: OR 2-II-1977, 1 et 7; H.U.v. BALTHASAR, in: OR 5-II-1977, 1-2; A.-G. MARTIMORT, in: OR 9-II-1977, 1-2; G. MARTELLET, in: OR 16-II-1977, 1-2; J.I. BERNARDIN, in: OR 19-II-1977, 1-2; J. RATZINGER, in: OR 26-III-1977, 1-2. Neer.: AK 32 (1977) 296-316.

- 3494 [99] [...] Porro iam ab aliquot annis, quaedam christianae communitates, ex iis quae saeculo decimo sexto vel posterioribus temporibus ab Apostolica Sede Romana separatae sunt, mulieres admi[100]serunt ad pastorale munus non aliter ac viros: quo novo incepto moti harum communitatum sodales vel etiam aliae huiusmodi communitates postulationes et scripta, ut mulieribus latior pateat haec admissio, nunc repetunt, contradicentibus vero aliis. Huius ergo negotii oecumenicum momentum patet, de quo Ecclesia catholica suam mentem aperire debet, eo vel magis quod publicae opiniones late in variis circulis sparsae quaestionem moverunt, num etiam catholica Ecclesia suam disciplinam mutare posset, ut mulieres ad sacerdotalem ordinationem admitteret. Nonnulli immo ex catholicis theologis eandem controversiam aperte agitarunt, pervestigationes incitantes non tantum in sacris Bibliis, in Patrum scriptis, in historia ecclesiastica, sed etiam in evolvendis



institutorum et morum historiis, vel in psychologicis et sociologicis scientiis. Ex quo factum est, ut pleraque argumenta, quae conferre possent ad hanc gravem quaestionem solvendam, acri iudicio expensa sint. Cum vero agatur de tali controversia, quam, saltem uti nunc se offert, traditio scholarum theologiarum vix attigerit, fieri potest, ut in ea nunc evolvenda rationes quaedam necessariae ab iis, qui argumentantur, neglegantur.

Quamobrem Sacra haec Congregatio pro Doctrina Fidei, mandatum exsequens a Beatissimo Patre acceptum eiusque subsequens verba, quae in suis die 30 Novembris anno 1975 datis litteris scripsit, <sup>6</sup> censet nunc resumendum: Ecclesiam, quae Domini exemplo fidelis manere intendit, auctoritatem sibi non agnoscere admittendi mulieres ad sacerdotalem ordinationem; atque aestimat oportere, pro praesentibus adiunctis, ut in luce clariore ponat hanc doctrinam, quae dolenter forsitan a quibusdam percipiatur, unde tamen oriens bonum paulatim discernetur, quippe quae conferre possit ad *respectiva* viri ac mulieris munera altius investiganda.

#### I. Traditio perpetuo ab Ecclesia servata

[101] Numquam Ecclesia catholica sensit presbyteralem vel episcopalem ordinationem mulieribus valide conferri posse. Fuerunt quidem primis saeculis nonnullae sectae haereticæ, praesertim gnosticae, quae mulieribus sacerdotale ministerium committere aggressae sunt: quod statim Patres animadversum vituperaverunt, utpote quod novum atque in Ecclesia minime accipiendum iudicarent. <sup>7</sup> Sane in eorundem Patrum scriptis haud dissimulanda percipitur contagio praeiudicatarum opinionum circa muliebrem sexum non aequarum, quae tamen fere nihil in eorum pastoralementem actuositatem et etiam minus in eorum spiritalem directionem influxerunt. At praetermissis hisce commentationibus, illius temporis ingenio afflante concitatis, aperte legitur, praecipue in monumentis iuris ecclesiastici, quae Antiochena et Aegyptiaca traditio servavit, ob eam propriam praecipue causam solos viros ad ordinem ministeriumque vere sacerdotale vocari, quia Ecclesia fideliter servare intendit exemplar illud sacerdotalis ministerii, quod Dominus Iesus Christus voluit quodque Apostoli accurate custodierunt. <sup>8</sup>

3495

Idem animi iudicium aetatis mediae theologos movit, <sup>9</sup> etsi scholastici 3496

<sup>6</sup> Cf. AAS 68 (1976) 599-600; cf. ibid. 600-601.

<sup>7</sup> S. Irenaeus, *Adv. haereses* 1, 13, 2: PG 7, 580-581; ed. Harvey, I, 114-122; Tertullianus, *De praescript. haeretic.* 41, 5: CCL 1, 221; Firmilianus Caesariensis, in S. Cypriani *Epist.* 75: CSEL 3, 817-818; Origenes, *Fragmenta in 1 Cor.* 74, in: *Journal of theological studies* 10 (1909) 41-42; S. Epiphanius, *Panarion* 49, 2-3; 78, 23; 79, 2-4; t. 2, GCS 31, 243-244; t. 3, GCS 37, 473, 477-479.

<sup>8</sup> *Didascalia Apostolorum*, c. 15: ed. R. H. Connolly 133 et 142; *Constitutiones Apostolicae*, lib. 3, c. 6, nn. 1-2; c. 9, nn. 3-4: ed. F. X. Funk 191, 201; S. Ioannes Chrysostomus, *De sacerdotio*, 2, 2: PG 48, 633.

<sup>9</sup> S. Bonaventura, *In IV Sent.*, Dist. 25, art. 2, q. 1: ed. Quaracchi 4, 649; Richardus de Mediavilla (Middletown), *In IV Sent.*, Dist. 25, art. 4, n. 1, ed. Venetiis 1499, fo 177r;

doctores, cum fidei veritates argumentis ratione conceptis illustrare satagerent, de illa quaestione argumenta saepe hauriebant, quae hodie docti difficile accipiant, immo iure improbant. Ex eo tempore usque ad nostram aetatem non iam [102] videtur haec quaestio mota fuisse, quia sine controversia et universaliter accepta erat consuetudo, veluti iure possessionis gaudens.

Ecclesiae ergo hac de re traditio per saecula tam firma fuit, ut magistrum numquam necesse habuerit edisserere principium, cui nulla labes inferebatur, seu legem defendere, quae nullo infitiantе vigeat. At quotiescumque traditio illa, occasione data, manifestabatur, ea testimonio erat Ecclesiam in id intentam esse, ut ad exemplar sibi a Domino traditum se conformaret.

Eandem traditionem religiose custodierunt Orientales Ecclesiae, quarum unanimis hac de re consensus eo magis conspicuus est, quod de multis aliis rebus varium esse suum cuiusque ius libenter accipiant; atque etiam hodie quidquam commune habere recusant cum iis postulationibus, quibus mulierum sacerdotalis ordinatio intenditur.

## II. *Quomodo Christus se gesserit*

- 3497 Christus Iesus nullam mulierem inter Duodecim adscivit. Si ita se gessit, id non propterea evenit, quod sui temporis moribus cedebat, nam ipsius cum mulieribus agendi ratio modo civium suorum prorsus dissimilis erat, et ab eorum observantia ille voluntarie audacterque se removebat. Sic nempe palam cum Samaritana muliere colloquitur, ideoque mirationem ipsis discipulis movet (cf. *Io.* 4, 27); legalis immunditiae mulieris, quae sanguinis fluxum patiebatur, nullam rationem habet (cf. *Mt.* 9, 20-22); a peccatrice muliere in domo Simonis pharisaei se tangi patitur (cf. *Lc.* 7, 37 et ss.); mulierem in adulterio deprehensam absolvens, docere intendit haud severius agendum esse in mulierum quam in virorum culpas (cf. *Io.* 8, 11); a lege Moysis se distineri non dubitans, aequalia asseverat viri ac mulieris quoad vinculum matrimonii iura et officia (cf. *Mc.* 10, 2-11; *Mt.* 19, 3-9). Cum vero iter faciens Iesus evangelizaret regnum Dei, sibi comites adiunxit non tantum Duodecim, sed etiam mulieres, [103] inter quas erat *Maria, quae vocatur Magdalene, de qua daemonia septem exierant, et Ioanna uxor Chusa procuratoris Herodis, et Susanna, et aliae multae, quae ministrabant eis de facultatibus suis* (*Lc.* 8, 2-3). Quamvis secundum mentis habitum Hebraeum haud magni valoris esset, teste iure Iudaico, mulieris testimonium, tamen primae Dominum a mortuis suscitatum viderunt mulieres, et ille iis officium commisit primum paschale nuntium Apostolis ipsis afferendi (cf. *Mt.* 28, 7-10; *Lc.* 24, 9-10; *Io.* 20, 11-18), qui praepararentur, ut publici Resurrectionis testes postea fierent.

Ioannes Duns Scotus, *In IV Sent.*, Dist. 25: *Opus Oxoniense*, ed. Vivès 19, 140; *Reportata Parisiensia* 24, 369-371; Durandus a Sancto Porciano, *In IV Sent.*, Dist. 25, q. 2, ed. Venetiis 1571, fo 364v.

Haec vero omnia — id fatendum est — non quidem talem evidentiam 3498  
afferunt, ut cuique proxime perspicua sint, quod quidem mirandum  
non est, siquidem quaestiones, quas movet Verbum Dei, altiores sunt  
quam ut responsa pateant; nam ad intellegendum tam Iesu missionis,  
quam Scripturae ipsius ultimum sensum, non satis est mere historicam  
textuum enarrationem instruere. Hac tamen in re agnoscendus est ve-  
lut fascis colligatus factorum, quae in idem indicandum vergunt, magis-  
que admirationem movent quod Iesus munus apostolicum<sup>10</sup> mulieri-  
bus non concedit. Ipsa Mater eius, Filii mysterio tam arcte sociata,  
cuius partes eximiae in Lucae et Ioannis Evangelii extolluntur, apo-  
stolico non est affecta ministerio. Quod Patres induxit, ut Mariam in  
exemplum proponerent Christi hac in re voluntatis: eandemque doc-  
trinam, saeculo ineunte XIII, adhuc confirmavit Innocentius Pp. III,  
scribens: *Licet beatissima Virgo Maria dignior et excellentior fuerit  
Apostolis universis, non tamen illi, sed istis Dominus claves regni cae-  
lorum commisit.*<sup>11</sup>

### III. Apostoli quomodo se gesserint

[104] Hunc Christi modum cum mulieribus agendi Apostolica com- 3499  
munitas fideliter observavit. Etsi B. Maria insignem locum obtinebat  
inter illos paucos, qui in Cenaculum post Domini ascensionem congre-  
gabatur (cf. *Act.* 1, 14), non tamen ipsa in Collegium duodecim Apos-  
tolorum est cooptata, cum de electione ageretur, cuius exitus fuit de-  
signatio Matthiae; duo enim discipuli propositi erant, de quorum no-  
minibus Evangelia ne mentionem quidem faciunt.

Die autem Pentecostes, Spiritu Sancto repleti sunt omnes, viri ac mu-  
lieres (cf. *Act.* 2, 1; 1, 14), attamen nonnisi *Petrus cum undecim leva-  
vit vocem suam*, ut nuntiaret in Iesu adimpletas esse prophetias (*Act.*  
2, 14).

Illis vero atque Paulo, quando terminos orbis Iudaeorum transierunt,  
necesse fuit, ut Evangelium et vitam christianam hominibus Graeco et  
Romano cultu atque humanitate imbutis praedicarent, Mosaicae Legis  
observantias solvere, et quidem interdum cum dolore. Potuissent ergo,  
nisi iis persuasum esset in hoc fidem Christo servandam esse, libenter  
sibi proponere, ut mulieribus ordinem conferrent. Apud illius aetatis  
Graecos plura quorundam deorum sacrificia exstabant, quae per mu-

<sup>10</sup> Obiciunt quidam Iesum ideo duodecim viros elegisse, ut signum allegoricum compleret,  
quippe qui in figura significaret, hos duodecim eorum personam acturos qui duodecim tri-  
bus Israel genuerant (cf. *Mt.* 19, 28; *Lc.* 22, 30). At in textibus ad id allatis nil asseritur ni-  
si Duodecim in iudicio eschatologico partem habituros. Genuina ratio, cur Duodecim elec-  
ti sint, intellegitur potius ex toto illorum munere, ad quod vocati sunt (cf. *Mc.* 3, 14), ut  
scilicet Christum in populo repraesentarent eiusque opus continuarent.

<sup>11</sup> Innocentius PP. III, *Epist.* 11 decembris 1210 ad episcopos Palentin. et Burgen., in  
*Corporis Iuris, Decretal.* lib. 5, tit. 38, *De paenit.* c. 10 *Nova*: ed. A. Friedberg, 2, col.  
886-887; cf. *Glossa in Decretal.* lib. 1, tit. 33, c. 12 *Dilecta*, v<sup>o</sup> *Iurisdictioni*. Cf. S. Tho-  
mas, *Summ. theol.*, III<sup>a</sup> pars, quaest. 27, art. 5, ad 3<sup>um</sup>; Pseudo-Albertus Magnus, *Mariae*,  
quaest. 42: ed. Borgnet 37, 81.

lieres confici solerent. Graeci enim a Iudaeorum opinionibus aberant; etsi eorum philosophi mulierem viro inferiorem esse profitebantur, fiebant inter eos ad promovendam aliquo modo mulierum dignitatem concitationes, quas historiarum scriptores notatu dignas aestimant, quaeque imperatorum temporibus creverunt. Revera ex libro Actuum Apostolorum atque Epistulis beati Pauli constat mulieres quasdam cum Apostolo in Evangelio laborasse (cf. *Rom.* 16, 3-12; *Phil.* 4, 3); et ille gratus singularum nomina enumerat inter salutationes, quibus Epistulas suas concludit; ad conversiones promovendas partes haud par[105]vas habuerunt quaedam ex illis mulieribus, ut Priscilla, Lydia, aliaeque; prae ceteris vero Priscilla, nam *Priscilla et Aquila assumpserunt Apollo et diligentius exposuerunt ei viam Dei* (cf. *Act.* 18, 26); Phoebe etiam, quae erat *ministra Ecclesiae quae est Cenchrus* (*Rom.* 16, 1). Ex his omnibus manifeste constat mores Ecclesiae Apostolorum longe a Iudaeorum moribus recessisse; attamen numquam mulieribus illis ordinationem conferre cogitaverunt.

In Pauli Epistulis, probati exegetae animadverterunt varios esse dicendi modos ab Apostolo usurpatos; scribens enim *adiutores meos* (*Rom.* 16, 3; *Phil.* 4, 2-3), nominat indistincte viros et mulieres, qui quocumque titulo eum in Evangelio adjuvant; nomen vero *Dei adiutores* (*1 Cor.* 3, 9; cf. *1 Th.* 3, 2) reservat Apollo, Timotheo sibi et Paulo, utpote qui directe ad apostolicum ministerium et verbi Dei praedicationem segregati sint. Mulierum tamen quamvis insigne fuisset die Resurrectionis munus, cooperatio ad id a Paulo non extensa est, ut illo publico munere sollemniter praeconium nuntiandi fungerentur, quod unius missionis apostolicae proprium est.

#### IV. *Quae Christus et Apostoli fecerunt, norma sunt perpetua*

3500 Etsi hic Christi et Apostolorum modus se gerendi a tota persaecula usque ad nos firma traditione ut norma habitus est, quaestio tamen oritur, num hodie aliter se gerere Ecclesiae liceat. Sunt qui affirmative respondeant, pluribus rationibus fulti, quas pervestigare oportet. Asseverant praesertim Iesum et Apostolos sic egisse, quia mores illius temporis regionisque necessario observabant, nec aliam causam fuisse, cur Christus ministerium neque mulieribus neque ipsi Matri suae committeret, nisi quod aliter agere prohiberent eiusdem temporis adiuncta. Nemo tamen probavit, ac reapse probari non potest, eiusmodi agendi modum solum a rationibus socialibus et cultus humani propriis esse profectum. Revera, cum Evangelia supra examinarem, Iesum [106] contra conspeximus ab opinionibus suorum coetaneorum se longe distrasse, ea auferendo discrimina, quibus mulieres a viris separabantur. Asseverari ergo non potest Iesum opportunitatis tantum rationem habuisse, cum mulieres in apostolicum coetum non adnumeraret. Eo minus Apostoli ad hunc morem observandum societatis cultusque adiunctis coacti sunt apud Graecos, quod illi haec discrimina ignorabant.

Praeterea obiciunt, inter ea, quae Paulus de mulieribus praescripsit, nonnulla esse, quae nostris temporibus caduca censeantur, atque partes aliquas eius doctrinae difficultates movere. At contra animadvertendum est fere omnia praecepta illa, ut veri simile esse videtur, ab aetatis moribus petita, ad disciplinae nonnisi minoris momenti usus spectare, cuiusmodi est obligatio facta mulieribus caput velandi (cf. *1 Cor.* 11, 2-16); quae praescripta iam non urgent. Cum vero Paulus, ut *mulieres in ecclesia taceant* statuit, non permittens eas loqui (*1 Cor.* 14, 34-35; cf. *1 Tim.* 2, 12), haec interdictio diversae est indolis eiusque significationem exegetae illustrant, nempe apostolum mulieribus non adimere ius, quod aliunde agnoscit, in ecclesia prophetandi (cf. *1 Cor.* 11, 5), sed solum prohibere, ne publicum docendi munus gerant in coetu christiano. Haec interdictio secundum Paulum cum consilio divino de creatione conectitur (cf. *1 Cor.* 11, 7; *Gen.* 2, 18-24), nec facile cultui moribusque adscribenda est. Praeterea in mentem revocare iuvat Paulum eum fuisse, qui in Novi Testamenti scriptis, de primi iuris virorum et mulierum aequalitate, utpote Dei filiorum in Christo (cf. *Gal.* 3, 28), maxima cum firmitate diceret. Nihil denique est, cur Paulus accusetur infensorum praeiudiciorum in mulieres, quibus ex contrario eum fiduciam significasse quasque ad laborandum secum vocasse constet.

3501

Ad haec vero de apostolicae aetatis adiunctis obiecta addunt, qui legitimam futuram esse huiusmodi disciplinae mutationem contendunt, considerandum esse, quomodo Ecclesia sacramentorum disciplinam moderetur. Equidem animadvertitur, nostris praecipue temporibus, quam conscia sit Ecclesia se in sacramenta, quamvis a Christo instituta, potestate quadam pollere, cuius decursu temporum usa est, ut eorum signum distinctius designaret, atque ea ministrandi condiciones determinaret; quod patet ex recentibus Summorum Pontificum Pii XII Paulique VI decretis.<sup>12</sup> Attamen sedulo advertendum est hanc potestatem, quamvis veram, certis finibus circumscriptam esse. De hoc monuit Pius Papa XII scribens: *Ecclesiae nulla competit potestas in substantiam Sacramentorum, id est in ea quae, testibus divinae revelationis fontibus, ipse Christus Dominus in signo Sacramenti servanda statuit.*<sup>13</sup> Quae iam docuit Tridentina Synodus declarans: *Hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quae suscipientium utilitati seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum et locorum varietate, magis expedire iudicaret.*<sup>14</sup>

3502

Praeterea haud praetermittendum est sacramentalia signa non, quasi ex pacto convenerit, selecta esse: non solum sub multiplici respectu, signa sunt reapse naturalia, utpote quae gestuum, rerumque vim signifi-

3503

<sup>12</sup> Pius PP. XII, Const. Apost. *Sacramentum Ordinis*, 30 novembris 1917: AAS 40 (1948) 5-7; Paulus PP. VI, Const. Apost. *Divinae Consortium Naturae*, 15 augusti 1971: AAS 63 (1971) 657-664; Const. Apost. *Sacram Unctionem*, 30 novembris 1972: AAS 65 (1973) 5-9.

<sup>13</sup> Pius PP. XII, Const. Apost. *Sacramentum Ordinis*: loc. cit., 5.

<sup>14</sup> Sessio 21, cap. 2: DS 1728.

candi naturaliter inditam assumant, sed praecipue ordinantur ad annectendos illi summo, qui praecesserit, salutis eventui posterioris aetatis homines, eosque uberi sacrorum Bibliorum vi educandos et arte symbolica docendos, qualem gratiam significant atque efficiant. Sic Sacramentum Eucharistiae non est mere fraternum convivium, sed simul memoriale praesens et *actuale* denuo faciens Christi sacrificium, nec non eius ab Ecclesia facta oblatio; sic ministeriale sacerdotium non est tantum pastorale munus, sed continuationem infert eorum munus, quae Apostolis Christus concredidit, [108] potestatumque, quae ad ea munera pertinent. Aptatio ergo ad tempora civilisque cultus formas ad id extendi nequit, ut solvatur quoad substantiam hoc sacramentale vinculum cum iis eventibus, qui christianam religionem fundaverunt, et cum Christo ipso.

3504 His in rebus, ad extremum est Ecclesiae, per suum Magisterium pronuntiantis, decernere quaenam partes sint immutabiles, quae vero partes mutationi sint obnoxiae. Ideo Ecclesia certas mutationes haud sibi admittendas esse censet, quia conscia est se Christi modo agendi obstrictam esse: tunc multum abest, ut moveatur antiquitatis fallaci studio, sed revera Domino suo servat fidem, cuius sola luce vera ratio eius iudicii intellegi potest. Ecclesia autem sententiam suam dicit, innixa in Domini promisso nec non in Spiritus Sancti praesentia, atque eo consilio, quo luculentius annuntietur Christi mysterium maioreque sedulitate custodiantur et ostendantur integrae eius divitiae.

Ecclesiae ergo praxis vim normae habet. In eo autem quod solum viris ordinatio sacerdotalis confertur, subest traditio continua per totam Ecclesiae historiam, universalis tam in Oriente quam in Occidente, intenta ad pravos usus statim coercendos; quae norma, exemplo Christi innixa, ideo observata est, et observatur, quia putatur conformis esse proposito Dei circa Ecclesiam suam.

#### V. Ministeriale sacerdotium mysterii Christi luce contemplandum est

3505 Postquam haec Ecclesiae norma huiusque fundamentum in mentem revocata sunt, utile et opportunum videtur eandem normam illustrare ostendendo eius, quam theologica cogitatio dignoscit, convenientiam: quod enim nonnisi viri ad ordinationem sacerdotalem accipiendam vocati sunt, hoc arcte convenit cum Sacramenti genuina indole eiusque specifica ad Christi mysterium relatione. Tunc vero non intenditur, ut argumentum de[109]monstrativum afferatur, sed ut doctrina per analogiam fidei illustretur.

Constans Ecclesiae doctrina est, quam denuo fusiusque declaravit Concilium Vaticanum II, revocavit etiam Synodus Episcoporum anno 1971 habita, iteravit denique Sacra haec Congregatio pro Doctrina Fidei in sua die 24 Iunii anno 1973 data Declaratione, Episcopum vel Presbyterum, suo quemque munere fungentem, in persona propria non agere, sed Christum repraesentare, qui per eum agit: *sacerdos vice Christi vere fungitur*, ut scripsit iam saeculo III S. Cyprianus. <sup>15</sup> Chris-

<sup>15</sup> S. Cyprianus, *Epist.* 63, 14: PL 4, 397 B; ed. Hanel, t. 3, 713.

tum ipsum repraesentare posse, hoc Paulus proprium esse affirmavit apostolici sui muneris (cf. 2 Cor. 5, 20; Gal. 4, 14). Quae Christi repraesentatio tunc altissimam sui significationem ac peculiarem prorsus modum assequitur, cum eucharistica celebratur synaxis, fons et centrum Ecclesiae unitatis, convivium sacrificale, quo populus Dei sacrificio Christi coniungitur: sacerdos, qui solus potestatem habet id perficiendi, agit non tantum virtute, quae ei a Christo confertur, sed in persona Christi,<sup>16</sup> huius partes sustinens, ita ut ipsam eius imaginem gerat, cum verba consecrationis enuntiat.<sup>17</sup>

[110] Christianum ergo sacerdotium est sacramentalis indolis, sacerdos est signum, cuius quidem supernaturalis efficacia ordinatione accepta obtinetur, at signum, quod percipi oportet,<sup>18</sup> cuiusque significationem fideles facile dignoscant. Tota enim sacramentorum oeconomia in signis naturalibus fundatur, quae vim significandi habent cum hominum animo concinentem: *signa sacramentalia*, ut ait S. Thomas, *ex naturali similitudine repraesentant*.<sup>19</sup> Eadem autem naturalis similitudo exigitur circa personas, quae circa res: cum enim repraesentare oportet sacramentaliter Christi agendi modum in Eucharistia, non haberetur haec naturalis similitudo, quae inter Christum eiusque ministrum postulatur, nisi partes a viro agerentur: secus difficile in eodem ministro imago Christi perspiceretur; siquidem Christus ipse fuit et permanet vir.

Sine dubio totius generis humani mulierem aequae ac virorum primogenitus est Christus: unitatem peccato fractam ita reparavit, ut iam non sit Iudaeus neque Graecus, non sit servus neque liber, non masculus et femina: omnes enim unus sunt in Christo Iesu (cf. Gal. 3, 28). Attamen Verbum incarnatum est secundum sexum virilem; quae quidem res in facto innititur, quod, nedum excellentiam quandam viri super mulierem importet, ab oeconomia salutis seiungi non potest: etenim id

<sup>16</sup> Sacrosanctum Concilium, 4 decembris 1963, n. 33: *...a sacerdote, qui coetui in persona Christi praest ...*; Lumen gentium, 21 novembris 1964, n. 10: *sacerdos quidem ministerialis, potestate sacra qua gaudet, populum sacerdotalem efformat ac regit, sacrificium eucharisticum in persona Christi conficit illudque nomine totius populi Deo offert ...*; n. 28: *in sacramenti Ordinis, ad imaginem Christi, summi atque aeterni Sacerdotis ... suum munus sacrum maxime exercent in eucharistico cultu vel synaxi, qua in persona Christi agentes ...*; Presbyterorum ordinis, 7 decembris 1965, n. 2: *... Presbyteri, unctione Spiritus Sancti, speciali caractere signantur et sic Christo Sacerdoti configurantur, ita ut in persona Christi Capitis agere valeant*; n. 13: *ut sacrorum ministri, praesertim in sacrificio Missae, presbyteri personam specialiter gerunt Christi...*; cf. Synodus Episcoporum a. 1971, De sacerdotio ministeriali, 1, 4; SCDF, Declaratio circa catholicam doctrinam de Ecclesia, 24 iunii 1973, n. 6.

<sup>17</sup> S. Thomas, *Summ. theol.*, III<sup>a</sup> pars, q. 83, art. 1, ad 3<sup>um</sup>; *Dicendum est quod* [sicut celebratio huius sacramenti est imago repraesentativa crucis ipsius: *ibid.* ad 2<sup>um</sup>], *per eandem rationem etiam sacerdos gerit imaginem Christi, in cuius persona et virtute verba pronunciat ad consecrandum.*

<sup>18</sup> *Quia cum sacramentum sit signum in eis quae in sacramento aguntur, requiritur non solum res, sed significatio rei*, ait S. Thomas plane ad ordinationem mulierum removendam: *In IV Sent.*, dist. 25, q. 2, art. 1, quaestiuncula 1<sup>a</sup> corp.

<sup>19</sup> S. Thomas, *In IV Sent.*, dist. 25, q. 2, art. 2, quaestiuncula 1<sup>a</sup>, ad 4<sup>um</sup>.

cum universo consilio Dei consonat — sicut a Deo est revelatum — cuius nucleus est Foederis mysterium.

- 3507 Salus enim, quae hominibus a Deo offertur, seu unio cum eo, ad quam vocantur, Foedus nempe, describebatur iam in Vetere Testamento, apud Prophetas, praecipue sub figura nuptialis mysterii: populum electum fieri Dei sponsam ardentem dilectam; cuius dilectionis familiaritatem intimam traditio cum Iudaea tum christiana pervidit, quae iterum iterumque Can[111]tica Cantorum perlegebat; sponsum vero fidelem mansurum esse, etiam quoties sponsa amorem eius deciperet, id est quoties Israel Deo infidelis esset (cf. *Os.* 1-3; *Ier.* 2). *At ubi venit plenitudo temporis* (*Gal.* 4, 4), Verbum, Dei Filius, ideo caro factum est, ut iniret et sanciret novum et aeternum Testamentum in sanguine suo, qui pro multis effunderetur in remissionem peccatorum: cuius mors filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum; cuius e latere transfixo Ecclesia nascitur, sicut Eva e latere Adam est nata. Tunc plenum et sempiternum efficitur hoc nuptiarum mysterium, quod nuntiaverunt atque cecinerunt scripta Veteris Testamenti: Christus est sponsus; Ecclesia est eius sponsa, quam ideo diligit, quod eam acquisivit sanguine suo, ut eam exhiberet sibi gloriosam, sanctam et immaculatam, neque ab ea iam separari potest. Argumentum nempe nuptiarum evolvitur inde ab Epistulis sancti Pauli (cf. *2 Cor.* 11, 2; *Eph.* 5, 22-33) usque ad beati Iohanni scripta (praecipue *Io.* 3, 29; *Ap.* 19, 7 et 9); innuitur vero etiam in synopticis Evangeliiis, nam *quanto tempore habent secum sponsum, non possunt ieiunare amici eius* (cf. *Mc.* 2, 19); *simile factum est Regnum caelorum homini regi qui fecit nuptias filio suo* (*Mt.* 22, 1-14). Sermone illo Sacrae Scripturae, symbolis intertextis, quo vir et mulier in intima sua identitate exprimentur et attinguntur, revelatum est nobis mysterium Dei et Christi, quod ex se pervestigari non potest.
- 3508 Numquam ergo praetermittendum est Christum virum esse. Ideo, ne momentum huiusmodi symbolismi neglegatur in oeconomia Revelationis, tenendum est iis actionibus, quae ordinationis characterem postulant et in quibus repraesentatur Christus ipse, auctor Foederis, sponsus et caput Ecclesiae, suo salutis officio fungens, quod praeclarissimo modo in Eucharistia fieri contingit, partes eius — haec est enim primigenia significatio verbi «personae» — viro agendas esse. Hoc vero in viro nequaquam oritur ab aliqua excellentia, quatenus est [112] persona, in ordine valorum, sed solum a diversitate, quae, in ordine munerum et servitii rationum, in factis innititur. Num dici potest, cum Christus sit nunc in caelesti conditione, iam nihil interesse, utrum a viro an a muliere repraesentetur, quia *in resurrectione neque nubent neque nubentur* (*Mt.* 22, 30)? Haec tamen verba non significant viri ac mulieris distinctionem in aeterna gloria aboleri, cum identitatem personae propriam determinant. Quod de Christo dicendum est sicut de nobis. Plane enim compertum est sexus diversitatem in natura humana magnum influxum exercere, utique profundiore quam exempli causa gentium diversitates; hae enim non tam intime humanam personam afficiunt quam sexus diversitas, quae



directe ordinatur cum ad personarum communionem, tum ad humanam generationem, atque in revelatione biblica ascribitur primordiali Dei voluntati: *masculum et feminam creavit eos* (Gen. 1, 27).

Attamen, instabunt aliqui forsan dicentes sacerdotem, maxime cum liturgicis et sacramentalibus actionibus praesideat, pariter Ecclesiam repraesentare, utpote cuius nomine agat, intendens «facere id quod facit Ecclesia». Eo nempe sensu aetatis mediae theologi tradebant ministerium etiam agere «in persona Ecclesiae», id est nomine totius Ecclesiae et ad eam repraesentendam. Re quidem vera, qualiscumque est, ad fideles quod attinet, participatio actionis liturgicae, totius tamen Ecclesiae nomine reapse celebrat sacerdos, quippe qui omnium nomine oret et in Missa totius Ecclesiae sacrificium offerat: Ecclesia in novo Paschate Christum Dominum per sacerdotes sub signis visibilibus immolat.<sup>20</sup> Cum ergo Ecclesiam quoque ipsam sacerdos repraesentet, num cogitari licet hanc congruenter cum supra descripta ratione signi a muliere posse repraesentari? Fatendum sane est sacerdotem reapse Ecclesiam repraesentare, quae est Corpus Christi; at hoc ideo, quia in primis Christum ipsum[113] repraesentat, qui est caput et pastor Ecclesiae, quibus verbis Concilium Vaticanum II utitur, accuratius enuntians et complens locutionem *in persona Christi*.<sup>21</sup> Hoc munere fungens, sacerdos christianae synaxi praesidet atque eucharisticum sacrificium celebrat, in quo Ecclesia tota offert ipsaque offertur.<sup>22</sup>

3509

Quicumque praedictis rationibus obsequi voluerit, melius intellet, quam iustis de causis Ecclesia hoc modo se gesserit; ex iis denique controversiis, quae nostra aetate ortae sunt, utrum mulieres ordinationem recipere valeant necne, christiani incitari se sentiant, ut mysterium Ecclesiae perscrutentur, naturam et significationem episcopatus et presbyteratus pressius investigent, item genuinum insignemque discernant locum sacerdotis in baptizatorum communitate, cuius membrum quidem est, a qua tamen secernitur, quia in iis actionibus, in quibus ordinationis character requiritur, sacerdos, cum illa efficacia, quae sacramentorum est propria, imago est ac signum ipsius Christi, qui convocat, absolvit, Foederis sacrificium conficit.

#### VI. Ministeriale sacerdotium Ecclesiae mysterio illustratum

In memoriam vero opportune redigendum est quaestiones, quae oriuntur e sacramentorum theologia et praesertim e sacerdotio ministeriali, de quo nunc agitur, solvi non posse nisi Revelationis luce affulgente.

3510

<sup>20</sup> Cf. Concilium Tridentinum, sessio 22, cap. 1: DS 1741.

<sup>21</sup> *Lumen gentium*, n. 28: *Munus Christi Pastoris et Capitis pro sua parte ... exercentes; Presbyterorum ordinis*, n. 2: *ita ut in persona Christi Capitis agere valeant ...*; n. 6: *munus Christi Capitis et Pastoris*. - Cf. Pius PP. XII, Litt. Enc. *Mediator Dei: altaris administer personam Christi utpote Capitis gerit, membrorum omnium nomine offerentis*: AAS 39 (1947) 556; - Synodus Episcoporum a. 1971, *De sacerdotio ministeriali*, I, 4: *Christum, Caput communitatis, praesentem reddit...*

<sup>22</sup> Paulus PP. VI, Litt. Enc. *Mysterium fidei*, 3 septembris 1965: AAS 57 (1965) 761.

In iis enim solvendis humanae scientiae, quamvis magni sit aestimanda, quam in proprio ambitu conferant, cognitio, sufficere non possunt, quippe quae non [114] apprehendant res fidei, in quibus, quod proprie supernaturale est, istarum scientiarum competentis iudicii non sunt.

Sic advertendum est, quantum Ecclesia a ceteris societatibus differat, natura et structura sua plane singularis. In Ecclesia enim pastorale munus cum ordinis sacramento pro more conecitur; non est ergo mere regimen, quod conferri possit iis potestatis formis, quae in rebus publicis inveniuntur. Non confertur spontaneo hominum delectu, etsi quidem forte per modum electionis designatur, qui munus accipiat: non nisi enim per Apostolorum successorum manus impositionem et orationem electio ut a Deo facta confirmatur atque Spiritus Sanctus, qui in ordinatione datur, aliquem participem reddit regiminis Christi, supremi pastoris (cf. *Act.* 20, 28). Quod munus est opus servitutis et amoris: *Si diligis me, pasce oves meas* (cf. *Io.* 21, 15-17).

3511 Quapropter non patet, quomodo proponi possit mulierum ad sacerdotium accessus ob eam, quae hominibus agnoscitur, iurium aequabilitatem, quaeque etiam christianis contingit. Ad quod probandum, nonnumquam ut argumento utuntur verbis supra allatis Epistolae ad Galatas (3, 28), quibus declaratur nullam esse iam in Christo distinctionem viri et mulieris. His tamen verbis non agitur de ministeriis Ecclesiae, sed tantum asseritur omnes aequaliter vocari, ut adoptionem filiorum Dei accipiant. Praeterea ac potissimum, in ipsa ministerialis sacerdotii natura vehementer erraret, qui illud inter humana iura ascriberet, cum baptismus nemini ullum ius conferat ad publicum ministerium in Ecclesia adipiscendum. Sacerdotium enim alicui confertur, non ut ei honori sit vel commodo, sed ut Deo et Ecclesiae serviat; immo respondet vocationi peculiari et omnino gratuita: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos et posui vos* (*Io.* 15, 16; cf. *Hebr.* 5, 4). Dicunt interdum, vel in libris seu ephemeridibus passim scribunt, esse mulieres, quae in animo vocationem ad sacerdotium percipiant. Huiusmodi proclivitas, quamvis generosus et [115] intellectu sit facilis, ad genuinam vocationem non sufficit: haec enim redigi nequit ad meram mentis inclinationem, quae subiectiva tantum maneret. Cum enim sacerdotium peculiare ministerium sit, cuius Ecclesia officium et custodiam acceperit, pro vocatione ad illud Ecclesiae auctoritas atque fides adeo expetenda est, ut eius sit pars constitutiva, nam Christus elegit *quos voluit ipse* (*Mc.* 3, 13). Rursus universalis est vocatio omnium baptizatorum ad regale sacerdotium exercendum, suam Deo offerendo vitam, atque testimonium reddendo in laudem Dei.

3512 Mulieres, quae ministeriale sacerdotium se ambire profitentur, serviendi Christo Ecclesiaeque desiderio sane impelluntur. Nec mirum est quod, simul ac ipsae consciae fiunt olim discrimina se passas esse in civitate, ad id adducuntur, ut ipsum ministeriale sacerdotium sibi exoptent. Praetermittendum tamen non est sacerdotalem ordinem in humanae personae iuribus non contineri, sed e mysterii Christi et Ecclesiae oeconomia pendere. Presbyteri munus ambiri non potest quasi provec-

tionem secum ferat in excelsiorem societatis dignitatem; nullus enim mere humanus sive societatis sive personae progressus ex sese capax est ad illud aditum praebendi, quippe cuius status omnino diversus sit. Restat ergo, ut profundius meditemur inter maxima christianae professionis asserta genuinam illam baptizatorum aequabilitatem, quae ideo non est uniformitas, quia Ecclesia est corpus varietate membrorum distinctum, in quo suum cuique membro munus assignatur. Munera ergo distinguenda, non permiscenda sunt, nulli alterius in alterum exsuperantiae favent, aemulationis nomen non praebent. Unum charisma melius, quod quis aemulari potest ac debet, est caritas (cf. 1 Cor. 12-13). Maiores in Regno caelorum non sunt ministri, sed sancti. Exoptat sancta Mater Ecclesia, ut christianae mulieres sibi plene consciae fiant, quanta sit ipsarum missio: partes earum [116] hodie maximae sunt, ut simul et instauretur atque humanior fiat societas et fideles veram Ecclesiae imaginem agnoscant.

*Declarationem hanc Summus Pontifex Paulus divina Providentia PP. VI in Audientia concessa infrascripto Praefecto Sacrae Congregationis pro Doctrina Fidei, die 15 octobris a. 1976, ratam habuit, confirmavit atque evulgari iussit.*

## De Abbatiis nullius

Die 23 octobris 1976 Paulus VI per Litteras Apostolicas Motu proprio datas Abbatiarum nullius dioeceseos innovationem decrevit.

ED. - Lat.: AAS 68 (1976) 694-696. Gall.: DC 74 (1977) 115-116. Ital.: EV 5, 1425-1429.

COMM. - Gall.: M. COSTALUNGA, in: DC 74 (1977) 116-117. Ital.: M. COSTALUNGA, in: OR 30-XII-1976, 2.

- 3513 [694] Catholica Ecclesia, quae «una cum tota humanitate incedit eandemque cum mundo sortem terrenam experitur, ac tamquam fermentum et veluti anima societatis humanae in Christo renovandae et in familiam Dei transformandae existit», <sup>1</sup> eo valentius officium suum hominibus praestabit quo sollicitius compages suas, attenta quoque populorum progressionem, restaurabit.
- Qua de re, cum Sancta Oecumenica Synodus Vaticana II exoptet, ut monachi — servata indole propriae institutionis — antiquas beneficas traditiones renovent easque hodiernis animarum necessitatibus accommodent, atque «religiones quae ex regula vel instituto vitam apostolicam intime consociant officio choralibus observantiisque monasticis» <sup>2</sup> rationem vivendi cum apostolatus sibi convenientis exigentiis componant, cumque oporteat, ut dioecesis, ad proprium finem consequendum, Ecclesiae naturam in populo Dei ad se pertinente perspicue manifestet, <sup>3</sup> spes rerum in posterum longe meliorum tunc firmior multo consistet si fideliter servetur atque magis in dies eluceat in suo germano spiritu venerabile vitae monasticae institutum.
- 3514 Haec sane commutatio non imminuit auctoritatem et «praeclara merita longo saeculorum cursu in Ecclesia et in humana consortione» <sup>4</sup> acquisita a canonicalibus institutis, quae inde a Sanctorum Patrum temporibus floruerunt atque a monasticis institutis, illorum praesertim [695] quae a Benedicto auctore nomen unaque cum sanctissimis legibus miram in hominum utilitatem agendi perpetuandique vim mutaverunt. Siquidem, cum Romanum imperium corrueret et in eius provincias turmatim barbari confluerent cumque ipsa Roma «dissoluta

<sup>1</sup> *Gaudium et spes*, n. 40.

<sup>2</sup> *Perfectae caritatis*, n. 9.

<sup>3</sup> Cf. *Christus Dominus*, n. 22.

<sup>4</sup> *Perfectae caritatis*, n. 9.

moenia, eversas domos, destructas ecclesias turbine»<sup>5</sup> ostenderet, religiosi viri cruce, libro, aratro indociles silvestresque gentes mansuefecerunt atque catholicae Ecclesiae validissimo fuerunt propugnaculo et vallo.

Cum igitur «monachorum praecipuum officium sit divinae Maiestati humile simul ac nobile servitium praestare intra saepta monasterii, sive in umbratili vita integre se divino cultui dedicent, sive aliqua apostolatus vel christianae caritatis opera legitime assumpserint»,<sup>6</sup> opportunum visum est nonnullas canonicas normas, quibus Abbatiae nullius dioeceseos moderantur, retractare.

Itaque, Dicasteriis Romanae Curiae quorum interest auditis eorumque sententiis mature perpensis, certa scientia atque suprema et apostolica Nostra auctoritate, has quae sequuntur normas de Abbatiis nullius dioeceseos edere statuimus, simul abrogantes praescripta vigentia iisdem normis quomodocumque contraria.

1. Abbatiae nullius dioeceseos<sup>7</sup> in posterum ne erigantur, nisi peculiarissima adiuncta in bonum animarum cedentia aliter suadeant. 3515

2. Abbatiae nullius in praesens exstantes, iis exceptis quae singulari iure reguntur,<sup>8</sup> audita Conferentia episcopali cuius interest, aptius ad territorium quod attinet definiantur vel in alias ecclesiasticas circumscriptiones convertantur, iuxta normas a Concilio Oecumenico Vaticano II statutas.<sup>9</sup> 3516

3. Abbatia nullius, cuius territorium ex toto in aliam ecclesiasticam circumscriptionem versum est, in statum iuris communis restituatur vel iure singulari regetur, prout Apostolica Sedes singulis in casibus decrevit. 3517

[696] 4. Sacramenti Ordinis plenitudo episcopali consecratione Abbatibus ne conferatur, nisi spiritualis auctoritas et peculiaris status Abbatiae, quae portionem Populi Dei complectitur,<sup>10</sup> id postulent. 3518  
Quae vero a Nobis hisce Litteris, motu proprio datis, decreta sunt pro universa Ecclesia, ea omnia rata ac firma esse iubemus, contrariis quibuslibet, etiam specialissima mentione dignis, non obstantibus.

<sup>5</sup> S. Gregorius M., *Dialogorum*, 1. II, 15: PL 66, 162.

<sup>6</sup> *Perfectae caritatis*, n. 9.

<sup>7</sup> Cf. can. 319 § 1 CIC.

<sup>8</sup> Cf. *ibid.*, § 2.

<sup>9</sup> Cf. *Christus Dominus*, n. 23.

<sup>10</sup> Cf. *ibid.*, n. 11.

## De celebratione Paschae

Die 15 martii 1977 I. Card. Willebrands, Praeses SCU, ad Praesides Conferentiarum Episcoporum Epistulam de celebratione Paschae misit. Textus lingua gallica publici iuris factus est.

ED. - Gall.: N 13 (1977) 201-202; DC 74 (1977) 557-558. Angl.: DOL 164. Hisp.: Ph 17 (1977) 537-538. Ital.: EV 6, 57-59; Unitas 32 (1977) 285-286. Neer.: AK 32 (1977) 1053-1054.

COMM. - Hisp.: P. TENA, in: Ph 17 (1977) 535-541. Ital.: G. CAPRILE, in: CC 128/III (1977) 65-70.

- 3519 [201] Dans ma lettre du 18 mai 1975 (Prot. n. 1578/75) j'ai porté à l'attention des conférences épiscopales les consultations qui, à la demande du Saint-Père, avaient eu lieu au sujet de la possibilité d'arriver à une célébration de la fête de Pâques à une date commune à tous les chrétiens, de préférence à un dimanche fixe dans l'année. En outre, je les ai informées que j'étais chargé par le Saint-Père de proposer aux Eglises orthodoxes, à l'Eglise vieille-catholique, à la Communion anglicane et aux Familles Confessionnelles Mondiales qu'à partir de 1977 la fête de Pâques soit toujours célébrée le dimanche qui suit le deuxième samedi du mois d'avril.
- En même temps, le Conseil oecuménique des Eglises avait fait auprès de ses Eglises membres une enquête sur la possibilité de réaliser une telle proposition.
- Je voudrais remercier les nombreuses conférences épiscopales qui nous ont transmis leurs observations et réflexions sur cette proposition dont le but était de réaliser une unité de tous les chrétiens pour la célébration à la même date de la Résurrection du Seigneur.
- Les réactions des Eglises et communautés de tradition occidentale furent quasi unanimement favorables à ce projet. Néanmoins toutes ont souligné la nécessité qu'un tel changement ne soit fait qu'en consultation avec les Eglises d'Orient et avec leur accord.
- Les Eglises orthodoxes ont étudié sérieusement cette proposition. Elles ont exprimé publiquement leur désir que tous les chrétiens célèbrent ensemble la fête de Pâques. Cependant, à cause de difficultés pastorales sérieuses existant dans certaines Eglises locales, elles sont convaincues que des études et des réflexions ultérieures sont [202] pour elles encore nécessaires avant de pouvoir donner une réponse définitive. Cette étude est déjà en cours, mais il est clair qu'aucune décision ne sera possible dans un avenir immédiat. En outre il semble clair aussi que, si les

Eglises et les communautés de tradition occidentale décidaient maintenant de réaliser ce projet, une telle décision ne contribuerait pas à nous approcher de notre but: la célébration à la même date par tous les chrétiens du mystère central de notre foi.

Dans ces circonstances, le Saint-Père a jugé que la situation n'est pas encore mûre pour que l'Eglise catholique romaine change sa méthode actuelle de calculer la date de Pâques et décide de réaliser dès 1978 son projet de fixer cette date à un dimanche du mois d'avril. 3520

Cette année-ci tous les chrétiens célébreront ensemble, le même jour, la Résurrection de notre Sauveur commun. Quoiqu'il ne soit pas possible dans le proche avenir de continuer cette célébration à la même date, après les réactions reçues à notre proposition de 1975, nous sommes convaincus que le monde chrétien tout entier est déterminé à arriver le plus tôt possible à une solution de ce problème.

En vous exprimant dès maintenant mes souhaits de sainte et joyeuse fête de Pâques et demandant au Ressuscité de répandre ses bénédictions sur vous-même, sur votre conférence épiscopale et sur vos fidèles, je vous prie d'agréer l'expression de mes sentiments respectueux et fraternels.

## De sacramento Paenitentiae

Die 31 martii 1977 Sectio pro Sacramentis SCSCD et SCC ad Praesides Conferentiarum Episcoporum Litteras circulares «de praemittendo Sacramento Paenitentiae primae puerorum Communioni» miserunt.

Sacra Congregatio pro Cultu Divino (Sectio pro Sacramentis) et Sacra Congregatio pro Clericis Prot. N. 2/76.

ED. - Angl.: DOL 381. Gall.: DC 74 (1977) 556; BNL 15 (1981) 200-202. Ital.: EV 6, 133-141; RL 65 (1977) 262-265; L 11 (1977) 307-311. Neer.: *Analecta voor het bisdom Roermond* 66 (1985) 29-32.

COMM. - Gall.: DC 74 (1977) 556-557. Hisp.: P. TENA, in: Ph 17 (1977) 542-544. Ital.: OR 28-V-1977, 1; RD 22 (1977) 290; L 11 (1977) 312-313; J. RATZINGER, in: OR 7/8-XI-1977, 2; A.M. TRIACCA, in: OR 23-IV-1977, 2; R. ZAVALLONI, in: OR 22-XII-1978, 3.

3521 In quibusdam Ecclesiae partibus atque apud nonnullos coetus, qui rei catecheticae adlaborant, quamvis Declaratio «Sanctus Pontifex» die 24 Maii 1973 edita sit coniunctim a SS. Congregationibus pro Disciplina Sacramentorum et pro Clericis (cf. AAS 65 [1973] 410) nihilominus dissensiones ac dubia adhuc permanent circa ecclesiasticam disciplinam quae respicit Confessionis sacramentum primae puerorum Communioni praemittendum. Ad rem quod attinet, haud paucae denuntiationes et petitiones ad Apostolicam Sedem pervenerunt, quae ab Episcopis, a sacerdotibus et a parentibus sunt delatae. Expressis autem verbis quaestionem de hac re proposuit Institutum religiosum, vitae apostolicae addictum, quod ministerium suum in variis exercet Nationibus; ab eo scilicet quaesitum est, num liceat, post praedictae Declarationis promulgationem, suscipere «per modum regulae generalis» primam Communionem sine praevia Confessione in iis paroeciis, in quibus usus huiusmodi invaluit.

Praeterea, nuper institutae de hac re investigationes a S. Congregatione pro Sacramentis et pro Cultu Divino suaserunt tum necessitatem inculcandi Ecclesiae normas ad hanc quaestionem spectantes, tum etiam opportunitatem rursus explicandi, quatenus opus esset, praedictae Declarationis mentem atque propositum: quod fit per responsionem ex officio datam (cf. Adnexum <sup>a</sup>) ad quaestionem, quam Institutum religiosum, cuius mentio supra facta est, proposuerat.

<sup>a</sup> Agitur de textu alicuius dubii propositi eiusque solutionis, qui invenitur in Supplemento huius voluminis sub n. 3059.



Haud certe necessarium est explicare, quae causa fuerit illam promulgandi Declarationem, cum omnes probe noverint, quam gravem perturbationem attulerint nonnullae opiniones, rationibus psychologicis et paedagogicis innixae, quibus quidem ipsa tradita Ecclesiae disciplina penitus subvertebatur. Attamen iuvat illud animadvertere quod, dum ante Decretum «Quam singulari» (cf. AAS 2 [1910] 579) secundum communem sententiam pueri, qui certam aetatem attigissent, ad Confessionem admitti poterant, non autem ad Communionem sumendam, nunc e contra affirmatur pueros posse quidem ad Communionem accedere, non autem decere Confessionem huic Sacramento praemittere. Iam secundum Decretum «Quam singulari» origo improbandarum consuetudinum in eo ponebatur, quod aetas discretionis apta ad sacramenta suscipienda nondum erat definita: «Quos reprehendimus abusus ex eo sunt repetendi, quod nec scite nec recte definiverint quatenus sit aetas discretionis, qui aliam Poenitentiae, aliam Eucharistiae assignarunt». Quare in n. 1 partis dispositivae eiusdem Decreti statuitur unicam esse aetatem ad haec Sacramenta idoneam, eaque adeptam, obligationem incipere utrumque recipiendi iuxta designatum ordinem, scilicet Confessione Communioni praemissa: «Aetas discretionis tum ad Confessionem tum ad S. Communionem ea est, in qua puer incipit ratiocinari, hoc est circa septimum annum, sive supra, sive etiam infra. Ex hoc tempore incipit obligatio satisfaciendi utrique praecepto Confessionis et Communionis». <sup>1</sup>

3522

Confessionem praemittendam esse S. Communioni manifesto patet sive ex ordine, quo in Decreto duo haec Sacramenta recensentur eorumque fit mentio, sive ex eo, quod abusus improbi tunc respiciebant non tam admissionem ad Confessionem, quam potius accessum ad S. Communionem.

3523

Necessitas tuendi ac fovendi dignam Sacramenti Eucharistiae participationem Ecclesiam impulit ad normam inducendam in suam disciplinam suamque pastorem praxim, qua Confessio S. Communionem praecedere deberet; atque hoc modo agnitum est ius fidelium — cum adultorum tum puerorum — ad Sacramentum Reconciliationis recipiendum.

Ceterum S. Pauli admonitio (cf. 1 Cor. 11, 28) vere directoriam normam statuit quae etiam pueros attingit. Quapropter ii quoque, antequam SS. mam Eucharistiam sumant, sese probare debent. Atqui puer per se ipse communiter non valet illam, quam S. Paulus iubet, sui probationem clare ac securo animo peragere; quod procul dubio expeditius ac tutius eveniet, si ipse auxilio sacerdotis confessarii uti poterit. Revera multi pueri sunt, qui ob res levis momenti se anxios ac turbatos sentiunt, dum non desunt ex contrario qui graviores culpas ignorare ac parvi pendere possint.

Ex altera parte, servari non posset praescriptum can. 854 par. 4<sup>o</sup> Codicis Iuris Canonici, vi cuius iudicium de sufficienti dispositione ad pri-

<sup>1</sup> Vix attinet dicere obligationem strictam Confessionis intellegendam esse secundum traditam Ecclesiae doctrinam.

nam Communionem pertinet ad sacerdotem a confessionibus, si puer ante Communionem ad Confessionem non accederet.

- 3524 Hac in re illud quoque prae oculis est habendum, quod egregii Pastores iam comprobatum habent ex praxi catecheseos et ex sacri ministerii usu, scilicet magnam utilitatem salutiferamque vim, quam in totam puerorum vitam habet prima ipsorum Confessio, si haec recte praeparatur, convenienter eorum aetati aptetur eorumque facultati res spirituales percipiendi, itemque ea qua par est dignitate administretur. Cum autem ad discretionis aetatem pervenerit, puer in Ecclesia ius habet recipiendi utrumque Sacramentum; absurdum atque iniustum discrimen fieret eiusque conscientia violaretur, si ipse praepareretur et admitteretur tantummodo ad S. Communionem. Nec satis est dicere pueros ius habere accedendi ad Confessionem, si tale ius practice maneat infectum.
- 3525 Ubi pueri jam satis instructi erunt et conscii sibi facti naturae propriae horum duorum Sacramentorum, iisdem minime difficile erit accedere prius ad Sacramentum Reconciliationis, quod in iis — ratione simplici quidem sed fundamentali — excitat conscientiam boni et mali moralis atque efficit ut ad faustum Christi Eucharistici occursum pleniore cum cognitione ac maturitate ipsi sese disponant. Quae intima persuasio de necessitate purificationis quam maximae ad Eucharistiam digne sumendam, si inde ab ipsa prima Communionem prudenter convenienterque singulis pueris tradatur, eos per totius vitae decursum certe comitabitur atque ad multi maiorem Sacramenti Reconciliationis aestimationem frequentationemque conducet. Haec docet Summus Pontifex in epistula quam scripsit per Secretarium Status, occasione XXVIae Hebdomadae liturgicae in urbe Florentia celebratae: «Beatissimus Pater demum peculiari modo parvulorum Confessionem ante oculos ponit, ac praesertim primam Confessionem, quae semper primam Communionem oportet praecedat, etsi ab ea quodam temporis intervallo opportune separetur; ab ipsa enim prima aetate incipere debet illa evangelizatio Poenitentiae, quae postea validius usque ac magis conscium reddet fundamentum vividae fidei, tum in Sacramento recipiendo, tum praesertim in christiana vita recte convenienterque ordinanda».
- 3526 Licet etiam animadvertere peculiare societatis et culturae condiciones apud varias Nationes legitimam causam non esse, cur hac in re diversa disciplina instauretur; natura enim humana fundamentaliter eadem est omnibus locis, atque illi spiritualis perfectionis assequendi fines, qui horum Sacramentorum proprii sunt, omnibus pariter proponuntur. Ac revera pueri, quibuscumque in societatis vel culturae adiunctis versantur, si Eucharistiam suscipere possunt modo conscio atque aetati suae congruo, iisdem pariter possunt cognitionem habere peccati eiusque veniam a Deo petere in Confessione. Denique reminiscendum est renovationem firmioremque sacramenti Poenitentiae vigorem, quae tantopere necessaria sunt quaeque in Ecclesia hodie universali Pastores summopere exoptant, evenire nullo modo posse, nisi principium ac fundamentum habeant in sedula fructuosaque praeparatione ac receptione Sacramentorum initiationis christianae.

## Declaratio communis Pauli VI et Friderici Donaldi Coggan

Die 29 aprilis 1977 Paulus VI et Fridericus Donaldus Coggan, Archiepiscopus Cantuariensis et Anglicanae Communionis Praeses, Declarationem communem, lingua anglica exaratam, emiserunt. In qua Declaratione etiam de quaestionibus liturgicis loquuntur.

ED. - Angl.: AAS 69 (1977) 286-289; DOL 165. Gall.: DC 74 (1977) 458-459. Ital.: EV 6, 143-149; RD 22 (1977) 292-293. Lus.: LRC 41 (1977) 407-409. Neer.: AK 32 (1977) 793-796.

COMM. - Ital.: G. CAPRILE, in: CC 128/II (1977) 380-386; P. DUPREY, in: OR 11-V-1977, 2.

[286] 2. As the Roman Catholic Church and the constituent Churches of [287] the Anglican Communion have sought to grow in mutual understanding and Christian love, they have come to recognise, to value and to give thanks for a common faith in God our Father, in our Lord Jesus Christ, and in the Holy Spirit; our common baptism into Christ; our sharing of the Holy Scriptures, of the Apostles' and Nicene Creeds, the Chalcedonian definition, and the teaching of the Fathers; our common Christian inheritance for many centuries with its living traditions of liturgy, theology, spirituality and mission. 3527

4. The Anglican/Roman Catholic International Commission has produced three documents: on the Eucharist, on Ministry and Ordination and on Church and Authority. We now recommend that the work it has begun be pursued, through procedures appropriate to our respective Communions, so that both of them may be led along the path towards unity. 3528

The moment will shortly come when the respective Authorities must evaluate the conclusions.

6. In mixed marriages between Anglicans and Roman Catholics, where the tragedy of our separation at the sacrament of union is seen most starkly, cooperation in pastoral care<sup>3</sup> in many places has borne fruit in increased understanding. Serious dialogue has cleared away 3529

<sup>3</sup> Paulus VI, Litt. Apost. *Matrimonia mixta*, n. 14.

many [288] misconceptions and shown that we still share much that is deep-rooted in the Christian tradition and ideal of marriage, through important differences persist, particularly regarding remarriage after divorce. We are following attentively the work thus far accomplished in this dialogue by the Joint Commission on the Theology of Marriage and its Application to Mixed Marriages. It has stressed the need for fidelity and witness to the ideal of marriage, set forth in the New Testament and constantly taught in Christian tradition. We have a common duty to defend this tradition and ideal and the moral values which derive from it.

3530 7. All such cooperation, which must continue to grow and spread, is the true setting for continued dialogue and for the general extension and appreciation of its fruits, and so for progress towards that goal which is Christ's will—the restoration of complete communion in faith and sacramental life.

3531 9. It is this communion with God in Christ through faith and through baptism and self-giving to Him that stands at the centre of our witness to the world, even while between us communion remains imperfect. Our divisions hinder this witness, hinder the work of Christ,<sup>5</sup> but they do not close all roads we may travel together. In a spirit of prayer and of submission to God's will we must collaborate more earnestly in a "greater common witness to Christ before the world in the very work of evangelisation".<sup>6</sup> It is our desire that the means of this collaboration be sought: the increasing spiritual hunger in all parts of God's world invites us to such a common pilgrimage.

This collaboration pursued to the limit allowed by truth and loyalty will create the climate in which dialogue and doctrinal convergence can bear fruit. While this fruit is ripening, serious obstacles remain, both of the past and of recent origin. Many in both Communions are asking [289] themselves whether they have a common faith sufficient to be translated into communion of life, worship and mission. Only the Communions themselves through their pastoral authorities can give that answer. When the moment comes to do so, may the answer shine through in spirit and truth, not obscured by the enmities, the prejudices and the suspicions of the past.

3532 10. To this we are bound to look forward and to spare no effort to bring it closer: to be baptised into Christ is to be baptised into hope — "and hope does not disappoint us because God's love has been poured into our hearts through the Holy Spirit which has been given us".<sup>7</sup>

3533 11. Christian hope manifests itself in prayer and action — in prudence but also in courage. We pledge ourselves and exhort the faithful of the Roman Catholic Church and of the Anglican Communion to live and work courageously in this hope of reconciliation and unity in our common Lord.

<sup>5</sup> Paulus VI, Litt. Apost. *Evangelii nuntiandi*, n. 77.

<sup>6</sup> *Ibid.*

<sup>7</sup> *Rom.* 5, 5.

## Ordo dedicationis ecclesiae et altaris

Die 29 maii 1977 Sectio pro Cultu Divino SCSCD novum Ordinem dedicationis ecclesiae et altaris promulgavit.

ED. DECRETI - Lat.: N 13 (1977) 364-365. Angl.: DOL 546. Ital.: EV 6, 153-155; L 11 (1977) 567-568.

[364] Dedicationis ecclesiae et altaris ritus in sollemnissimis actionibus liturgicis merito habetur. Nam locus in quo communitas christiana congregatur ad verbum Dei audiendum, ad preces intercessionis et laudis Deo fundendas maximeque ad sacra mysteria celebranda et in quo sanctissimum Eucharistiae sacramentum servatur, peculiaris imago existit Ecclesiae, templi Dei e vivis lapidibus aedificati; altare vero, quod plebs sancta circumdat ut sacrificium dominicum participet et caelesti reficiatur convivio, signum existit Christi, qui sacerdos, hostia, altare est sui ipsius sacrificii. 3534

Hi ritus, qui in secundo libro Pontificalis Romani inveniuntur, recogniti atque ad simpliciores formas redacti sunt anno MCMLXI. Attamen, ratione et normis attentis instaurationis liturgicae, quam Concilium Oecumenicum Vaticanum II suscitavit ac fovit, necessarium visum est eosdem ritus iterum recognoscere atque nostrorum temporum condicionibus aptare.

Novum *Ordinem dedicationis ecclesiae et altaris*, a Sacra Congregatione pro Sacramentis et Cultu Divino apparatus, Summus Pontifex PAULUS VI auctoritate sua approbavit evulgarique iussit, praecipiens ut in locum rituum, qui secundo libro Pontificalis Romani continentur, substitueretur.

Quapropter haec Sacra Congregatio, de mandato Summi Pontificis, [365] *Ordinem dedicationis ecclesiae et altaris* publici iuris facit, qui, lingua latina exaratus, statim ac prodierit, vigere incipiet; linguis autem vernaculis, cum translationes confirmatae et probatae a Sede Apostolica sint, a die quem Conferentiae Episcopales statuerint.

ED. TYP. VOLUMINIS: *Pontificale Romanum ex decreto Sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani II instauratum auctoritate Pauli Pp. VI promulgatum, Ordo dedicationis ecclesiae et altaris*, Typis Polyglottis Vaticanis 1977.

ED. - Angl.: *Dedication of a Church and an Altar* (ad interim), Washington 1978; *Blessing of a Calice and a Paten*, Washington 1978.

Germ.: *Die Feier der Kirchweihe und der Altarweihe. Die Feier der Ölweihen.* Studienausgabe, Freiburg i. Br. 1981. Hisp.: *Rituales de la dedicación de iglesias y de altares y de la bendición de un abad o una abadesa*, Madrid 1979. Ital.: *Benedizione degli oli e Dedicazione della chiesa e dell'altare*, Roma 1980. Neer.: *Orde van dienst voor Kerk-en altaaruwijing*, NRL (sine loco) 1980.

COMM. - Angl.: I.M. CALABUIG, *The Dedication of a Church and an Altar. A Theological Commentary*, Washington 1980. Gall.: J. EVENOU, in: LMD n. 134 (1978) 85-105. Germ.: B. KLEINHEYER, in: LJ 28 (1978) 231-248 et 31 (1981) 214-235; E.J. LENGELING, in: GD 11 (1977) 153-154. Ital.: I.M. CALABUIG, in: N 13 (1977) 391-405; ID., in: RPL 16 (1978) 41-51; R. FALSINI, in: RPL 16 (1978) 52-62; S. MAZZARELLO, in: L 11 (1977) 569-572; RL 66 (1979) 547-632; AA.VV., in: *Vita Monastica* 35 (1981) 3-166; OR 23-IX-1977, 2; OR 28-IX-1977, 2. Neer.: H. WEGMAN, in: TvL 63 (1979) 306-314; A. HOLLAARDT, in: TvL 63 (1979) 362-364.

Paenotanda hic referuntur iuxta ed. typ., excepto eo loco (n. 3602), quem ad normam CIC anni 1983 mutare necesse fuit.

ED. - Lat.: N 13 (1977) 366-390. Angl.: DOL 547. Hisp.: Ph 19 (1979) 183-221. Ital.: EV 6, 155-205; L 11 (1977) 573-583 et 689-703 et 738-739.

COMM. - Hisp.: P. TENA, in: Ph 19 (1979) 183-221; SECRET. NAC. LIT., in: PLDI nn. 105-106 (1979) 5-18.

#### Caput I. ORDO IMPONENDI PRIMARIUM LAPIDEM VEL INCHOANDI OPUS AD ECCLESIAM AEDIFICANDAM

##### PRAENOTANDA

- 3535 [7] 1. Cum aedificium novae ecclesiae inchoatur, celebrari expedit ritum, quo benedictio Dei in opus perficiendum impleretur et fideles moneantur aedem ex lapidibus extruendam signum visibile fore vivae illius Ecclesiae seu aedificationis Dei,<sup>1</sup> quam ipsi constituunt. Secundum morem liturgicum, hic ritus constat benedictione areae novae ecclesiae et benedictione et impositione primarii lapidis. Sicubi vero ob peculiarem artem atque rationem aedificandi primarius lapis non adhibetur, ritum tamen benedictionis areae novae ecclesiae celebrari oportet ad initium operis Deo dicandum.
- 3536 2. Ritus imponendi primarium lapidem vel inchoandi novam ecclesiam quolibet die et hora peragi potest, praeterquam Triduo paschali; dies vero potissimum eligatur quo fideles frequentiores convenire possint.

<sup>1</sup> Cf. 1 Cor. 3, 9; *Lumen gentium*, n. 6.

3. Ritus congruenter peragitur ab Episcopo dioeceseos; quod si ipse 3537  
facere nequit, munus committet alii Episcopo aut presbytero, praeser-  
tim ei quem socium et adiutorem habet in cura pastoralis dioeceseos vel  
communitatis pro qua nova ecclesia aedificatur.

4. Fideles de die atque hora celebrationis tempestive certiores fiant 3538  
atque a parochio vel ab aliis, ad quos spectat, erudiantur de sensu ritus  
necnon de veneratione adhibenda ecclesiae, quae pro ipsis aedificatur.  
Expedit quoque fideles invitari ad opem suam sponte ac libenter sup-  
peditandam in ecclesiae aedificatione.

[8] 5. Provideatur, quantum fieri potest, ut area ecclesiae erigen- 3539  
dae sit bene delineata atque commode circumiri possit.

6. In loco ubi altare erigetur, figitur crux lignea convenientis altitudi- 3540  
nis.

7. Pro ritus celebratione parentur: 3541

— Pontificale Romanum; Lectionarium;

— sedes pro Episcopo;

— lapis primarius, si casus fert, qui secundum traditum morem est  
quadratus et angularis, necnon caementum et instrumenta ad lapidem  
in fundamentis collocandum;

— vas aquae benedictae cum aspensorio;

— turibulum cum navicula incensi et cochleari;

— crux processionalis et intorticia pro ministris.

Disponantur apta instrumenta technica ut populus congregatus lectio-  
nes, preces, admonitiones clare audire possit.

8. Ad ritum celebrandum sacrae vestes coloris albi vel festivi adhi- 3542  
bentur. Parentur autem:

— pro Episcopo: alba, stola, pluviale, mitra, baculus pastoralis;

— pro presbytero, quando ipse celebrationi praeest: alba, stola, plu-  
viale;

— pro diaconis: albae, stolae et, pro opportunitate, dalmaticae;

— pro ceteris ministris: albae vel aliae vestes legitime probatae.

## Caput II. ORDO DEDICATIONIS ECCLESIAE

### PRAENOTANDA

#### I. DE ECCLESiarUM NATURA ET DIGNITATE

[21] 1. Per suam mortem et resurrectionem Christus factus est ve- 3543  
rum et perfectum Novi Foederis templum<sup>1</sup> et populum acquisitionis  
congregavit.

Haec autem plebs sancta de unitate Patris et Filii et Spiritus Sancti ad-  
unata Ecclesia est,<sup>2</sup> seu templum Dei ex vivis lapidibus aedificatum,  
ubi Pater adoratur in Spiritu et veritate.<sup>3</sup>

<sup>1</sup> Cf. Io. 2, 21.

<sup>2</sup> Cf. S. Cyprianus, *De oratione dominica*, 23: PL 4, 553; *Lumen gentium*, n. 4.

<sup>3</sup> Cf. Io. 4, 23.

Recte igitur ab antiquo nuncupatum est «ecclesia» et aedificium quo communitas christiana congregatur ut verbum Dei audiat, una oret, sacramenta frequentet, Eucharistiam celebret.

3544 2. Ex eo quod est aedificium visibile, haec domus peculiare signum existit Ecclesiae in terris peregrinantis et imago Ecclesiae in caelis commorantis.

Ecclesiam autem, cum erigitur ut aedificium unice et stabiliter ad Dei plebem congregandam et sacra peragenda destinatum, sollemni ritu Domino dicari decet, secundum perantiquam Ecclesiae consuetudinem.

3545 3. Ecclesia, ut eius natura postulat, sit sacris celebrationibus apta, decora, nobili fulgens pulchritudine non mera sumptuositate, atque rerum supernarum symbolum vere existat et signum. «Generalis itaque dispositio aedis sacrae ea sit oportet quae coetus congregati imaginem quodammodo prae se ferat, atque congruam omnium ordinationem permittat necnon rectam muneris executionem uniuscuiusque foveat». Praeterea in iis, quae ad presbyterium, altare, sedem, ambonem locumque repositionis Ss.mi Sacramenti pertinent, [22] disponendis, normis Institutionis generalis Missalis Romani obtemperetur.<sup>4</sup>

Item ea diligenter serventur quae ad res et loca attinent ceteris sacramentis celebrandis destinata, in primis Baptismo et Paenitentiae.<sup>5</sup>

## II. DE TITULO ECCLESIAE

### ET DE RELIQUIIS SANCTORUM IN EA DEPONENDIS

3546 4. Omnis ecclesia dedicanda titulum habere debet, qui sit vel Ss.ma Trinitas; Dominus noster Iesus Christus sub invocatione mysterii vitae eius aut nominis in sacram liturgiam iam inducti; vel Spiritus Sanctus; vel B. Maria Virgo item sub aliqua appellatione in sacram liturgiam iam assumpta; vel Sancti Angeli; vel demum Sanctus in Martyrologio Romano aut in eius Appendice rite probata inscriptus, non vero Beatus sine Apostolicae Sedis indulto. Ecclesiae titulus unus tantum sit, nisi agatur de Sanctis, qui una simul in Calendario inscripti sunt.

3547 5. Liturgiae Romanae traditio Martyrum aliorumve Sanctorum reliquias sub altari condendi, opportune servabitur.<sup>6</sup> Haec tamen notentur:

a) Reliquiae deponendae eius sint magnitudinis ex qua intellegi possit humanorum corporum eas esse partes. Itaque vitandum est ne nimis exiguae condantur reliquiae unius vel complurium Sanctorum.

b) Maxima cum diligentia inspiciatur num reliquiae deponendae authenticae sint. Praestat altare sine reliquiis dedicari quam dubiae fidei reliquias sub eo deponi.

<sup>4</sup> Cf. *Missale Romanum*, Institutio generalis, nn. 253, 257, 258, 259-267, 271, 272, 276-277. Cf. *Rituale Romanum*, *De Sacra communione et de cultu mysterii eucharistici extra Missam*, nn. 6 et 9-11.

<sup>5</sup> Cf. *Rituale Romanum*, *Ordo Baptismi parvulorum*, n. 25; *Ordo Paenitentiae*, n. 12.

<sup>6</sup> Cf. *Missale Romanum*, Institutio generalis, n. 266.



c) Reliquiarum capsula neque super altare neque in altaris mensa est collocanda sed, attenta altaris forma, sub altaris mensa condenda. <sup>a</sup>

### III. DE DEDICATIONIS CELEBRATIONE

#### *De ritus ministro*

6. Ad Episcopum, cui Ecclesiae particularis cura commissa est, novas ecclesias in sua dioecesi aedificatas spectat Deo dicere. 3548  
[23] Si vero ipse ritui praeesse nequit, munus committet alii Episcopo, praesertim ei quem socium vel adiutorem habet in cura pastorali fidelium pro quibus nova ecclesia est aedificata; in adiunctis omnino peculiaribus, presbytero, cui speciale dabit mandatum.

#### *De die eligendo*

7. Ad novam ecclesiam dedicandam, eligatur dies quo fideles frequentiores convenire possint, praesertim dies dominica. Cum in hoc ritu sensus dedicationis omnia pervadat, dedicatio novae ecclesiae peragi nequit diebus quibus mysterium quod eo die commemoratur praetermitti nullatenus decet: in Triduo paschali, in Nativitate Domini, in Epiphania, in Ascensione, in Dominica Pentecostes, in Feria IV Cinerum, in feriis Hebdomadae sanctae, in Commemoratione omnium fidelium defunctorum. 3549

#### *De Missa dedicationis*

8. Missae celebratio ritui dedicationis ecclesiae intime inhaeret; quare, cum ecclesia dedicatur, omissis textibus liturgiae diei, cum pro liturgia verbi tum pro liturgia eucharistica sumuntur textus proprii. 3550  
9. Episcopum decet Missam concelebrare cum presbyteris qui ei sociantur in ritibus dedicationis explendis et cum illis quibus traditum est 3551

<sup>a</sup> Ad dubium post promulgationem CIC 1983 positum, «utrum reliquias Martyrum aliorumve Sanctorum sub altari condendi usus servari debeat necne», responsio huiusmodi invenitur in N 20 (1984) 192-193:

1. Can. 1237, § 2 CIC statuit usum condendi sub altari reliquias Martyrum aliorumve Sanctorum servandum esse iuxta normas, quae in libris liturgicis inveniuntur:

«Antiqua traditio Martyrum aliorumve Sanctorum reliquias sub altari fixo condendi servetur, iuxta normas in libris liturgicis traditas».

2. Normae, de quibus CIC loquitur, enumerantur in: *Ordo dedicationis ecclesiae et altaris* (p. 22, n. 5 et p. 85, n. 11): [refertur ad verbum textus indicatus].

3. Novus CIC praedictas normas minime immutavit, qua de re vim suam retinent. Haec est interpretatio facienda n. 266 IGMR, qui in textu «Variationes» [cf. n. 1661 in Supplemento huius voluminis] refertur, abrogatione ibi facta adverbi «opportune» haud obstante.

munus regendae paroeciae vel communitatis pro qua ecclesia est aedificata.

#### *De Officio dedicationis*

3552 10. Dies quo dedicatur ecclesia sollemnitas est habenda in ipsa ecclesia quae dedicatur.

Celebratur Officium de dedicatione ecclesiae, quod incipit a I Vesperis. Ubi peragitur ritus depositionis reliquiarum, valde expedit Vigiliam ad reliquias Martyris vel Sancti, quae sub altari deponendae sunt, celebrari: quod optime fit Officium lectionis, ex Communi vel ex Proprio convenienti sumptum, celebrando. Ad participationem autem populi fovendam, Vigilia, servatis iis quae iure statuuntur, <sup>7</sup> opportune aptetur.

#### *De ritus partibus*

##### A. De ingressu in ecclesiam

3553 [24] 11. Ritus dedicationis incipit ab ingressu in ecclesiam, qui tribus modis peragi potest; ille autem adhibendus est modus qui locorum et temporum adiunctis maxime idoneus videatur:

— *processio* ad ecclesiam dedicandam: fit collecta in vicina ecclesia vel alio apto loco, ex quo Episcopus, ministri fidelesque ad ecclesiam dedicandam orantes et psallentes pergunt;

— *introitus sollemnis*: communitas, si processio fieri nequit vel haud opportuna videtur, congregatur ad fores ecclesiae;

— *introitus simplex*: fideles congregantur in ipsa ecclesia: Episcopus, concelebrantes, ministri de secretario exeunt more consueto.

Duo ritus eminent in ingressu in novam ecclesiam:

a) Traditio ecclesiae: legati eorum qui ecclesiae aedificandae operam dederunt, eam Episcopo tradunt.

b) Aspersio ecclesiae: Episcopus aquam benedicit eaque populum, qui est templum spiritale, ecclesiae parietes atque altare aspergit.

##### B. De liturgia verbi

3554 12. In liturgia verbi tres lectiones dicuntur selectae ex iis quae pro ritu dedicationis ecclesiae in Lectionario (III, 233-244) proponuntur. In prima lectione tamen legitur semper, tempore quoque paschali, locus Nehemiae quo describitur populus Ierusalem apud Esdram scribam congregatus ad legis Dei proclamationem audiendam (*Neh.* 8, 1-4a, 5-6, 8-10).

3555 13. Post lectiones Episcopus homiliam habet in qua illustrat cum lectiones biblicas tum sensum dedicationis ecclesiae. Symbolum semper dicitur. Oratio autem universalis omittitur, cum eius loco Litaniae Sanctorum canantur.

<sup>7</sup> Cf. *Liturgia Horarum*, Institutio generalis, nn. 70-73.

C. De Prece dedicationis et de ecclesiae atque altaris unctione

*De reliquiarum Sanctorum depositione*

[25] 14. Post Litaniarum cantum, si casus fert, deponuntur reliquiae alicuius Martyris ad significandum sacrificium membrorum de Capitis sacrificio sumpsisse principium.<sup>8</sup> Ubi tamen Martyris reliquiae non habentur, tunc in altari includi possunt reliquiae alius Sancti. 3556

*De Prece dedicationis*

15. Celebratio Eucharistiae maximus est ritus isque unus necessarius ad ecclesiam dedicandam; attamen, secundum communem traditionem Ecclesiae, cum Orientis tum Occidentis, dicitur etiam peculiaris Prex dedicationis, qua propositum significatur ecclesiam in perpetuum Domino dicandi eiusque benedictio exposcitur. 3557

*De ritibus unctionis, incensationis, velationis, illuminationis altaris*

16. Ritus unctionis, incensationis, velationis, illuminationis altaris visibilibus signis nonnulla exprimunt illius invisibilis operis, quod Dominus per Ecclesiam divina mysteria, Eucharistiam praesertim, celebrantem, perficit. 3558

a) *Unctio altaris et parietum ecclesiae:*

— Chrismatis unctione altare fit symbolum Christi, qui prae omnibus «Unctus» est et vocatur; nam Pater Spiritu Sancto unxit eum summumque constituit Sacerdotem, qui in altari Corporis sui vitae sacrificium pro omnium salute offerret;

— Unctio autem ecclesiae significat eam cultui christiano totam et in perpetuum dicari. Duodecim fiunt unctiones secundum traditionem liturgicam vel, pro opportunitate, quattuor, quibus significatur ecclesiam imaginem esse civitatis sanctae Ierusalem.

b) *Incensum* super altare comburitur ut significetur sacrificium Christi, quod ibi in mysterio perpetuatur, ad Deum ascendere in odorem [26] suavitatis; sed et ut exprimatur fidelium orationes placabiles gratasque usque ad thronum Dei pervenire.<sup>9</sup>

Incensatio aulae ecclesiae indicat eam per dedicationem domum fieri orationis; sed incensatur in primis Populus Dei; ille enim est templum vivum, in quo quisque fidelis est altare spiritale.<sup>10</sup>

c) *Velatio altaris* indicat altare christianum sacrificii eucharistici aram et Domini mensam esse, quam circum stantes sacerdotes et fideles, una eademque actione, diverso autem munere, Memoriale mortis et resur-

<sup>8</sup> Cf. *Missale Romanum*, Commune Martyrum 8, *Super oblata*; S. Ambrosius, *Epistula* 22, 13; PL 16, 1023: «Succedant victimae triumphales in locum ubi Christus hostia est. Sed ille super altare, qui pro omnibus passus est. Isti sub altari, qui illius redempti sunt passione». Cf. Ps. Maximus Taurinensis, *Sermo* 78; PL 57, 689-690. Ap. 6, 9: «Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei et propter testimonium quod habebant».

<sup>9</sup> Cf. Ap. 8, 3-4.

<sup>10</sup> Cf. Rom. 12, 1.

rectionis Christi celebrant et dominicam Cenam manducant. Ideo altare ut convivii sacrificialis mensa paratur ac festive exornatur. Quod aperte significat ipsum esse mensam Domini ad quam omnes fideles laetantes conveniunt ut divino cibo, Corpore nempe et Sanguine Christi immolati, reficiantur.

d) *Illuminatio* altaris, quam illuminatio ecclesiae sequitur, admonet Christum esse «Lumen ad revelationem gentium»,<sup>11</sup> cuius claritate resplendet Ecclesia et per eam cuncta hominum familia.

#### D. De Eucharistiae celebratione

- 3559 17. Altari parato, Episcopus Eucharistiam celebrat, quae totius ritus est pars praecipua necnon antiquissima.<sup>12</sup> Eucharistiae enim celebratio aptissime cohaeret ritui dedicationis ecclesiae:
- celebratione sacrificii eucharistici finis praecipuus ad quem ecclesia est aedificata atque altare exstructum attingitur ac signis praeclaris manifestatur;
  - praeterea Eucharistia, quae sumentium corda sanctificat, altare et celebrationis locum quodammodo consecrat, ut antiqui Ecclesiae Patres haud semel affirmarunt: «Hoc altare admirandum est, quia natura quidem lapis est, sanctum autem efficitur, postquam Christi Corpus excepit»;<sup>13</sup>
  - nexus denique quo dedicatio ecclesiae cum Eucharistiae celebratione arte coniungitur, ex hoc quoque patet quod Missa dedicationis Praefatione propria ditatur, quae ritui intime inhaeret.

#### IV. DE RITU APTANDO

##### *De aptationibus quae Conferentiis Episcopalibus competunt*

- 3560 [27] 18. Conferentiae Episcopales hunc Ordinem uniuscuiusque regionis moribus pro opportunitate aptare possunt, ita tamen ut nihil adimatur eius nobilitati ac sollemnitati.

Haec vero servantur:

- a) celebratio Missae cum Praefatione propria et Prex dedicationis numquam omittendae sunt;
- b) ritus, quibus ex traditione liturgica peculiaris sensus atque vis inest (cf. supra n. 16), nisi graves obstant rationes, servantur, formulis, si casus fert, convenienter aptatis.

In aptationibus autem peragendis, competens auctoritas ecclesiastica Sedem Apostolicam consulat atque de eius consensu aptationes inducat.<sup>14</sup>

##### *De accommodationibus quae ministris competunt*

- 3561 19. Ad Episcopum et ad eos qui ritum celebrandum curant spectat: — modum introitus in ecclesiam peragendi statuere (cf. supra n. 11);

<sup>11</sup> *Lc.* 2, 32.

<sup>12</sup> Cf. Vigilius PP., *Epistula ad Profuturum episcopum*, IV: PL 84, 832.

<sup>13</sup> S. Joannes Chrysostomus, *Homil. XX in II Cor.*, 3: PG 61, 540.

<sup>14</sup> Cf. *Sacrosanctum Concilium*, n. 40.

- modum novae ecclesiae Episcopo tradendae definire (cf. supra n. 11);
  - de opportunitate reliquias Sanctorum deponendi decernere; qua in re bonum spiritale fidelium in primis est prospiciendum et ea quae n. 5 praecipuntur sunt servanda.
- Ad rectorem autem ecclesiae dedicandae, adiuvantibus cooperatoribus in actione pastoralis, omnia statuere ac parare spectat quod ad lectiones, cantus necnon subsidia pastoralia cum ad fovendam fructuosam participationem populi tum ad decorem celebrationis promovendum pertinet.

#### V. DE PRAEPARATIONE PASTORALI

20. Ut fideles ritui dedicationis fructuose intersint, rector ecclesiae dedicandae aliique viri rei pastoralis periti eos erudiant oportet de celebrationis vi atque virtute spiritali, ecclesiali, missionali. 3562

[28] Fidelibus proinde illustrentur oportet variae partes ecclesiae earumque usus necnon Ordo dedicationis praecipuaque symbola liturgica quae in eo usurpantur, ita ut ipsi, opportunis adhibitis subsidiis, per ritus et preces sensum dedicationis ecclesiae plene intellegentes, sacram actionem conscie, pie, actuose participant.

#### VI. DE REBUS PARANDIS PRO ECCLESIAE DEDICATIONE

21. Ad ritum dedicationis ecclesiae celebrandum, haec parentur: 3563

a) *In loco ubi fit statio:*

- Pontificale Romanum;
- crux in processione ferenda;
- si reliquiae Sanctorum processionaliter deferendae sunt, ea quae n. 24 a) indicantur.

b) *In secretario aut in presbyterio aut in aula ecclesiae dedicandae prout unaquaeque res postulat:*

- Missale Romanum, Lectionarium;
- vas aquae benedicendae cum aspersione;
- vasa sancti chrismatis;
- mantilia ad extergendam mensam altaris;
- si casus fert, tobalea linea cerata vel linteum impermeabile, ad mensuram altaris;
- pelvis et urceus cum aqua, mantilia et omnia necessaria ad ablendas manus Episcopi et presbyterorum qui parietes ecclesiae unxerunt;
- gremiale linteum;
- focus ad urenda incensa vel aromata; vel grana incensi et candelae subtiles super altare comburenda;
- turibula cum navicula incensi et cochleari;
- calix, corporale, purificatoria, manutergium;
- panis, vinum, aqua ad Missam celebrandam;

- crux altaris, nisi in presbyterio crux iam sit posita, vel crux quae in processione introitus defertur prope altare collocetur;
- tobalea, cerei, candelabra;
- pro opportunitate, flores.

3564 [29] 22. Antiqua consuetudo collocandi cruces ex lapide vel aere vel ex alia apta materia confectas aut in ipsis parietibus ecclesiae eas insculpendi, laudabiliter servabitur. Ideoque parentur duodecim vel quattuor cruces, secundum numerum unctionum (cf. supra n. 16) et apte distribuuntur in parietibus ecclesiae, convenienti altitudine. Sub unaquaque cruce aptetur ansula, in qua infigatur parvum candelabrum cum candela accendenda.

3565 23. In Missa dedicationis ecclesiae, sacrae vestes coloris albi vel festivi adhibentur. Parentur autem:

- pro Episcopo: alba, stola, planeta, mitra, baculus pastoralis, pallium si eo fruitur;
- pro presbyteris concelebrantibus: vestes pro Missa concelebranda;
- pro diaconis: albae, stolae et dalmaticae;
- pro ceteris ministris: albae vel aliae vestes legitime probatae.

3566 24. Si reliquiae Sanctorum sub altari condendae sunt, haec parentur:

a) *In loco ubi fit statio;*

- capsula cum reliquiis, floribus et facibus circumdata. Si fit introitus simplex, capsula apto presbyterii loco, ante ritus initium, collocari potest;

- pro diaconis, qui reliquias deponendas portabunt: alba, stola coloris rubri, si de reliquiis Martyris agitur, vel coloris albi in ceteris casibus, et, si praesto sunt, dalmaticae. Si vero reliquiae a presbyteris deferuntur, loco dalmaticarum, pro ipsis planetae praeparentur.

Reliquiae tamen deferri possunt etiam ab aliis ministris, albis vel vestibus legitime probatis indutis.

b) *In presbyterio:*

- parva mensa in qua deponitur capsula reliquiarum dum prima pars ritus dedicationis peragitur.

c) *In secretario:*

- maltha seu arenatum quo caveae operculum claudatur; adsit quoque faber caementarius, qui suo tempore claudat sepulcrum reliquiarum.

3567 25. Actorum dedicationis ecclesiae duo conficiantur exemplaria, Episcopo, ecclesiae rectori legatisque communitatis localis subsignanda, quorum unum in dioeceseos, alterum in ecclesiae dedicatae tabulario servetur. Ubi vero fit depositio reliquiarum, tertium actorum exemplar conficiatur, opportune in ipsa reliquiarum capsula condendum.

In actis mentio fiat anni, mensis, diei dedicationis ecclesiae, nominis Episcopi ritum celebrantis, Tituli ecclesiae necnon, si casus fert, nominum Martyrum vel Sanctorum, quorum reliquiae sub altari condendae sunt.

Praeterea, convenienti loco ecclesiae, ponatur inscriptio in qua fiat

mentio diei, mensis, anni peractae dedicationis, Tituli ecclesiae necnon nominis Episcopi ritum celebrantis.

## VII. DE ANNIVERSARIO DEDICATIONIS

### A. In die anniversario dedicationis ecclesiae cathedralis

26. Quo clarius emineant momentum et dignitas Ecclesiae particularis, celebratio anniversaria dedicationis eius ecclesiae cathedralis peragenda est, gradu sollemnitatis, in ipsa ecclesia cathedrali, gradu autem festi, in ceteris ecclesiis dioeceseos, recurrente die quo dedicata est ecclesia. <sup>15</sup> Si hic dies perpetuo impeditur, celebratio assignetur proximo diei libero. 3568

Expedit vero die anniversario dedicationis Episcopum Eucharistiam concelebrare in ecclesia cathedrali cum Capitulo canonicorum vel Consilio presbyterali, fidelibus quam frequentissimis participantibus.

### B. In die anniversario dedicationis ecclesiae propriae

27. Dies anniversarius dedicationis ecclesiae gradu sollemnitatis celebratur. <sup>16</sup> 3569

## Caput III. ORDO DEDICATIONIS ECCLESIAE IN QUA IAM DE MORE SACRA CELEBRANTUR

### PRAENOTANDA

[60] 1. Ad symbolorum vim et ritus sensum plene attingendum, novae ecclesiae inauguratio una cum eius dedicatione fiat oportet: quare, ut supra dictum est, quantum fieri potest caveatur ne in nova ecclesia Missa celebretur antequam ipsa deducatur (cf. cap. II, nn. 8, 15, 17). 3570

Cum tamen dedicantur ecclesiae in quibus iam de more sacra mysteria celebrantur, Ordo qui hoc capite proponitur est adhibendus.

Praeterea in huiusmodi ecclesiis non sine causa distinguuntur quae nuper sunt exstructae, quarum dedicationis ratio clarior patet, ab illis quae iamdiu sunt aedificatae; ad has dedicandas requiritur:

— ut altare nondum sit dedicatum, nam consuetudine et iure liturgico recte prohibetur ne dedicatio ecclesiae peragatur nisi altare deducatur; dedicatio enim altaris pars est praecipua totius ritus;

— ut aliquid novum aut valde immutatum sit in aede, quod ad aedificium attinet (ex. gr. ecclesia sit funditus instaurata) aut ad eius statum iuridicum (ex. gr. ecclesia ad gradum paroeciae sit evecta).

2. Omnia quae in Praenotandis capitis II indicantur ad hunc Ordinem quoque referuntur, nisi a rerum condicione, quam hic Ordo respicit, aliena manifesto appareant, vel aliter notetur. 3571  
Hic Ordo ab Ordine qui capite II describitur his rebus praecipue differt:

<sup>15</sup> Cf. *Calendarium Romanum*, Tabula dierum liturgicorum, I 4 b et II 8 b.

<sup>16</sup> *Ibid.*, I 4 b.

a) ritus aperiendi fores ecclesiae (cf. cap. II, n. 34 vel n. 41) omittitur, cum ecclesia iam fidelibus pateat; proinde introitus fit ad instar «introitus simplicis» (cf. cap. II, nn. 43-47). Si vero agatur de dedicanda ecclesia quae diu clausa fuerit et nunc denuo sacris aperiatur celebrationibus, ritus peragi potest, cum hoc in casu vim suam ac sensum servet;

b) ritus tradendi ecclesiam Episcopo (cf. cap. II, n. 33 vel 40 vel 47), pro rerum adiunctis, aut servandus aut omittendus aut ita aptandus est ut ecclesiae dedicandae condicionem respiciat (ex. gr. convenienter servabitur in dedicatione ecclesiae nuper aedificatae; omittitur in dedicatione veteris ecclesiae ubi in aedificii structura nihil sit immutatum; aptabitur in dedicatione veteris ecclesiae funditus refectae);

c) ritus aspergendi aqua benedicta parietes ecclesiae (cf. cap. II, nn. 48-50), cui lustralis indoles inest, omittitur;

d) quae sunt peculiaria primae verbi Dei proclamationis (cf. cap. II, n. 53) omittuntur, ideoque liturgia verbi fit more consueto; loco Nehemiae 8, 1-4a. 5-6. 8-10 cum Psalmo 18 B, 8-9. 10. 15 et suo responso (cf. cap. II, n. 54 a), alia apta lectio seligitur.

#### Caput IV. ORDO DEDICATIONIS ALTARIS

##### PRAENOTANDA

##### I. DE ALTARIS NATURA ET DIGNITATE

3572 [82] 1. Antiqui Ecclesiae Patres, Dei verbum meditati, affirmare non dubitaverunt Christum victimam, sacerdotem, altare sui ipsius existisse sacrificii.<sup>1</sup>

In Epistula enim ad Hebraeos, Christus exhibetur Pontifex magnus idemque Altare vivum Templi caelestis;<sup>2</sup> in Apocalypsi autem Redemptor noster tamquam Agnus occisus apparet,<sup>3</sup> cuius oblatio per manus sancti Angeli in sublime altare perfertur.<sup>4</sup>

*Christianus et ipse altare spiritale*

3573 2. Cum Christus, Caput et Magister, verum sit altare, membra quoque eius ac discipuli altaria sunt spiritalia, in quibus sacrificium vitae sancte peractae Deo offertur. Quod ipsi Patres significare videntur: S. Ignatius Antiochenus cum praeclare Romanos rogat: «Nolite plus mihi praebere, quam ut immoler Deo, dum adhuc altare paratum est»,<sup>5</sup> vel S. Polycarpus cum viduas admonet ut sancte vivant, quae «altare Dei sunt». <sup>6</sup> Quibus vocibus cum aliorum tum S. Gregorii Magni vox re-

<sup>1</sup> Cf. S. Epiphanius, *Panarium II, I, Haeresis 55*: PG 41, 979; S. Cyrillus Alexandrinus, *De adoratione in spiritu et veritate*, IX: PG 68, 647.

<sup>2</sup> Cf. *Hebr.* 4, 14; 13, 10.

<sup>3</sup> Cf. *Ap.* 5, 6.

<sup>4</sup> Cf. *Missale Romanum*, Ordo Missae, n. 96.

<sup>5</sup> *Ad Romanos* 2, 2: ed. F. X. Funk, 255.

<sup>6</sup> *Ad Philippenses* 4, 3: ed. F. X. Funk, 301.



sponder docentis: «Quid est altare Dei, nisi mens bene viventium? ... Recte igitur [iustorum] cor altare Dei dicitur». <sup>7</sup>

Vel secundum aliam imaginem apud Ecclesiae scriptores celebratam, christifideles qui orationibus vacant, obsecrationes offerunt Deo et supplicationum victimas immolant, ipsi sunt lapides vivi ex quibus Dominus Iesus Ecclesiae altare aedificat. <sup>8</sup>

#### *Altare mensa sacrificii et convivii paschalis*

[83] 3. Christus Dominus memoriale sacrificii, quod in ara crucis Patri erat oblaturus, sub specie sacrificialis convivii instituens, mensam, ad quam fideles convenirent ut Pascha suum celebrarent, sacram effecit. Altare itaque est mensa sacrificii et convivii, in qua sacerdos, Christum Dominum repraesentans, idem perficit quod ipse Dominus egit atque discipulis in sui memoriam faciendum tradidit, quae omnia Apostolus praeclare innuit, dicens: «Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus». <sup>9</sup> 3574

#### *Altare Christi signum*

4. Ubique, pro rerum adiunctis, Ecclesiae filii memoriale Christi celebrare et ad mensam dominicam consistere possunt. At consentaneum mysterio eucharistico est ut christifideles ad Cenam dominicam celebrandam altare erigant stabile: quod iam inde ab antiquis temporibus factum est. 3575

Altare christianum sua ipsius natura est peculiaris mensa sacrificii et paschalis convivii:

— ara peculiaris, ubi sacrificium crucis in saecula, donec Christus veniat, in mysterio perpetuatur;

— mensa ad quam Ecclesiae filii congregantur, ut gratias Deo agant et Corpus et Sanguinem Christi sumant.

In omnibus igitur ecclesiis altare est «centrum gratiarum actionis, quae per Eucharistiam perficitur» <sup>10</sup> circa quod ceteri Ecclesiae ritus quodammodo ordinantur. <sup>11</sup>

Ex eo quod apud altare memoriale Domini celebratur eiusque Corpus et Sanguis fidelibus praebetur, factum est ut Ecclesiae scriptores in altari veluti signum ipsius Christi cernerent — unde illud invaluit: «Altare Christus est».

#### *Altare honor Martyrum*

[84] 5. Dignitas altaris tota in hoc posita est quod altare est mensa Domini. Non igitur Martyrum corpora altare honorant, sed potius al- 3576

<sup>7</sup> *Homiliarum in Ezechielem* II, 10, 19: PL 76, 1069.

<sup>8</sup> Cf. Origenes, *In librum Iesu Nave*, Homilia IX, 1: SCh 71, 244 et 246.

<sup>9</sup> Cf. I Cor. 10, 16-17.

<sup>10</sup> *Missale Romanum*, Institutio generalis, n. 259.

<sup>11</sup> Cf. Pius XII, Litt. Enc. *Mediator Dei et hominum*: AAS 39 (1947) 529.

tare Martyrum sepulcrum honestat. Ad honoranda enim Martyrum aliorumque Sanctorum corpora necnon ad significandum sacrificium membrorum de Capitis sacrificio sumpsisse principium, <sup>12</sup> decet super eorum sepulcris altaria aedificari aut sub altaribus condi eorum reliquias, ita ut «succedant victimae triumphales in locum ubi Christus hostia est. Sed ille super altare, qui pro omnibus passus est. Isti sub altari, qui illius redempti sunt passione». <sup>13</sup> Quae rerum dispositio quodammodo repetere videtur illam spiritalem visionem Ioannis Apostoli in Apocalypsi: «Vidi subtrus Altare animas interfectorum propter verbum Dei et propter testimonium quod habebant». <sup>14</sup> Quamquam enim omnes Sancti recte appellantur testes Christi, tamen sanguinis testimonio peculiaris vis inest, quam Martyrum tantum reliquiae sub altari depositae totam atque integram exprimunt.

## II. DE ALTARI ERIGENDO

- 3577 6. Expediit in omni ecclesia altare fixum inesse; ceteris vero locis sacris celebrationibus dicatis, altare fixum vel mobile.  
Altare fixum dicitur, si ita exstruatur ut cum pavimento cohaereat ideoque amoveri nequeat; mobile vero si transferri possit. <sup>15</sup>
- 3578 7. In novis ecclesiis praestat unum tantum altare erigi, ut in uno fidelium coetu unicum altare unum Salvatorem nostrum Iesum Christum significet unamque Ecclesiae Eucharistiam.  
In sacello tamen, ab aula ecclesiae si fieri potest quodammodo seiuncto, ubi tabernaculum ad Ss. mum Sacramentum asservandum est collocatum, alterum altare erigi poterit, ubi etiam Missa celebrari potest diebus ferialibus pro parvo fidelium coetu.  
Omnino vero vitandum est ne plura erigantur altaria ecclesiae tantum exomandae causa.
- 3579 8. Altare exstruatur a pariete seiunctum, ut sacerdos facile id circumire et Missam versus populum celebrare possit. «Eum autem [85] occupet locum ut revera centrum sit ad quod totius congregationis fidelium attentio sponte convertatur». <sup>16</sup>
- 3580 9. Iuxta traditum Ecclesiae morem et symbolum biblicum quod altari inest, mensa altaris fixi sit lapidea, et quidem ex lapide naturali. At tamen alia materia digna, solida et affabre effecta, de iudicio Conferentiarum Episcopali, ad exstruendum altare adhiberi potest. Sripites vero aut basis ad mensam sustentandam ex qualibet materia, dummodo sit digna et solida, confici possunt. <sup>17</sup>

<sup>12</sup> Cf. *Missale Romanum*, Commune Martyrum 8, *Super oblata*.

<sup>13</sup> S. Ambrosius, *Epistula* 22, 13: PL 16, 1023; cf. Ps. Maximus Taurinensis, *Sermo*, 78: PL 57, 689-690.

<sup>14</sup> *Ap.* 6, 9.

<sup>15</sup> Cf. *Missale Romanum*, *Institutio generalis*, nn. 265, 261.

<sup>16</sup> *Ibid.*, n. 262.

<sup>17</sup> Cf. *ibid.*, n. 263.

10. Sua ipsius natura altare uni Deo dicatur, nam sacrificium eucharisticum uni Deo offertur. Hoc sensu intellegi debet consuetudo Ecclesiae dicandi altaria Deo in honorem Sanctorum. Quod S. Augustinus apte exprimit: «nulli martyrum, sed ipsi Deo martyrum, quamvis in memoriis martyrum, constituimus altaria». <sup>18</sup>  
Hoc clare fidelibus explicari debet. In novis ecclesiis simulacra vel imagines Sanctorum supra altare ne collocentur.  
Item ne deponantur super altaris mensam Sanctorum reliquiae cum ad populi venerationem exhibentur. 3581

11. Liturgiae Romanae traditio Martyrum aliorumve Sanctorum reliquias sub altari condendi opportune servabitur. <sup>19</sup> Haec tamen notentur: 3582  
a) Reliquiae deponendae eius sint magnitudinis ex qua intellegi possit humanorum corporum eas esse partes. Itaque vitandum est ne nimis exiguae condantur reliquiae unius vel complurium Sanctorum.  
b) Maxima cum diligentia inspiciatur utrum reliquiae deponendae authenticae sint. Praestat altare sine reliquiis dedicari quam dubiae fidei reliquias sub eo deponi.  
c) Reliquiarum capsula neque super altare neque in altaris mensa est collocanda sed, attenta altaris forma, sub altaris mensa condenda. <sup>a</sup>  
Ubi peragitur ritus depositionis reliquiarum, valde expedit Vigiliis ad reliquias Martyris vel Sancti celebrari, iuxta ea quae supra cap. II, n. 10 indicantur.

### III. DE DEDICATIONIS CELEBRATIONE

#### *De ritus ministro*

[86] 12. Ad Episcopum, cui Ecclesiae particularis cura commissa est, nova altaria in sua dioecesi erecta spectat Deo dicare; quod si ipse facere nequit, munus committet alii Episcopo, praesertim ei quem socium et adiutorem habet in cura pastorali fidelium pro quibus novum altare est erectum; in adiunctis omnino peculiaribus presbytero, cui speciale dabit mandatum. 3583

#### *De die eligendo*

13. Cum vero altare fiat sacrum in primis Eucharistiae celebratione, ad rerum veritatem servandam caveatur ne in novo altari Missa celebretur antequam ipsum dedicetur, ita ut Missa dedicationis sit quoque prima Eucharistia quae super ipsum altare peragitur. 3584

14. Ad novum altare dedicandum, eligatur dies quo fideles frequentiores convenire possint, praesertim dies dominica, nisi rationes pastorales aliud suadeant. Ritus dedicationis altaris celebrari tamen nequit 3585

<sup>18</sup> *Contra Faustum*, XX, 21: Pl. 42, 384.

<sup>19</sup> Cf. *Missale Romanum*, Institutio generalis, n. 266.

<sup>a</sup> Cf. adnotationem ad n. 3547.

in Triduo paschali, in Feria IV Cinerum, in feriis Hebdomadae sanctae, et in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum.

*De Missa dedicationis*

- 3586 15. Eucharistiae celebratio ritui dedicationis altaris intime inhaeret. Dicitur Missa «In dedicatione altaris». In Nativitate Domini autem, in Epiphania, in Ascensione, in Dominica Pentecostes necnon in Dominicis Adventus, Quadragesimae et Paschae, sumitur Missa diei, praeter orationem super oblata et praefationem, quae ipsi ritui intime nectuntur.
- 3587 16. Episcopum decet Missam concelebrare cum presbyteris adstantibus maximeque cum illis quibus traditum est munus regendae parociae vel communitatis pro qua altare est erectum.

*De ritus partibus*

A. De ritibus initialibus

- 3588 [87] 17. Ritus initiales Missae dedicationis altaris fiunt more consueto praeterquam quod, loco actus paenitentialis, Episcopus aquam benedicit eaque aspergit populum et novum altare.

B. De liturgia verbi

- 3589 18. In liturgia verbi tres lectiones laudabiliter dicuntur selectae, ad normam rubricarum, vel e liturgia diei (cf. supra n. 15) vel ex iis quae pro ritu dedicationis altaris in Lectionario (III, 235-244) proponuntur.
- 3590 19. Post lectiones Episcopus homiliam habet, in qua illustrat cum lectiones biblicas tum sensum dedicationis altaris. Expleta homilia dicitur Symbolum. Oratio autem universalis omittitur, cum eius loco Sanctorum Litaniae canantur.

C. De Prece dedicationis et de altaris unctione

*De reliquiarum Sanctorum depositione*

- 3591 20. Post Litaniarum cantum, si casus fert, reliquiae Martyrum aliorumve Sanctorum sub altari deponuntur, ut significetur omnes qui in morte Christi sunt baptizati, sed in primis illos qui sanguinem pro Domino fuderunt, passionem Christi participare (cf. supra n. 5).

*De Prece dedicationis*

- 3592 21. Celebratio Eucharistiae maximus est ritus isque unus necessarius ad altare dedicandum; attamen, secundum communem traditionem Ecclesiae, cum Orientis tum Occidentis, dicitur etiam peculiaris Prex dedicationis, quae propositum significatur altare in perpetuum Domino dicandi eiusque benedictio exposcitur.

22. Ritus unctionis, incensationis, velationis, illuminationis altaris 3593  
visibilibus signis nonnulla exprimunt illius invisibilis operis, quod Dominus per Ecclesiam divina mysteria, praesertim Eucharistiam, celebrantem perficit.

(38) a) *Unctio* altaris: Chrismatis unctione altare fit symbolum Christi, qui prae omnibus «Unctus» est et vocatur; nam Pater Spiritu Sancto unxit eum summumque constituit Sacerdotem, qui in altari Corporis sui vitae sacrificium pro omnium salute offerret.

b) *Incensum* super altare comburitur ut significetur sacrificium Christi, quod ibi in mysterio perpetuatur, ad Deum ascendere in odorem suavitatis, sed et ut exprimaturs fidei orationes placabiles gratasque usque ad thronum Dei pervenire.<sup>20</sup>

c) *Velatio* altaris indicat altare christianum sacrificii eucharistici aram et Domini mensam esse, quam circum stantes sacerdotes et fideles, una eademque actione, diverso autem munere, Memoriale mortis et resurrectionis Christi celebrant et dominicam Cenam manducant. Ideo altare ut convivii sacrificialis mensa paratur ac festive exornatur. Quod clare significat illud esse mensam Domini, ad quam omnes fideles laetantes conveniunt ut divino cibo, Corpore nempe et Sanguine Christi immolati, reficiantur.

d) *Illuminatio* altaris admonet Christum esse «Lumen ad revelationem gentium»,<sup>21</sup> cuius claritate resplendet Ecclesia et per eam cuncta hominum familia.

#### D. De Eucharistiae celebratione

23. Altari parato, Episcopus Eucharistiam celebrat, quae totius ritus 3594  
est pars praecipua necnon antiquissima.<sup>22</sup> Eucharistiae enim celebratio aptissime cohaeret ritui dedicationis altaris:

- celebratione sacrificii eucharistici finis ad quem altare est extructum attingitur et praeclare manifestatur;
- praeterea Eucharistia, quae sumentium corda sanctificat, altare quodammodo consecrat, ut antiqui Ecclesiae Patres haud semel affirmarunt: «Hoc altare admirandum est, quia natura quidem lapis est, sanctum autem efficitur, postquam Christi Corpus excipit»;<sup>23</sup>
- nexus denique quo dedicatio altaris cum Eucharistiae celebratione arcte coniungitur, ex hoc quoque patet quod Missa dedicationis praefatione propria ditatur, quae ritui intime inhaeret.

<sup>20</sup> Cf. *Ap.* 8, 3-4: Angelus «venit et stetit ante Altare habens turibulum aureum, et data sunt illi incensa multa ut daret orationibus sanctorum omnium super Altare aureum, quod est ante thronum. Et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu Angeli coram Deo».

<sup>21</sup> *Lc.* 2, 32.

<sup>22</sup> Cf. Vigilius PP., *Epistula ad Profuturum episcopum*, IV: PL 84, 832.

<sup>23</sup> S. Ioannes Chrysostomus, *Homil. XX in II Cor.*, 3: PG 61, 540.

#### IV. DE RITU APTANDO

##### *De aptationibus quae Conferentiis Episcopalibus competunt*

3595 [89] 24. Conferentiae Episcopales hunc Ordinem uniuscuiusque regionis moribus pro opportunitate aptare possunt, ita tamen ut nihil adimatur eius nobilitati ac sollemnitati.

Haec vero servantur:

a) celebratio Missae cum praefatione propria et Prex dedicationis numquam omittendae sunt;

b) ritus, quibus ex traditione liturgica peculiaris sensus atque vis inest (cf. supra n. 22), nisi graves obstant rationes, servantur, formulis, si casus fert, convenienter aptatis.

In aptationibus autem peragendis, competens auctoritas ecclesiastica Sedem Apostolicam consulat atque de eius consensu aptationes inducat.<sup>24</sup>

##### *De accommodationibus quae ministris competunt*

3596 25. Ad Episcopum et ad eos qui ritum celebrandum curant de opportunitate reliquias Sanctorum deponendi statuere spectat; qua in re, iis quae supra n. 11 dicta sunt servatis, bonum spiritale fidelium et rectus liturgiae sensus prae omnibus respicienda sunt.

Ad rectorem autem ecclesiae in qua altare dedicatur, adiuvantibus cooperatoribus in actione pastoralis, omnia statuere ac parare spectat quod ad lectiones, cantus necnon subsidia pastoralia cum ad fovendam fructuosam participationem populi tum ad decorem celebrationis promovendum pertinent.

#### V. DE PRAEPARATIONE PASTORALI

3597 26. Fideles non solum tempestive certiores fiant de novi altaris dedicatione, sed etiam opportune praeparentur ut actuose ritui intersint. Ideo, qui singuli ritus significant et quomodo peragantur erudiantur oportet. Ad quam impertiendam catechesim usui esse possunt quae supra dicta sunt de altaris natura ac dignitate et de rituum sensu ac vi. Ita fideles recto ac debito erga altare imbuentur amore.

#### VI. DE REBUS PARANDIS PRO ALTARIS DEDICATIONE

3598 [90] 27. Ad ritum dedicationis altaris celebrandum, haec parentur:

- Missale Romanum, Lectionarium, Pontificale Romanum;
- crux et liber Evangeliorum in processione ferenda;
- vas aquae benedicendae cum aspersione;
- vas sancti chrismatis;
- mantilia ad extergendam mensam altaris;
- si casus fert, tobalea linea cerata vel linteum impermeabile, ad mensuram altaris;

<sup>24</sup> Cf. *Sacrosanctum Concilium*, n. 40.

- pelvis et urceus cum aqua, mantilia et omnia necessaria ad abluendas manus Episcopi;
- gremiale linteum;
- focus ad urenda incensa vel aromata; vel grana incensi et candelae subtiles super altare comburenda;
- turibulum cum navicula incensi et cochleari;
- calix, corporale, purificatoria, manutergium;
- panis, vinum, aqua ad Missam celebrandam;
- crux altaris, nisi in presbyterio crux iam sit posita, vel crux quae in processione introitus defertur prope altare collocetur;
- tobalea, cerei, candelabra;
- pro opportunitate, flores.

28. In Missa dedicationis altaris, sacrae vestes coloris albi vel festivi adhibentur. Parentur autem: 3599

- pro Episcopo: alba, stola, planeta, mitra, baculus pastoralis, pallium si eo fruitur;
- pro presbyteris concelebrantibus: vestes pro Missa concelebranda;
- pro diaconis: albae, stolae, et, pro opportunitate, dalmaticae;
- pro ceteris ministris: albae vel aliae vestes legitime probatae.

29. Si reliquiae Sanctorum sub altari condendae sunt, haec parentur: 3600

a) *In loco ex quo incipit processio:*

- capsula cum reliquiis, floribus et facibus circumdata. Pro opportunitate autem capsula apto presbyterii loco, ante ritus initium, collocari potest;

- pro diaconis, qui reliquias deponendas portabunt: alba, stola coloris rubri, si de reliquiis Martyris agitur, vel coloris albi in ceteris [91] casibus, et, si praesto sunt, dalmaticae. Si vero reliquiae a presbyteris deferuntur, loco dalmaticarum, pro ipsis planetae praeparentur.

Reliquiae tamen deferri possunt etiam ab aliis ministris, albis vel vestibus legitime probatis indutis.

b) *In presbyterio:*

- parva mensa in qua deponitur capsula reliquiarum dum prima pars ritus dedicationis peragitur.

c) *In secretario:*

- maltha seu arenatum quo caveae operculum claudatur; adsit quoque faber caementarius, qui suo tempore claudat sepulcrum reliquiarum.

30. Convenienter servabitur mos includendi in capsula reliquiarum pergamenam in qua facta sit mentio diei, mensis, anni dedicationis altaris, nominis Episcopi ritum celebrantis, Tituli ecclesiae necnon nominum Martyrum vel Sanctorum quorum reliquiae sub altari condendae sunt. 3601

Conficiantur autem acta dedicationis in duplici exemplari, quorum alterum in dioeceseos, alterum in ecclesiae tabulario servetur, Episcopo, ecclesiae rectori legatisque communitatis localis subsignanda.

## Caput V. ORDO BENEDICTIONIS ECCLESIAE

### PRAENOTANDA

- 3602 [112] 1. Aedes sacras seu ecclesias, quae modo stabili ad divina celebranda mysteria destinantur, expedit Deo dicari secundum Ordinem dedicationis ecclesiae, capitibus II et III descriptum, qui rituum ac symbolorum vi excellit.  
Oratoria autem <sup>a</sup>, sacella vel aedes sacras, quae ob peculiaria adiuncta ad tempus tantum divino cultui destinantur, benedici convenit secundum Ordinem qui infra describitur.
- 3603 2. Quod attinet ad eorum ordinationem liturgicam, ad Tituli electionem, ad praeparationem pastoraalem fidelium, ea servantur, aptatis aptandis, quae in Praenotandis ad Ordinem dedicationis ecclesiae dicta sunt in cap. II, nn. 4-5, 7, 20.  
Ecclesia vel oratorium benedicitur ab Episcopo dioeceseos vel a presbytero ab eo delegato.
- 3604 3. Ecclesia vel oratorium benedici potest quolibet die, praeterquam Triduo paschali; potissimum vero eligatur dies quo fideles frequentiores convenire possint, praesertim dies dominica, nisi rationes pastorales aliud suadeant.
- 3605 4. Diebus inscriptis in Tabula dierum liturgicorum, nn. 1-4, dicitur Missa diei; ceteris autem diebus dici potest vel Missa diei vel Missa Tituli ecclesiae sive oratorii.
- 3606 5. Ad ritum benedictionis ecclesiae vel oratorii ea omnia parentur quae pro Missae celebratione requiruntur. Altare autem, etiamsi forte sit benedictum vel dicatum, nudum maneat usque ad initium liturgiae eucharisticae. Praeterea apto presbyterii loco parentur:  
— vas aquam continens et aspersionum necnon turibulum cum navicula incensi et cochleari;  
— Pontificale Romanum;  
— crux altaris, nisi in presbyterio crux iam sit posita vel crux, quae in processione introitus defertur, prope altare collocetur;  
— tobalea, cerei, candelabra et, pro opportunitate, flores.
- 3607 [113] 6. Si vero, una cum benedictione ecclesiae, altare consecrandum sit, ea omnia parentur quae in cap. IV, n. 27 describuntur, necnon n. 29, si reliquiae Sanctorum sub altari deponendae sint.
- 3608 7. In Missa benedictionis ecclesiae, sacrae vestes coloris albi vel festivi adhibentur. Parentur autem:  
— pro Episcopo: alba, sola, planeta, mitra, baculus pastoralis;  
— (pro presbytero: vestes pro Missa celebranda);  
— pro presbyteris concelebrantibus: vestes pro Missa concelebranda;

<sup>a</sup> Ed. typ. altera loco «Oratoria autem» habet «Oratoria autem privata»; quae verba mutare necesse fuit iuxta CIC can. 1223 (cf. N 20 [1983] 553).



- pro diaconis: albae, stolae, dalmaticae;
- pro ceteris ministris: albae vel aliae vestes legitime probatae.

## Caput VI. ORDO BENEDICTIONIS ALTARIS

### PRAENOTANDA

- [122] 1. «Altare fixum dicitur, si ita exstruatur ut cum pavimento cohaereat ideoque amoveri nequeat; mobile vero si transferri possit». <sup>1</sup> 3609  
 Altare fixum dedicandum est ritu qui supra cap. IV describitur. Sed et altari mobili debetur obsequium, eo quod est mensa unice stabiliterque convivio eucharistico destinata. Expedi igitur id, antequam in usum assumatur, si non deducatur, saltem benedici ritu qui sequitur. <sup>2</sup>
2. Altare mobile ex quibuslibet materiis solidis, usui liturgico iuxta diversarum regionum traditiones et mores convenientibus, exstrui potest. <sup>3</sup> 3610
3. In altari mobili erigendo ea serventur, aptatis aptandis, quae in Praenotandis ad Ordinem dedicationis altaris (cap. IV, nn. 6-10) statuuntur; non licet tamen Sanctorum reliquias in eius basi condere. 3611
4. Altare mobile congruenter benedicitur ab Episcopo dioeceseos vel a presbytero ecclesiae rectore. 3612
5. Altare mobile benedici potest quolibet die, praeterquam Feria VI in Passione Domini et Sabbato Sancto; potissimum vero eligatur dies quo fideles frequentiores convenire possint, praesertim dies dominica, nisi rationes pastorales aliud suadeant. 3613
6. In ritu benedictionis altaris mobilis dicitur Missa diei. 3614
7. Usque ad initium liturgiae eucharisticae altare omnino nudum sit. Proinde crux, si casus fert, tobalea, cerei aliaque ad illud parandum necessaria opportuno presbyterii loco disponantur. 3615

## Caput VII. ORDO BENEDICTIONIS CALICIS ET PATENAE

### PRAENOTANDA

- [125] 1. Calix et patena quibus vinum et panis offeruntur, consecrantur et sumuntur, <sup>1</sup> cum unice et stabiliter ad Eucharistiam celebrandam destinentur, fiunt «vasa sacra». 3616
2. Voluntas autem haec vasa unice ad Eucharistiam celebrandam destinandi manifestatur coram fidelium communitate, peculiari benedictione laudabiliter intra Missam impertienda. 3617

<sup>1</sup> *Missale Romanum*, Institutio generalis, n. 261.

<sup>2</sup> Cf. *ibid.*, n. 265.

<sup>3</sup> Cf. *ibid.*, n. 264.

<sup>1</sup> Cf. *Missale Romanum*, Institutio generalis, n. 289.

- 3618 3. Quilibet sacerdos calicem et patenam benedicere potest, dummodo secundum normas, quae in Institutione generali Missalis Romani, nn. 290-295, indicantur, confecta sint.
- 3619 4. Si calix tantum aut patena benedicenda est, textus opportune aptentur.

## De pastorali maritimorum et navigantium cura

Die 24 septembris 1977 Pontificia Commissio de spirituali migratorum cura Decretum de pastorali maritimorum et navigantium cura emisit. Cui Decreto Normae, Facultates et Privilegia quaedam adnexa sunt, quae etiam res liturgicas attingunt.

ED. DECRETI - Lat.: AAS 69 (1977) 737-738. Angl.: DOL 330 (partim). Ital.: EV 6, 267-269.

COMM. - Hisp.: A. BARRIALES, in: E 38 (1978) 698.

[737] Apostolatus Maris interiorum vim ac praestantiam in ipso 3620  
Evangelii ambitu et apostolicae praedicationis primordiis invenit,  
quippe quae ad nautarum vivendi genus marisque negotia magnopere  
attineant.

Ecclesia autem singulari usque sollicitudine maritimos homines pro-  
secuta est, neque Sedes Apostolica pro variis temporum adiunctis um-  
quam praetermisit, quominus subsidia ad pastorem eorum curam ef-  
ficaciter agendam suppeditaret. In quo Apostolatus Maris, qui nostro  
ineunte saeculo ortus est, peculiarem industriam collocavit propriis  
conditis institutis. Etenim anno 1957, ratione habita Constitutionis  
Apostolicae *Exsul Familia*<sup>1</sup> eorumque qui prospere successerant exi-  
tuum, Sancta Sedes specialem ordinationem per «Leges Operis Apos-  
tolatus Maris»<sup>2</sup> statuit. Nuperrime vero sive praecepta Concilii Oe-  
cumenici Vaticani II necnon quae inde subsequuta sunt documenta ad  
eadem in usum deducenda, sive directoria monita, dum pastorem  
eiusdem incepti spiritum impense acuerunt, simul palam demonstrave-  
runt opportunam accommodationem esse peragendam.

Post exquisitam igitur competentem Episcoporum Conferentiarum,  
Episcoporum necnon sacerdotum ac laicorum rei maritimae peritorum  
sententiam, auditis quoque Romanae Curiae Dicasteriis, quorum in-  
terest, Sacra haec Congregatio, operam conferente Pontificia Commis-  
sione de spirituali migratorum atque itinerantium cura, totam ab inte-  
gro [738] causam recognoscendam curavit ad mentem novissimi Oecu-  
menici Concilii, brevi comprehendens normas, facultates et privilegia.  
Quae cuncta, seu normas, facultates et privilegia, a Sacra Congrega-  
tione pro Episcopis apparata, Summus Pontifex Paulus, divina Provi-

<sup>1</sup> Cf. AAS 44 (1952) 649-704.

<sup>2</sup> Cf. AAS 50 (1958) 375-383.

dentia PP. VI, auctoritate sua approbavit evulgarique iussit, contrariis quibuslibet nihil obstantibus.

ED. NORMARUM, FACULTATUM, PRIVILEGIORUM - Lat.: AAS 69 (1977) 738-746. Ital.: EV 6, 269-287.

PARS I. Normae pro maritimorum atque navigantium spirituali cura gerenda

ART. 1

- 3621 [738] «Apostolatus Maris» peculiaris activitas est, in qua reapse perficitur, ordinatur atque provehitur materna Ecclesiae sollicitudo erga Maritimos et Navigantes, qui consuetis pastoralis curae officiis frui nequeunt.

ART. 2

- 3622 In normis, quae hic sequuntur:  
a) Nomine *Maritimorum* ii significantur, qui habitualiter atque officii vel operis causa, sive moderatorum munus, sive inferioris ordinis munera exsequentes, ad piscatoriam etiam artem attinentia, in navibus versantur, etsi ad tempus in terra degunt, ipsique nauticorum Institutorum tirones;  
b) Nomine vero *Navigantium* ii significantur, qui actu in navibus versantur, iter maritimum aggressi per quodlibet temporis spatium, sive ad migrandum sive ad delectabiliter itinerandum, quibusvis de causis vel rationibus.  
Nomine autem *Maritimorum* etiam *Navigantes* designantur, nisi aliter edicatur.

ART. 6

- 3623 [740] § 1. Ordinarii loci ius et officium est sollicito studio praebere pastoralementem assistentiam omnibus Maritimis, qui in sua ditione, etiam ad tempus tantum, degunt.  
§ 2. Idcirco, Ordinario loci reservatur potestas:  
5) erigendi oratorium eique benedicere in navi, quae in portu, ad fines ipsius ditionis adiacenti, publice sit inscripta.

ART. 7

- 3624 [741] Praecipua Directoris Nationalis officia sunt:  
10) authenticum exemplar Librorum baptizatorum, confirmatorum et mortuorum, a se vel a Cappellanis exaratum, ad competentem Curiam Episcopalem mittere;  
11) quamprimum certiolem facere parochum domicilii personarum, quarum interest, de iis quae in Libris paroecialibus exscribenda sunt.

ART. 8

[742] § 1. Cappellanus Apostolatus Maris est sacerdos ab Ordinario loci nominatus, ad normam art. 6. § 2, cui ab eodem Ordinario committitur officium spirituales Maritimorum curam agendi. 3625

§ 4. Cappellanus, de quo in § 1, omnes actus animarum curae proprios inter Maritimos exercere potest, excepta re matrimoniali, nisi parochus aut moderator Missionis cum adnexa cura animarum, ad normam iuris, sit renunciatus.

§ 5. Iurisdictio Cappellano Apostolatus Maris concessa, quae quidem sub auctoritate Ordinarii loci exercenda est, semper cumulat una cum iurisdictione parochi illius territorii, ubi exercetur. Quapropter, Cappellanus pastorale suum munus agat in fraterna consuetudine cum parochis territorii et collatis cum eodem consiliis.

ART. 9

[743] Cappellanus Apostolatus Maris debet: 3626

3) Libros baptizatorum, confirmatorum et mortuorum accurate conficere, eorumque exemplar authenticum, una cum relatione de rebus gestis, exeunte anno ad suum Directorem Nationalem mittere.

ART. 11

§ 3. Attentis peculiaribus adiunctis in quibus Cappellanus Navigantium curam animarum agere cogitur, ipse obligationibus tenetur de [744] quibus in art. 9 et 10, congrua congruis referendo. Unoquoque itinere maritimo, lacustri vel fluviali ad exitum adducto, debet Librorum baptizatorum, confirmatorum et mortuorum exemplar authenticum, una cum relatione de rebus gestis, ad Directorem Nationalem mittere. 3627

PARS II. *Facultates pro sacerdotibus spirituales maritimorum atque navigantium curam exercentibus*

I

Facultates et privilegia, quae infra dinumerantur, propter bonum animarum tribuuntur Cappellanis Apostolatus Maris, qui spirituales Maritimorum curam, sive in portibus sive in navigatione exercent, durante munere et ab ipso navigationis initio. 3628

[746] Potissimum vero recensendae sunt facultates:

1) Missam celebrandi, iusta de causa, bis diebus ferialibus, atque ter, si vera necessitas pastoralis id postulet, diebus dominicis et festis de praecepto;

2) Missam qualibet diei hora, iusta de causa, celebrandi et Sacram Communionem vespere distribuendi, servatis de iure servandis;

3) Missam celebrandi extra locum sacrum, sed loco honesto et decenti, numquam autem in cubiculo, per modum actus et iusta de causa, habitualiter vero solummodo de causa graviore;

- 4) Missam, iusta de causa, celebrandi in mari et in fluminibus, debitis tamen adhibitis cautelis;
- 5) quoties necessitas urgeat, cum Sacrum in navibus celebratur, utendi loco candelarum luminibus electricis actis;
- 6) feria V in Cena Domini horis vespertinis, ubi ratio pastoralis id postulet, alteram Missam in ecclesiis et oratoriis publicis vel semipublicis celebrandi, atque, in casu verae necessitatis et tantummodo pro fidelibus, qui nullo modo vespertinam Missam participare valent, horis etiam matutinis;
- 7) Sanctissimam Eucharistiam asservandi in navis oratorio legitime erecto, impetrato tamen a Sancta Sede, per Pontificiam hanc Commissionem, indulto apostolico;
- 8) Sacramentum Confirmationis administrandi, itinere maritimo perdurante, cuilibet maritimo necnon cuilibet puero vel adulto in navi versanti, dummodo nullus adsit Episcopus communione iunctus cum Apostolica Sede, atque praevideatur confirmandum, propter aetatem vel inscitiam sermonis vel loci adiuncta, nonnisi magna cum difficultate extra navem in continenti terra idem Sacramentum esse recepturum, ceterisque servatis de iure servandis;
- 9) absolvendi, itinere maritimo perdurante, poenitentes quoslibet a censura, quam, ad normam can. 2350 § 1, CIC, abortum procurantes incurrunt, servatis de iure servandis;
- 10) absolvendi, maritimo itinere perdurante, poenitentes quavis ratione in navi versantes, a censuris et poenis, de quibus in can. 2314 CIC, si idem, postquam a fide vel communione catholica culpabiliter defecerint, cum matre Ecclesia reconciliationem contriti petant; <sup>1</sup>
- 11) deputandi, quoties ipse quacumque de causa impediatur, quominus suo munere fungatur atque impossibilis evadet recursus ad Ordinarium loci, vel ad Directorem Nationalem, quemlibet sacerdotem, in navi itineris causa versantem, ut cappellani vices agat atque, maritimo itinere durante, spiritualem omnium Maritimorum Navigantiumque curam gerat, facultatibus usus Cappellanorum propriis.

## II

- 3629 Quod ad privilegia attinet, haec potissimum dinumerantur:
- 1) licet Maritimis per integrum anni tempus paschali praecepto de sacra Communionem recipienda satisfacere, praevia aptaque praedicatione, seu catechesi circa idem praeceptum audita;
  - 2) Maritimi dispensantur a lege abstinentiae et ieiunii, de quibus in cap. III, II, § 2 et 3 Constitutionis Apostolicae *Paenitemini*; iis tamen suadetur, cum dispensatione fruuntur, ut congruo pietatis opere legem compensent atque utramque legem, pro posse, saltem servent Feria VI in Passione et Morte Christi Iesu;
  - 3) omnes qui in navibus quavis ratione versantur, aut iisdem quoquo modo addicuntur, a lege abstinentiae et ieiunii, de quibus in cap. III c), II § 2 et 3 Constitutionis Apostolicae *Paenitemini*, itinere maritimo

<sup>1</sup> Directorium oecumenicum, n. 19.

perdurante, dispensantur, servata tamen clausula, de qua in superiore numero dictum est;

4) Christifideles in navibus versantes, dummodo rite confessi ac sacra Synaxi refecti, Indulgentiam plenariam in festo Titularis oratorii et die secunda mensis Augusti consequi valent, si oratorium, in navi legitime exstans, pie visitaverint, ibique orationem Dominicam et fidei Symbolum (*Pater noster* et *Credo*) ad Summi Pontificis mentem devote recitaverint;<sup>2</sup>

5) iidem Christifideles, iisdem condicionibus, Indulgentiam plenariam, in suffragium defunctorum tantummodo applicabilem, die secunda mensis Novembris semel consequi valent, si praedictum oratorium pie visitaverint, ibique orationem Dominicam et fidei Symbolum (*Pater noster* et *Credo*) ad Summi Pontificis mentem devote recitaverint.<sup>3</sup>

Indulgentiae, de quibus supra ad nn. 4 et 5, obtineri possunt, iisdem servatis condicionibus, a Maritimis et eorum familiaribus atque etiam a sociis Apostolatus Maris, sive in sacellis et oratoriis circulatorum «Stella Maris», sive in oratoriis aliarum Apostolatus Maris sedium.

<sup>2</sup> *Enchiridion Indulgentiarum*, n. 65, 70.

<sup>3</sup> *Ibid.*, n. 67, 71.

## De festo Baptismatis Domini

Die 7 octobris 1977 Sectio pro Cultu Divino SCSCD Decretum de celebratione Baptismatis Domini emisit.

ED. - Lat.: AAS 69 (1977) 682; N 13 (1977) 477. Angl.: DOL 460. Gall.: DC 74 (1977) 912. Ital.: EV 6, 289. Lus.: OL 24 (1977) 253-254.

COMM. - Ital.: S.C., in: OR 21-X-1977, 2. Lat.: N 13 (1977) 478-479.

3630 [682] Celebratio Baptismatis Domini in honore posita est per instaurationem Calendarii Romani generalis et dominicae post Epiphaniam occurrenti assignata, quo facilius ab universa communitate christiana hac die congregata ageretur. Magni enim momenti sunt aspectus doctrinales, pastorales et oecumenici huius festi in historia salutis et in anno liturgico.

Attamen, in locis ubi sollemnitatis Epiphaniae non est de praecepto servanda, et ideo dominicae intra diem 2 et 8 ianuarii occurrenti assignatur, haud raro accidit ut festum Baptismatis Domini cum ipsa sollemnitate Epiphaniae occurrat et proinde celebrari non possit.

Attentis insuper petitionibus pluribus hac de re factis, Sacra haec Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino, approbante Summo Pontifice Paulo VI, statuit:

In locis ubi sollemnitas Epiphaniae in dominicam est transferenda et haec die 7 vel 8 ianuarii incidit, ita ut festum Baptismatis Domini, eadem die occurrens, esset omittendum, idem festum Baptismatis Domini ad feriam II immediate sequentem transferatur.



## De novis ministeriis instituendis

Die 27 octobris 1977 Sectio pro Sacramentis SCSCD ad Praesides Conferentiarum Episcoporum Epistolam de institutione novorum ministeriorum misit.

Sacra Congregatio pro Cultu Divino (Sectio pro Sacramentis) Prot. N. 1837/77.

ED. - Angl.: DOL. 346. Ital.: EV 6, 291-293.

Novit profecto Eminentia (Excellentia) Tua Reverendissima magnopere his nostris temporibus in Ecclesia agitari quaestionem de laicis fidelibus ad ministeria obeunda admittendis, praesertim postquam Oecumenicum Concilium Vaticanum II, multis quidem in documentis, catholicam exposuit doctrinam de partibus laicorum fidelium in apostolico Ecclesiae munere, illosque est adhortatus «ut pro suis viribus temporumque necessitatibus opus salutare Ecclesiae naviter et ipsi participarent» (*Lumen gentium*, n. 33). 3631

Plura Sanctae Sedis documenta proxime praeteritis his annis ad pleniorrem huiusmodi participationem in pastoralis navitate Ecclesiae laicos fideles instimulaverunt; praesertim autem id factum est Litteris Motu Proprio datis *Ministeria quaedam*, quae, Ordinibus minoribus abrogatis et cooptatione in clerum diaconali ordinationi attributa, *ministeria* novi generis sanxit, *non quidem ex Ordine, sed ex institutione ecclesiali profluentia*.

Porro praedictae Apostolicae Litterae, pro tota Ecclesia latini ritus ministeria Lectoris et Accolythi instituunt; sed et subiungunt: «Praeter officia Ecclesiae Latinae communia, nihil obstat quominus Conferentiae Episcopales alia quoque petant ab Apostolica Sede, quorum institutionem in propria regione necessariam vel utilissimam, ob peculiare rationes, iudicaverint».

Cum autem, iuxta facultates in memorato Documento Pontificio concessas, non una Conferentia Episcopalis Sanctam Sedem rogavisset ut alia ministeria instituerentur, Summus Pontifex statuit ut Sacra Congregatio de Sacramentis et Cultu Divino schema appararet de novis ministeriis sine Ordine instituendis, quae in praxim Ecclesiae Latinae introduci possent, potestate concessa eadem conferendi etiam feminis, praesertim Religiosis. 3632

Haec sat complexa quaestio sedula cum diligentia pertractata est a Commissione, quae constabat ex viris rei peritis et ex delegatis Dica-

steriorum, quorum intererat; postea, diebus 22-23 mensis novembris anno 1976, eadem quaestio subiecta est examini Em.morum et Exc.morum membrorum S. Congregationis de Sacramentis et Cultu Divino, qui in Urbem tunc convenerant ad sessionem Plenariam celebrandam. Ex huiusmodi consultatione perspici potuit varia dubia atque difficultates opponi contra opportunitatem hoc tempore instituendi nova ministeria in Ecclesia universa: ac propterea sententia eorum praevaluit, qui suadebant hac in re supersedendum esse, donec constaret de effectibus et de evolutione experientiarum localium.

- 3633 Quae cum ita sint, atque debita etiam habita ratione eorum quae statuuntur in Motu Proprio *Ministeria quaedam*, Beatissimus Pater propensus est ad concedendum Conferentiis Episcopalibus, quae facultatem ab Apostolica Sede postulaverint, ut nova instituant ministeria, quae in propria regione vere necessaria vel perutilia indicaverint. Quare Episcopatus, qui in his rerum condicionibus versantur, petitionem ad hoc Dicasterium mittere poterunt, in quibus rationes huius petitionis exponantur coniuncte cum statutis, quae singillatim et distincte normas contineant de delectu, de formatione spirituali et culturali, ac de officiis et activitatibus novorum ministrorum, nec non de modo eos pastoraliter prosequendi et adiuvandi in exercitio proprii ministerii. Superfluum adnotare videtur haec nova ministeria etiam feminis conferri posse.

## De catechesi tradenda

Die 28 octobris 1977 Synodus Episcoporum ad populum Dei Nuntium de catechesi hoc nostro tempore tradenda dedit. In quo Nuntio quaedam res liturgicae afferuntur.

ED. - Lat.: SYNODUS EPISCOPORUM, *De catechesi hoc nostro tempore tradenda praesertim pueris atque iuuenibus*, Typis Polyglottis Vaticanis 1977. Angl.: DOL 67 (partim). Gall.: DC 74 (1977) 1016-1021. Germ.: HK 31 (1977) 617-622; Ordenskorrespondenz 19 (1978) 1-13. Hisp.: E 37 (1977) 1472-1477. Ital.: EV 6, 295-321. Lus.: *Dos Padres sinodais mensagem ao povo de Deus*, in: OR (ed. Semanal em Português) 30-X-1977. Neer.: AK 33 (1978) 83-93.

COMM. - Germ.: H.G. KOCH, in: HK 31 (1977) 622-629

## PARS II. CATECHESIS UT MANIFESTATIO SALUTIS IN CHRISTO

*Catechesis ut verbum*

8. [...] [10] Catechesis oritur e professione fidei et ad hanc professionem fidei perducit. Efficit ut communitas credentium proclamet Iesum, Filium Dei, Christum, vivere et esse Salvatorem. 3634  
Hac de causa cuiusvis catecheseos exemplar est catechumenatus baptismalis, qui est formatio peculiaris, qua adultus ad fidem conversus perducitur ad professionem fidei baptismalis in vigilia paschali. Dum haec praeparatio fit, catechumeni Evangelium (= Sacras Scripturas) accipiunt eiusque ecclesiam expressionem, quae est Symbolum fidei. Catechesis autem multas alias etiam formas adhibere potest (sacram praedicationem, institutionem religiosam in scholis, transmissiones radiophonicas vel televisificas), quae modis communicationis socialis et docendi rationibus, certa quadam aetate vel variis aetatibus invaluerunt.  
Quidquid est, oportet distinguere criteria, quibus certa ac definita forma verbi reapse sit catechetica. Institutio quaecumque, licet etiam de re religiosa agat, non est per se catechesis ecclesialis. Contra, verba quaedam, quae tangunt hominem in sua situatione concreta, atque impellunt ut ad Christum se dirigat, fieri possunt verba catechumenalia. Quae quidem verba ipso suo fundamento transmittunt capita essentialia vel vitalem substantiam nuntii evangelici, quod nec mutari nec silentio praeteriri potest (cf. *Evangelii Nuntiandi*, n. 25). [...]

### *Catechesis ut "Memoria"*

3635 9. Hic est alius aspectus primarius actionis Ecclesiae, quatenus recordatur, commemorat, sacra celebrat in memoriam Domini Iesu, «anamnesim» perficit.

[11] Re quidem vera verbum et actio communitatis ecclesialis solum vim habent quatenus hodie sunt verbum et actio quae Iesum manifestant et Christo astringunt. Catechesis ita cum tota actione sacramentali et liturgica conectitur.

Catechesis est aetate nostra manifestatio mysterii absconditi a saeculi in Deo (cf. Col. 1, 26). Quocirca primus sermo, quo catechesis utitur, est Sacra Scriptura et Symbolum. Hac ratione catechesis est authentica introductio ad lectionem divinam, id est ad lectionem Sacrae Scripturae, sed «secundum Spiritum» qui habitat in Ecclesia tum in ministeriis apostolicis adstans tum in christifidelibus agens. Sacra autem Scriptura efficit, ut christiani communi utantur sermone. Pro more, formationis tempore, fit, ut quaedam sententiae biblicae, praesertim e Novo Testamento excerptae, vel quaedam formulae liturgicae, quibus illarum sententiarum sensu praeclarissime exprimitur, et aliae preces communes memoriae mandentur.

Homo credens etiam illas fidei locutiones suscipit, effectas viva cogitatione christianorum per saeculorum decursum, quae in Symbola collectae sunt necnon in praecipua Ecclesiae documenta.

Ita fit, ut esse christianum idem sit ac ingredi in traditionem vivam, quae per historiam hominum demonstrat quomodo in Iesu Christo Verbum Dei naturam humanam assumpserit. Catechesis est denique «transmissio documentorum fidei». Argumenta quae seligit et modus quo ea explicat congruunt cum genuina fidelitate erga Deum et erga hominem in Iesu Christo.

### *Catechesis ut testificatio*

3636 10. Verbum, in viva traditione innixum, est hoc modo verbum vivum pro aetate nostra. Locutiones, quatenus sunt testificatio, officium quod quis in se recipit, «inculturatio», actio ecclesialis, vita spiritualis, oratio personalis et liturgica, sanctitas, hoc idem manifestant, id est testificationem. [...]

### *De peculiari indole paedagogiae fidei*

3637 [12] 11. In tota catechesi integra modo indissolubili socientur oportet:

- cognitio verbi Dei
- celebratio fidei in sacramentis
- confessio fidei in vita quotidiana.

Paedagogia fidei ergo habet indolem peculiarem: occursum cum persona Christi, conversio cordis, experientia Spiritus in communi ecclesiali.

### PARS III. CATECHESIS EST OPUS OMNIUM IN ECCLESIA

#### *Pro communi corresponsabilitate*

[13] 12. Catechesis est munus vitalis momenti pro tota Ecclesia. 3638  
Omnes christifideles, unumquemque iuxta propria vitae adiuncta necnon peculiaria dona vel charismata, revera afficit. Omnes vero christiani, ratione sacri baptismatis, confirmatione sacramentali rati habiti, ad Evangelium transmittendum necnon ad fidem fratrum in Christo — praesertim puerorum iuvenumque — perspiciendam vocantur. Id tamen interdum, causis quam diversissimis, quasdam contentiones atque dissensiones secumferre potest. Synodus ergo omnes hortatur ut difficultates, quae forte exsurgunt, christifideles superent atque adeo semper communem corresponsabilitatem foveant. Hoc modo aspectus indicantur qui postea accuratius describentur.

#### CONCLUSIO

[17] 18. [...] Cogitamus quoque de illis parentibus qui filios inde 3639  
a prima infantia in cognitione Iesu Christi et in Dei timore et amore educant, fidem per baptismum receptam et per confirmationem ratam in filiorum cordibus vividam servant tali modo eam aedificando ut constanter fructus vitae aeternae afferant. Cogitamus etiam de tot communitatibus nostris fraternis, orationi deditis, pauperibus, quae pretiosum vitae testimonium mundo egoismo individualistico oppresso praebent. [...]

## De Missa «pro pace»

Die 24 novembris 1977 Sectio pro Cultu Divino SCSCD ad Praesides Conferentiarum Episcoporum Epistulam misit, qua normas de celebratione pro pace peragenda dedit.

---

ED. - Lat.: N 13 (1977) 609. Angl.: DOL 499. Ital.: EV 6, 351.

---

3640 [609] Honori mihi duco transmittere ad Te normas pro celebratione Sanctae Missae occasione diei in universo mundo paci fovendae dicati, qui vel 1 Ianuarii vel alio die a Conferentia Episcoporum statuto quotannis peragitur.

*Ubi peculiaris quaedam pro pace celebratio habetur, de licentia Ordinarii loci dici potest Missa pro pace, textibus adhibitis qui in Missali Romano inveniuntur (cf. Missale Romanum, editio typica altera, 1975, 821-823).*

Opportuno tempore mittentur, ut specimen ad orationem fidelium in Missa pro pace peragendam, textus peculiare, qui se referant ad thema unoquoque anno propositum.

## De Precibus eucharisticis

Die 10 decembris 1977 Sectio pro Cultu Divino SCSCD ad Praesides Conferentiarum Episcoporum Litteras circulares de Precibus eucharisticis pro Missis cum pueris et «De reconciliatione» misit.

ED. - Lat.: N 13 (1977) 555-556. Angl.: DOL 251. Gall.: DC 75 (1978) 260-261; BNL 15 (1981) 203-204. Hisp.: PLDI nn. 97-99 (1978) 15-16. Ital.: EV 6, 399-401; RL 65 (1978) 259-260; L 12 (1978) 4-5.

COMM. - Hisp.: J.M. BERNAL, in: Ph 18 (1978) 510-511. Ital.: M. PATERNOSTER, in: L 12 (1978) 6-14.

[555] Sacrum hoc Dicasterium exitum consultationis apud nonnullas Conferentias Episcopales peractae circa usum Precum eucharisticarum pro pueris et de reconciliatione, iudicio Summi Pontificis de ipsius mandato sollicite submitit. 3641

Conferentiae Episcopales, quibus facultas iisdem Precibus utendi concessa fuerat, aestimationem bonam de usu illarum fere unanimae habuerunt. Quaedam autem inter eas petitionem fecerunt ut usus Precum prorogaretur ultra finem currentis anni 1977, cum breve interiectum tempus fuerit inter initium et finem concessionis; quod quidem multum deminuit facultatem animarum pastoribus datam rationem habendi de efficacitate pastoralis ipsius experimenti.

Summus Pontifex vero benigne indulgit ut usus Precum eucharisticarum pro Missis cum pueris et de reconciliatione ad aliud triennium prorogaretur, usque scilicet ad finem anni 1980 eventuri, iisdem, quae antea, servatis condicionibus, sive pro Conferentiis Episcopalibus, quae facultate iam fruuntur, sive pro ceteris Conferentiis, quae Sancta Sede approbante usum Precum in propriam nationem introducere velent.

Quae dum praescripta Tecum communicare placet, Sacra haec Congregatio opportunum ducit nonnullas condiciones in mentem revocare, ad introductionem atque usum ipsarum Precum omnino necessarias.

[556] 1) Usus Precis eucharisticae pro Missis cum pueris limitatur ad Missas, quae pro ipsis tantum celebrantur, aut ad illas in quibus maior pars participantium ab ipsis constituitur (cf. fasciculum cura S. Congregationis pro Cultu Divino editum, cui titulus «Preces eucharisticae» 3642

pro Missis cum pueris et de reconciliatione», Romae, 1 nov. 1974, p. 2, n. 4).

- 3643 2) Preces «de reconciliatione» adhiberi possunt quando peculiare celebrationes fiunt super themata de reconciliatione et de paenitentia, praesertim tempore Quadragesimae, occasione peregrinationum vel conventus spiritualis (*ibid.*, p. 2, n. 1).
- 3644 3) Textus sunt «ad interim» et «ad experimentum». Proinde publici iuris in editionibus officialibus fieri nequeunt, neque in Missale Romanum sunt inserendi (*ibid.*, p. 2, n. 1).
- 3645 4) Sanctae Sedis erit, post experimentum, textus definitivos praebere, ita ut in Missale Romanum inserantur.
- 3646 Interea Conferentiae Episcopales, ope Commissionum de re liturgica rite institutarum ad normam n. 44 Constitutionis *Sacrosanctum Concilium*, prorsus adlaborent ut subsidia apta apparentur (textus, melodiae praesertim quoad acclamationes), ita ut participatio imprimis puerorum ad celebrationes, quae pro ipsis peraguntur, actiosa atque sapiens evadat, sine earundem celebrationum numquam oblitterato: «Semper prae oculis habendum est tales celebrationes eucharisticas pueros versus Missas adultorum manuducere debere, praesertim eas, ad quas communitas christiana in dominicis convenire debet» (cf. Directorium de Missis cum pueris, n. 21).  
Conferentiae Episcopales, quae Preces eucharisticas pro Missis cum pueris et de reconciliatione nondum adhibuerunt, quaeque facultatem iisdem utendi Sanctae Sedi petere vellent, notum habeant praedictam concessionem finem habituram esse anno 1980 exeunte.



## De sacro Pallio

Die 11 maii 1978 Paulus VI per Litteras Apostolicas Motu proprio dadas sacri Pallii concessionem in Ecclesia latina recognovit.

ED. - Lat.: AAS 70 (1978) 441-442. Angl.: DOL 554. Gall.: DC 75 (1978) 767. Germ.: ÖAfKR 30 (1979) 184. Ital.: EV 6, 429-431.

COMM. - Gall.: M. COSTALUNGA, in: DC 75 (1978) 767-768. Ital.: M. COSTALUNGA, in: OR 21-VII-1978, 1.

[441] Inter eximia episcopalis officii insignia, quibus variae, primo per Europam deinde per orbem, Ecclesiae earumque Antistites ab Apostolica Sede inde a remotissimis temporibus decorari meruerunt, usus Pallii, de veneranda Beati Petri Apostoli confessione sumpti, <sup>1</sup> merito numeratur. 3647

Quamquam vero Pallium, «quod significat potestatem archiepiscopalem», <sup>2</sup> «solis de iure competit Archiepiscopis», <sup>3</sup> quandoquidem per eius traditionem «pontificalis officii plenitudo cum archiepiscopalis nominis appellatione confertur», <sup>4</sup> attamen, uti ex historicis monumentis constat, <sup>5</sup> perrexerunt Romani Pontifices, pristinum morem secuti, Pallii archiepiscopalis honore non modo episcopales Ecclesias quae locorum commendatione, historiae vetustate et immutata in Petri Cathedram observantia enitebant ad earum splendorem augendum cumulandumque perpetua concessionem decorare, sed etiam praestantia illustrium Episcoporum merita personali privilegio cohonestare. <sup>6</sup>

[442] Cum autem Sacrosanctum Concilium Vaticanum II statuisset ut iura ac privilegia Metropolitanarum novis aptisque normis definirentur, <sup>7</sup> censuimus interea, quoad Pallii concessionem, privilegia et consuetudines recognoscere, quo luculentius ostenderetur idem esse signum potestatis metropolitanae. <sup>8</sup>

Quapropter, auditis quorum interest Romanae Curiae Dicasteriis et Commissionibus Codici Iuris Canonici et Codici Iuris Canonici Orien- 3648

<sup>1</sup> Cf. *Pontificale Romanum*, pars prima, editio typica, Romae 1962, 92.

<sup>2</sup> Can. 275 CIC.

<sup>3</sup> Benedictus XIV, *De Synodo dioeclesana*, lib. II, 6, n. 1.

<sup>4</sup> Benedictus XIV, *Const. Ad honorandam*, 27 mart. 1754, § 17.

<sup>5</sup> Cf. Benedictus XIV, *De Synodo dioeclesana*, loc. cit.

<sup>6</sup> Cf. Benedictus XIV, *Const. Inter conspicuos*, 29 aug. 1744, n. 18.

<sup>7</sup> *Christus Dominus*, n. 40.

<sup>8</sup> Cf. Can. 275 CIC.

talis recognoscendis eorumque sententiis mature perpensis, certa scientia, suprema et Apostolica auctoritate Nostra, pro universa Ecclesia Latina statuimus ut deinceps sacrum Pallium, abrogatis omnibus privilegiis et consuetudinibus quibus tum quaedam Ecclesiae particulares tum nonnulli Praesules singulari beneficio nunc fruuntur, tantummodo Metropolitanis competat et Patriarchae Hierosolymitano latini ritus.<sup>9</sup> Ad ecclesias Orientales vero quod attinet canonem 322 Litteris Apostolicis «Cleri Sanctitati» contentum<sup>10</sup> abrogamus.

Indulgemus attamen aut Archiepiscopi et Episcopi, qui hactenus Pallio decorantur, eodem frui pergant donec Pastores Ecclesiarum in praesenti ipsis commissarum perstabunt.

Usus autem sacri Pallii in ordinatione episcopali Summi Pontificis electi, qui nondum sit Episcopus, iure<sup>11</sup> tribuitur Decano Sacri Cardinalium Collegii aut illi Cardinali ad quem ritus ordinationis, ad normam Constitutionis Apostolicae «Romano Pontifici eligendo»,<sup>12</sup> celebrare spectat.

Hae normae a die, quo Actis Apostolicae Sedis vulgabuntur, vigere incipient.

Quaecumque vero a Nobis hisce Litteris, motu proprio datis, decreta sunt, ea omnia rata ac firma esse iubemus, contrariis quibusvis, etiam specialissima mentione dignis, non obstantibus.

<sup>9</sup> Cf. Pius IX, Litt. Apost. *Nulla celebrior*, 23 iul. 1847: Acta Pii IX, pars I, vol. I, 62.

<sup>10</sup> Cf. AAS 49 (1957) 529.

<sup>11</sup> Cf. Can. 239 § 2 CIC.

<sup>12</sup> AAS 67 (1975) 644-645.

## De relationibus inter Episcopos et Religiosos

Die 14 maii 1978 SCRIS et SCE Notas directivas «pro mutuis relationibus inter Episcopos et Religiosos in Ecclesia» ediderunt; in quibus Notis etiam relationes vitam liturgicam spectantes tractantur.

ED. - Lat.: AAS 70 (1978) 473-506. Gall.: DC 75 (1978) 774-790. Germ.: VAS 8, 3-41; Ordenskorrespondenz 20 (1979) 1-33. Hisp.: E 38 (1978) 903-911 et 937-943. Ital.: SCRIS-SCE, *I rapporti tra i Vescovi e i religiosi nella Chiesa. «Mutuae relationes». Criteri direttivi = Vita consacrata* 3, Leumann (Torino) 1978; EV 6, 433-509; RD 23 (1978) 344-355. Lus.: LRC 43 (1979) 341-347 (partim). Neer.: AK 34 (1979) 97-124; Analecta voor het bisdom Roermond 60 (1979) 70-104.

COMM. - Germ.: A. SCHEUERMANN, in: VAS 8, 42-51. Ital.: J. BEYER, in: Vita consacrata 16 (1980) 1-36; E. VIGANO, in: OR 14-VII-1978, 5-6; G. NARDIN, *ibid.*, 5-6; G. CAPRILE, in: CC 129/III (1978) 377-393; Gh. LAFONT, in: Vita consacrata 18 (1982) 172-185; AA.VV., *ibid.*, 258-274.

## PROOEMIUM

[474] [...] Argumentum actum definitos limites aperte habet: sermo enim fit in ipso de relationibus inter Episcopos et Religiosos cuiusvis ritus et cuiusvis territorii eo praesertim consilio, quo aptior fiat eadem exercendi modus. Illae directe respiciuntur relationes, quas inter locorum Ordinarios et Religiosorum Instituta necnon Societates vitae communis vigere oporteat; de Institutis Saecularibus, proinde, nihil directe dicitur, nisi quod ad generalia tantum principia spectata circa vitam consecratam (cf. PC, n. 11) eorumque insertiones in Ecclesias particulares (cf. CD, n. 33).

Textus duas complectitur partes, quarum una *doctrinalis* est, altera *normativa*; eiusque autem propositum illud est, ut linea quaedam directiva producat, quae magis meliusque in dies efficaciam habeat applicandi renovantia principia Concilii Oecumenici Vaticani II.

## PARS I. Quaedam doctrinae elementa

[475] 3. *Novitas Populi Dei*, sub duplici eius aspectu, visibilis scilicet compaginis socialis et invisibilis praesentiae divinae in mutua utriusque intima conexione, ipso Christi mysterio comparanda esse videtur; quare *sicut natura assumpta Verbo Divino ut vivum organum salutis*, 3650

Ei in[476]dissolubiliter unitum, inseruit, non dissimili modo socialis compago Ecclesiae Spiritui Christi, eam vivificanti, ad augmentum corporis inseruit (LG, n. 8; cf. Eph. 4, 16). Mutua igitur duorum elementorum intima conexio illam confert Ecclesiae sacramentalem naturam, qua quemlibet prospectum simpliciter sociologicum ipsa prorsus excedit. Etenim Concilium affirmare potuit Populum Dei in mundo esse ut sacramentum visibile salutiferae unitatis (LG, n. 9; cf. LG, nn. 1; 8; 48; GS, n. 42; AG, nn. 1; 5) pro omnibus populis et omnibus hominibus.

Praesentes autem sociales evolutiones culturaeque mutationes, quas nosmetipsi spectamus, etsi in Ecclesia exigunt, ut non pauci fortasse humani eius aspectus aptius renoventur, tamen ne minimum quidem detrimentum inferre valent huic ipsius peculiari structurae *universalis Sacramenti salutis*; immo illae quae ex mutationibus sunt promovendae simul efficient, ut clarius haec natura manifestetur.

3651 4. Omnia membra, Pastores, Laici et Religiosi, participant, singula pro suo cuiusque modo, *sacramentalem* Ecclesiae naturam; itemque singula, iuxta munus ipsorum proprium, signum debent esse ac instrumentum sive *unionis cum Deo* sive *salutis mundi*. Omnes enim simul duplicem habent vocationis aspectum;

a) ad sanctitatem: *in Ecclesia omnes, sive ad Hierarchiam pertinent sive ab ea pascuntur, ad sanctitatem vocantur* (LG, n. 39);

b) ad apostolatam: *Ecclesia tota a Spiritu Sancto ad cooperandum compellitur, ut propositum Dei effectu compleatur* (LG, n. 17; cf. AA, n. 2; AG, nn. 1; 2; 3; 4; 5).

Propterea, antequam donorum et officiorum et munerum diversitas consideretur, ut fundamentum affirmanda est communis vocatio ad unionem cum Deo propter mundi salutem; quae quidem vocatio exposulat in omnibus, quasi signum participationis in ecclesiali communionem, primatum *vitae in Spiritu*, quo haec in privilegio habentur: auditio Verbi, interior animi oratio, conscientia se pro membro totius *Corporis* gerendi ac unitatis sollicitudo, fidelis adimpletio propriae missionis, sui ipsius donum in servitio atque humilitas paenitentiae. Ex ipsa igitur communi baptismali vocatione ad *vitam in Spiritu* exigentiae clarificantes atque efficaciores influxus exoriuntur quoad relationes inter Episcopos et Religiosos habendas.

3652 [477] 6. Dominus ipse *in Ecclesia sua varia ministeria instituit, quae ad bonum totius Corporis tendunt* (LG, n. 18); ex quibus episcopale ministerium est ceterorum omnium fundamentum. Episcopi autem, in communionem hierarchicam cum Romano pontifice, Collegium Episcopale constituunt, ita ut in solidum manifestent et ad effectum perducant Christi-Capitis munus in Ecclesia-Sacramento; nam *in Episcopis, quibus presbyteri assistunt, adest in medio credentium Dominus Iesus Christus, Pontifex Summus...* (Episcopi) *ipsius Christi Magistri, Pastoris, et Pontificis partes sustinent et in eius persona agunt* (LG, n. 21; cf. nn. 17; 28; PO, n. 1; CD, n. 2; PO, n. 2). [...]

3653 [478] 7. Episcopus, cooperantibus presbyteris, fidelium communitati tripliciter inseruit: docendo, sanctificando, gubernando (cf. LG,

nn. 25-27; CD, nn. 12-20; PO, nn. 4-6). Non autem de tribus ministeriis agitur; sed, cum Christus in Nova Lege tria munera, et Magistri et Litantis et Pastoris, inter se radicitus confuderit, de ingenito uno et unico ministerio agitur. Itaque ministerium episcopale indivisa ratione in variis suis functionibus exerceri debet.

Sin autem res ipsae interdum postulaverint, ut unus ex tribus his aspectibus in evidentiore luce ponatur, numquam tamen reliqui duo separandi vel negligendi erunt, ne intima totius ministerii ullo modo infirmetur integritas. Episcopus igitur non solum gubernat nec tantum sanctificat nec tantum docet, sed, presbyteris adiuvantibus, una atque indivisa ratione et docendi et sanctificandi et gubernandi gregem pascit. Proinde Episcopo, vi ipsius ministerii, specialiter respondendum est de omnium suorum fidelium in sanctitate incremento, prout ipse *praecipuus est dispensator mysteriorum Dei sui que gregis perfectior secundum propriam uniuscuiusque vocationem* (cf. CD, n. 15); ergo etiam, et praesertim, secundum vocationem religiosam.

8. Spectatis Romani Pontificis et Episcoporum functionibus ac muneribus circa religiosorum praxim, concrete et clarius patefit ecclesialis eius dimensio, indubia scilicet vitae religiosae coniunctio cum Ecclesiae vita et sanctitate (cf. LG, n. 44). Etenim Deus, sacra operante Hierarchia, Religiosos *consecrat* suo Ipsius altiori servitio in Populo Dei (cf. LG, n. 44); itemque Ecclesia, per ministerium suorum Pastorum, *professionem religiosam non tantum sua sanctione ad status canonici dignitatem erigit, sed eam ut statum Deo consecratum etiam actione sua liturgica exhibet* (LG, n. 45; cf. SC, nn. 80; 2). [...]

3654

[479] 9. Breves hucusque peractae considerationes super *communione hierarchica* in Ecclesia haud parum lucis afferunt ad relationes inter Episcopos et Religiosos excolendas:

3655

a) *Caput* Corporis ecclesialis est Christus, Pastor aeternus, qui Petrum et Apostolos eorumque successores, videlicet Romanum Pontificem et Episcopos, praeposuit, eos sacramentaliter constituens ut sui ipsius *Vicarios* (cf. LG, nn. 18; 22; 27) atque congruis charismatibus replens; nec quisquam alius potestatem habet exercendi in Populum Dei ullum sive magisterii sive sanctificationis sive gubernationis munus, nisi cum illis participando et communicando.

d) Pastores omnes, haud immemores Apostoli exhortantis, ne sint *ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo* (1 Petr. 5, 3), recte conscii erunt de primatu *vitae in Spiritu*, quae postulat, ut simul sint *rectores et membra, Patres* quidem, sed et *fratres, fidei magistri*, at praecipue *condiscipuli* coram Christo, *perfectores* utique fidelium, sed et veri *testes* suae ipsorum sanctificationis.

10. Status religiosus *non est intermedius inter clericalem et laicalem condicionem*; sed ex utraque parte exoritur quasi pro tota Ecclesia *peculiare donum* (cf. LG, n. 43).

3656

Ipse consistit in sequela Christi mediante publica evangelicorum consiliorum in vita communi professione, castitatis scilicet et paupertatis et [480] oboedientiae, et suscepta voluntate omnia reiciendi impedimenta, quae a caritatis fervore et divini cultus perfectione retrahere valeant

(cf. LG., n. 44). Religiosus enim Deo *summe dilecto totaliter mancipatur, ita ut ipse ad Dei servitium Eiusque honorem novo et peculiari titulo referatur*; quod enim Ecclesiae eiusque mysterio speciali modo coniungit ac impellit, ut indivisa deditio ad totius Corporis bonum operetur (cf. LG, n. 44).

Exinde manifeste apparet vitam religiosam modum quemdam esse peculiarem participandi *sacramentalem* Populi Dei naturam. Consecratio enim eorum, qui religiosa vota profitentur, ad illud praesertim contendit, ut ipsi mundo praebeant visibile testimonium de inscrutabili mysterio Christi, quem in semetipsis revera exhibeant *vel in monte contemplantem, vel turbis Regnum Dei annuntiantem, vel aegrotos et saucios sanantem ac peccatores ad bonam frugem convertentem, vel pueris benedicentem et omnibus beneficientem, semper autem voluntati Patris qui eum misit oboedientem* (LG, n. 46).

3657 [481] 13. *Superiores* munus suum serviendi et dirigendi expleant intra religiosum Institutum secundum propriam ipsius indolem. Eorum autem auctoritas a Spiritu Domini procedit in conexione cum sacra Hierarchia, quae canonicè Institutum erexit eiusque specialem missionem authentice approbavit.

Nunc autem, spectata condicione communi cuncto Populo Dei, *prophetica scilicet, sacerdotali et regali* (cf. LG, nn. 9; 10; 34; 35; 36), utile videtur esse competentiam auctoritatis religiosae adumbrare, eam per analogiam comparando cum triplici pastoralis ministerii perfuntione, scilicet docendi, sanctificandi et regendi, quin utraque auctoritas confundatur aut aequiparetur: [...]

[482] *b)* Quoad *munus sanctificandi*: Superiores peculiarem competentiam atque mandatum habent *perficiendi*, distinctis tamen muneribus, in iis quae ad incrementum vitae caritatis secundum Instituti propositum spectant, sive circa sodalium formationem, et initialem et continuam, sive circa communitatis et singulorum fidelitatem erga evangelica consilia iuxta Regulam exsequendam. Hoc vero munus, si recte expletum erit, putabitur a Romano Pontifice et ab Episcopis tamquam pretiosum auxilium in praecipuo eorum sanctificationis ministerio.

3658 [483] 16. Missio, quae a Patre originem ducit, ab illis, quicumque missi sunt, exigit ut caritatis conscientiam exercent in orationis dialogo. Propterea, hisce apostolicae renovationis temporibus, sicut semper in quovis missionali munere, princeps locus tribuendus est contemplationi Dei, meditationi Eius consilii salutis atque considerationi signorum temporum in Evangelii luce, ut et qualitas et abundantia orationis ali et augeri possint.

Omnes profecto necessitas urget orationem aestimandi et ad eam recurrendi. Episcopi eorumque cooperatores Presbyteri (cf. LG, nn. 25; 27; 28; 41), *orationi et ministerio verbi instantes* (Act. 6, 4), *dispensatores mysteriorum Dei* (1 Cor. 4, 1), *laborem impendant, ut omnes quorum cura sibi est commissa unanimes sint in oratione atque Sacramentorum receptione in gratia crescant ac fideles Domino sint testes* (CD, n. 15). [484] Religiosi autem, prout vocati ut sint quasi *peritissi-*

mi quique orationis (Paulus VI, 28.X.1966), Deum ... ante omnia quaerant ac diligant et in omnibus rerum adiunctis fovere studeant vitam absconditam cum Christo in Deo (Col. 3, 3), unde profluit et urgetur proximi dilectio (PC, n. 6).

Divina Providentia disponente, non pauci ex christifidelibus hodie intime urgentur, ut in unum se colligant, Evangelium audiant, profunde meditentur altiusque contemplantur. Quapropter, pro missionis efficacia, omnino curandum est, ut omnes, praesertim Pastores, ad orationem attendant, itemque Religiosa Instituta integram servent suae ad Deum deditiois formam, sive provehendo *praeclaram partem*, quam in hoc campo retinent Communitates vitae contemplativae (cf. PC, n. 7 et AG, n. 18), sive efficiendo, ut Religiosi actioni apostolicae dediti suam intimam cum Christo unionem alant eiusque aperte testimonium praebeant (cf. PC, n. 8).

[487] 23. Quae superius circa ecclesiam missionem considerata sunt has congruas directivas notas suggerunt: 3659

a) in primis ipsa natura apostolicae actionis exigit, ut Episcopi principem locum tribuant mentis recogitationi et orationis vitae (cf. LG, nn. 26; 27; 41); deinde exoptat, ut Religiosi, secundum indolem propriam, penitus renoventur et orationi assidue instent.

#### PARS II. Ordinationes et normae

[489] Recentium annorum experientia, principiis hucusque expositis perspectis, ad nonnullas ordinationes et normas redigendas induxit ad praxim praecipue spectantes. Exinde profecto efficietur, ut mutuae inter Episcopos et Religiosos relationes ulterius perfici possint pro ipsa Corporis Christi aedificatione. Varias autem directivas notas ostendemus tribus distinctis momentis sese invicem complementibus: 3660

- a) secundum aspectum formationis;
- b) secundum aspectum operationis;
- c) secundum aspectum coordinationis.

Textus praesumit iuridicas praescriptiones iam constitutas easque interdum refert; nihil ergo prorsus derogat ex superioribus Sanctae Sedis documentis de hac materia vigentibus.

Romanus Pontifex et Episcopi supremum explent in Ecclesia officium *Magistrorum authenticorum* et *Sanctificatorum* totius gregis (cf. Pars I, nn. 5-9). Sua vice, Superiores Religiosi specialem habent auctoritatem ad proprium Institutum moderandum et pergravi onerantur munere specificè sodales formandi (cf. PC, nn. 14; 18; et Pars I, nn. 10-14).

Episcopi et Superiores igitur, utrique secundum proprium officium, sed inter se convenientes et concorditer adlaborantes, veram prioritatem muneribus formationis conferant.

24. Episcopi, in concordi quoque animo cum Superioribus Religiosis, promoveant, praesertim inter dioecesanos presbyteros, inter zelantes laicos et inter locorum Religiosos et Religiosas, vivam conscientiam et experientiam mysterii atque structurae Ecclesiae, vivificae inhabita- 3661

tionis Spiritus Sancti, communiter apparando vel speciales circulos vel spiritualitatis congressus. Atque assidue quoque instent, ut oratio, sive personalis sive publica, magis magisque aestimetur et augeatur, peculiaribus etiam inceptis diligenter paratis.

3662 25. Communitates Religiosae, pro sua parte, praesertim contemplativae, servata videlicet in proprium ipsarum spiritum fidelitate (cf. PC, n. 7; AG, n. 40), hominibus nostrorum temporum opportuna praestent auxilia ad orationem atque ad vitam spiritualem peragendam, ita ut ad instantem meditationis altiorisque fidei necessitatem, pressius hodie perceptam, respondere valeant. Occasionem quoque et commoditatem iisdem offerant, ut suis ipsarum liturgicis actionibus convenienter adesse possint, servatis quidem clausurae et debitis exigentiis et statutis normis.

3663 [491] 30. Praefiniatur iam inde a prioribus gradibus initialis formationis, sive ecclesiasticae sive religiosae, studium systematicum Mysteriorum Christi, naturae sacramentalis Ecclesiae, ministerii episcopalis et vitae religiosae in Ecclesia.

3664 [492] 33. Religiosorum peculiare ac grave officium est attentam mentem docilemque animum habere ad Hierarchiae Magisterium atque facilius Episcopis reddere exercitium ministerii *doctorum authenticorum ac testium divinae et catholicae Veritatis* (cf. LG, n. 25) in suo respondendi onere circa fidei doctrinam docendam, sive in Centris, ubi eadem excolitur, sive in adhibendis instrumentis ad eam tradendam.

a) Quoad librorum et documentorum publicationes, quae curantur apud officinas librarias Religiosorum et Religiosarum vel Institutionum catholicarum aediumque editricum ab iisdem gestarum, serventur normae a Sacra Congregatione pro Doctrina Fidei data (d. 19 m. martii a. 1975) circa competentem auctoritatem pro Sacrae Scripturae textibus, iisdemque etiam translatis, approbandis, pro Liturgiae et orationum necnon catechismi libris aliisque quibusvis operibus, quae quidpiam speciatim contineant ad religionem morumque honestatem attinens. Istarum autem normarum praetermissio, speciose interdum aut callide excogitata, magnum quoddam fidelibus detrimentum affert, cui totis viribus sincere resistere praesertim Religiosis necesse est.

3665 [494] 36. Concilium haec asserit: Religiosi et Religiosae *peculiari ratione ad familiam dioecesanam pertinent, magnum auxilium sacrae Hierarchiae afferunt, atque in dies, auctis apostolatus necessitatibus, magis magisque afferre possunt ac debent* (CD, n. 34).

In territoriis, ubi plures vigent ritus, Religiosi, cum activitates expleant pro fidelibus diversi a proprio ritus, illis obtemperabunt normis, quae praevisae sint in relationibus habendis cum Episcopis diversi ritus (cf. *Eccl. Sanctae*, I, 23).

Urget necessitas, ut haec criteria reapse applicentur, non solum in conclusionis gradu, sed etiam in rerum agendarum programme praefiniendo atque elaborando, firmo tamen restante munere in deliberando Episcopi proprio.



Religiosi presbyteri, ob ipsam unitatem presbyterii (cf. *LG*, n. 28; *CD*, nn. 28; 11) et quatenus animarum curae partem habent, *vera quadam ratione ad clerum Dioecesis pertinere dicendi sunt* (*CD*, n. 34); possunt ideo et debent prodesse, quo melius Religiosi et Religiosae una cum clero et locorum Episcopis invicem uniantur et actuose in operando coordinentur.

[495] 39. Tamquam privilegiatus cooperationis campus inter Episcopos et Superiores Religiosos habendum est opus pastorale pro vocationibus prosequendis (cf. *PO*, n. 11; *PC*, n. 24; *OT*, n. 2). Hoc autem opus pastorale in concordia christianae communitatis actione consistit pro omnibus vocationibus, adeo ut Ecclesia secundum Christi plenitudinem Eiusque Spiritus charismatum varietatem aedificetur. [...] Qua igitur spectata re, urget necessitas frequenter quoque promovendi communis orationis incepta. 3666

[496] 43. Non parum fidelibus detrimento erit quod aberrantia quaedam incepta aut aliquorum factorum ambiguitates diutius tolerantur. Episcopi igitur et Superiores, invicem inter se fiduciam alentes ac secundum uniuscuiusque implenda munia et auctoritatem exercendam, omni studio providebunt, ut manifesto consilio clarisque dispositionibus, semper quidem in caritate, sed etiam in debita fortitudine, huiusmodi errores et praecaveantur et corrigantur. 3667

[497] Praesertim in campo liturgico necessitas urget remedia ferendi ad nonnullos abusos, sub alterutro signo adactos. Episcopi, prout authentici Ecclesiae localis Liturgi (cf. *SC*, nn. 22; 41; *LG*, n. 26; *CD*, n. 15; cf. *Pars I*, nn. 5-9), et Religiosorum Superiores, quoad suos sodales, invigilent, ut conveniens cultus renovatio fiat, ac tempestive interveniant, ut quoscumque deflexus et abusus in hac tam significanti et centrali parte (cf. *SC*, n. 10) corrigantur vel removeantur. Inde ipsi quoque Religiosi memores sint suum esse officium legibus et normis obtemperandi Sanctae Sedis necnon Episcopi loci decretis de publico cultu exercendo (cf. *Eccl. Sanctae*, I, 26; 37; 38).

44. Quoad Religiosorum pastorem praxim Concilium expresse declarat: *Omnes Religiosi, exempti et non exempti, Ordinariorum locorum potestati subsunt in iis quae ad publicum exercitium cultus divini, salva quidem Rituum diversitate, ad curam animarum, ad sacram praedicationem populo tradendam, ad christifidelium, praesertim puerorum, religiosam et moralem educationem, catechetica institutionem et liturgicam efformationem atque ad status clericalis decorem spectant necnon ad varia opera in iis quae sacri apostolatus exercitium respiciunt.* [...] (*CD*, n. 35, 4; cf. n. 35, 5 et *Eccl. Sanctae*, I, 39). 3668

[503] 60. In Episcoporum Conferentiis alicuius nationis vel territorii (cfr. *CD*, 37) ipsi Antistites *munus suum pastorale coniunctim exercent ad maius bonum, quod hominibus praebet Ecclesia, provehendum* (*CD*, n. 38). Similiter munus suum pastorale, quoad proprium ritum, exercent Synodi Patriarchales (cf. *OE*, n. 9), et in relationibus inter diversos ritus, in ambitu peculiaris eorum compositionis, interrituales Ordinariorum Conventus (cf. *CD*, n. 38). 3669

## De Ecclesia et hominum mobilitate

Die 26 maii 1978 Pontificia Commissio de spirituali migratorum atque itinerantium cura ad Praesides Conferentiarum Episcoporum Litteras circulares lingua italica exaratas misit, quae inscribuntur «Chiesa e mobilità umana». In quibus Litteris etiam quorundam quaestionum liturgicarum mentio fit.

ED. - Ital.: AAS 70 (1978) 357-378; EV 6, 582-603; *La Chiesa e la mobilità umana*, in: Indicazioni pastorali sulle migrazioni e il turismo = Servizio dell'Unità 15, Leumann (Torino) 1978, 3-37. Gall.: DC 75 (1978) 557-568. Hisp.: E 38 (1978) 969-978. Neer.: AK 33 (1978) 625-643.

## I

3670 [358] 2. I principali raggruppamenti delle odierne trasmigrazioni umane possono essere elencati, anche se non esaurientemente, come segue:

*gli emigranti* comunemente intesi, che, lasciata l'abituale residenza, cercano all'estero nuove ragioni e strumenti di vita; <sup>4</sup> si tratta in gran parte di lavoratori, ma anche di tecnici delle imprese, di esuli e profughi in cerca di libertà; ad essi vanno aggiunti *i giovani studenti*, che si recano all'estero per un perfezionamento tecnico e culturale; <sup>5</sup> *i marittimi* del trasporto e della pesca, che si affidano alle acque, abitualmente distaccati dal nucleo familiare e dalla nazione di origine; <sup>6</sup> *gli aeronaviganti*, che la professione porta a solcare i cieli ed a toccare rapidamente punti estremi del globo, ivi compresi i passeggeri ed i componenti il tessuto delle stazioni aeroportuali; <sup>7</sup>

<sup>4</sup> Cfr. Costituzione Apostolica del Papa Pio XII *Exsul Familia*: AAS 44 (1952) 649 ss.; Motu Proprio di S.S. Paolo VI *Pastoralis migratorum cura*: AAS 61 (1969) 601-603; Istruzione della S.C. per i Vescovi *De pastoralis migratorum cura*: AAS 61 (1969) 614-643.

<sup>5</sup> Cfr. Enciclica del S. Padre Paolo VI *Populorum progressio*, n. 68: AAS 59 (1967) 290.

<sup>6</sup> Costituzione Apostolica *Exsul Familia* passim: *Leges Operis Apostolatus Maris*: AAS 50 (1958) 375-383; *Normae et facultates pro maritimorum atque navigantium spirituali cura gerenda*: AAS 69 (1977) 737-746.

<sup>7</sup> Cfr. Costituzione Apostolica *Exsul Familia*: AAS 44 (1952) 670.

*i nomadi*, che vivono peregrinando quasi sempre estranei alla società, la quale difficilmente ne comprende l'identità etnica e culturale;<sup>8</sup>  
*i turisti*, che vengono a contatto con ambienti e società nuove, per ragioni di svago, di cura, di arricchimento culturale, di peregrinazione religiosa.<sup>9</sup> Vi si possono aggiungere tutti coloro che abitualmente si servono di mezzi autostradali.

## II

9. [...] [363] Senza voler anticipare ciò che si dirà nella terza parte, parlando concretamente dell'azione della Chiesa, bisogna affermare preliminarmente l'importanza insostituibile della dimensione spirituale, la quale si attua, oltre che nella predicazione, nella catechesi, nella vita liturgica e sacramentale, in una parola, nella santificazione delle anime e della società. Anche per questo vasto e complesso mondo della mobilità la Chiesa deve essere sale e luce. 3671

[371] 27. [...] Luogo privilegiato nel quale, al di sopra delle frontiere e nella gioia della carità universale, si celebra l'Eucarestia, sacramento dell'unità, la parrocchia è tuttavia chiamata quasi a moltiplicarsi, per consentire che nei gruppi umani della mobilità, come nei nodi della vita collettiva e culturale in cui si elaborano le mentalità, possano germogliare autentiche cellule cristiane, vere comunità improntate allo spirito del Vangelo. 3672

Per i cristiani proiettati in una situazione nuova dalle varie forme di trasmigrazione, come per coloro che sono alla ricerca della vera fede, queste comunità saranno genuini centri di catecumenato, che progressivamente permetteranno il pieno ingresso nella vita della Chiesa.

## III

[373] 30. La natura e la missione dei laici, secondo la concezione ecclesiologica del Vaticano II, ancorata alla comune dignità sacerdotale, profetica e regale dei membri del popolo di Dio,<sup>58</sup> trova piena rispondenza nella mentalità richiesta dai fenomeni della mobilità umana. [...] 3673

[374] Particolarmente nelle zone in cui i fedeli, per effetto degli spostamenti, vivono nell'isolamento o nella diaspora, la gerarchia facilita i laici nell'esercizio delle prerogative della vocazione battesimale, attribuendo loro incarichi particolari sia per la catechesi, sia per la celebrazione di Liturgie della Parola, secondo le norme vigenti.<sup>61</sup>

[378] *Il Santo Padre Paolo VI, con Lettera della Segreteria Stato n. 345748, in data 4 Maggio 1978, ha approvato con la propria autorità il presente Documento, e ne ha ordinato la pubblicazione.*

<sup>8</sup> Cfr. Costituzione Apostolica del S. Padre Paolo VI *Regimini Ecclesiae universae*, n. 52: AAS 59 (1967) 885 ss.

<sup>9</sup> Cfr. Direttorio della Sacra Congregazione per il clero *Peregrinans in terra*: AAS 61 (1969) 361-384.

<sup>58</sup> Cfr. *Lumen gentium*, nn. 31-38.

<sup>61</sup> Cfr. *Apostolicam actuositatem*, n. 17; *Ad gentes*, n. 16.

## «Redemptor hominis»

Die 4 martii 1979 Ioannes Paulus II Litteras encyclicas de mysterio redemptionis dedit, in quibus pluries etiam de Liturgia loquitur.

ED. - Lat.: AAS 71 (1979) 257-324. Gall.: DC 76 (1979) 301-323; JEAN PAUL II, *Le Rédempteur de l'homme. Lettre encyclique «Redemptor hominis»*, Paris 1979; Cahiers de l'actualité religieuse et sociale n. 182 (15 avril 1979) 243-301. Germ.: VAS 6; *Die Würde des Menschen in Christus*, Freiburg i. Br. 1979, 7-110; HK 33 (1979) 186-209. Hisp.: *Redemptor hominis* (ed. PPC), Madrid 1979; E 39 (1979) 356-380. Ital.: EV 6, 773-887; RD 24 (1979) 146-162; *Redemptor hominis*, Roma 1979; G. CONCETTI (ed.), *Cristo Redentore dell'uomo — centro del cosmo e della storia*, Milano 1980, 11-83; *Il Redentore dell'uomo = Servizio dell'Unità* 17, Leumann (Torino) 1979. Lus.: *O Redentor do Homem*, Braga 1979. Neer.: AK 34 (1979) 369-410; BTD 2; WKD 5.

COMM. - Germ.: B. HÄRING, in: *Die Würde des Menschen in Christus*, Freiburg i. Br. 1979, 113-140; U. RUH, in: HK 35 (1981) 6-8; W. SEIBEL, in: *Stimmen der Zeit* 104 (1979) 289-290. Hisp.: M. RAMOS, in: Ph 19 (1979) 455-458. Ital.: D. GRASSO, in: *Rivista del Clero italiano* 60 (1979) 422-433; G. CONCETTI (ed.), *Cristo Redentore dell'uomo — centro del cosmo e della storia*, Milano 1980, 87-377; G. COLOMBO, in: *Rivista del Clero italiano* 60 (1979) 931-937; G. ANICHINI, *ibid.* 62 (1981) 201-210; CC 130/II (1979) 3-8; ST. MOSCHETTI, *ibid.* 132/III (1981) 463-476; *Rivista di teologia morale* 11 (1979) 451-471.

## II

3674 7. [...] [269] Ecclesia est «in Christo veluti sacramentum seu signum et instrumentum intimae cum Deo unionis totiusque generis humani unitatis»;<sup>34</sup> et horum omnium fons ille est! Ille ipse! Ille Redemptor!

Non desinit Ecclesia eius audire sermones, quos continenter quidem repetit, dum summa cum pietate singulas vitae ipsius particulas instaurat. Hi sermones item audiuntur a non Christianis. Vita Christi loqui-

<sup>34</sup> *Lumen gentium*, n. 1.

tur eodem tempore ad tot homines, qui nondum cum Petro iterare valent: «Tu es Christus, Filius Dei vivi». <sup>35</sup> Ille, Filius Dei viventis, loquitur ad homines etiam sicut homo: nam loquitur ipsa eius vita, eius humanitas, eius fidelitas erga veritatem, amor eius, qui omnes complectitur. Praeterea loquitur illius mors in Cruce, nempe inscrutabilis magnitudo dolorum eius et solitudinis. Numquam desinit Ecclesia vivendo recolere eius mortem in Cruce ac Resurrectionem, quae [270] substantiam efficiunt vitae cotidianae eiusdem Ecclesiae. Etenim ex mandato Christi ipsius, sui Magistri et Domini, celebrat Ecclesia sine intermissione Eucharistiam, in qua «fontem vitae et sanctitatis» <sup>36</sup> detegit, signum efficax gratiae necnon reconciliationis cum Deo, pignus vitae aeternae. Ecclesia vivendo recolat eius mysterium indeque sine ulla fatigatione haurit; immo assidue quaerit vias, quibus idem sui Magistri et Domini mysterium proprius adducere possit ad hominum genus: ad populos, ad nationes, ad succedentes sibi aetates, ad quemque hominem singillatim, quasi iugiter secundum Apostoli dicitur exemplum: «Non enim iudicavi scire me aliquid inter vos nisi Iesum Christum et hunc crucifixum». <sup>37</sup> Ecclesia versatur intra orbem Redemptionis mysterii, quod profecto vitae eius atque operis fundamentale principium est factum.

#### IV

18. [...] [303] Et Ecclesia in mundo nostri temporis acriore in dies fervore sanctaque instantia videtur iterum atque iterum dicere: «Veni, Sancte Spiritus». Veni! Veni! «Lava, quod est sordidum! Riga, quod est aridum! Sana, [304] quod est saucium! Flecte, quod est rigidum! Fove, quod est frigidum! Rege, quod est devium»! <sup>133</sup> Haec ad Spiritum admota obsecratio, qua idem Spiritus impetretur, est refutatio earum huius temporis doctrinarum, quae omnia ad materiam referunt. Ex iis enim oriuntur multiplices cordis humani insatiabiles cupiditates. Precatio illa multis ex partibus auditur et diversimode videtur fructus afferre. Licetne affirmare non a sola Ecclesia eam fieri? Licet, quia rerum, ad spiritum pertinentium, «necessitatem» non pauci etiam exprimunt, qui extra fines aspectabiles Ecclesiae versantur. <sup>134</sup> Nonne id veritate illa confirmatur, quam tam subtiliter recens Concilium explanavit in Constitutione Apostolica a verbis *Lumen Gentium* incipiente, ubi docet Ecclesiam esse «sacramentum seu signum et instrumentum intimae cum Deo unionis totiusque generis humani unitatis»? <sup>135</sup> Illa Spiritui et per Spiritum adhibita obsecratio idem valet ac penetrare assidue in plenam rationem totius mysterii Redemptionis, quo Christus, cum Patre et cum singulis hominibus coniunctus, sine

3675

<sup>35</sup> Mt. 16, 16.

<sup>36</sup> Cf. *Litaniae SS. Cordis Iesu*.

<sup>37</sup> 1 Cor. 2, 2.

<sup>133</sup> *Missale Romanum*, Sequentia in sollemnitate Pentecostes.

<sup>134</sup> Cf. *Lumen gentium*, n. 16.

<sup>135</sup> *Ibid.*, n. 1.

intermissione illum Spiritum dat nobis, qui sensus Filii nobis infundit et ad Patrem nos dirigit. <sup>136</sup> [...]

3676 19. [...] [308] Haec prophetici muneris cum Christo ipso communicatio effingit vitam totius Ecclesiae iuxta eius formam fundamentalem. Peculiaris participatio huius muneris propria est Pastorum Ecclesiae, qui docent et continenter variisque modis nuntiant et tradunt disciplinam fidei morumque christianorum. Haec institutio, quatenus sive missionalis est sive ordinaria, confert ad Populum Dei circa Christum congregandum, praeparat animos ad Eucharistiam participandam, vitae sacramentalis indicat vias. [...]

3677 [309] 20. Intra Redemptionis mysterium, salutare videlicet opus a Iesu Christo impletum, Ecclesia non tantum particeps fit Evangelii Magistri sui per ipsam fidelitatem erga Verbum perque veritatis ministerium, sed pariter per subiectionem, spei et amoris plenam, participat virtutem redemptricis eius actionis, quam sacramentali forma, potissimum in Eucharistia, ex[310]pressit ibique collegit. <sup>154</sup> Porro Eucharistia veluti centrum est totiusque sacramentalis vitae culmen, per quam nempe unusquisque Christianus Redemptionis vim accipit salutiferam, dum progreditur a mysterio baptismatis, in quo cum Christo consepehimur in mortem, usque ad Resurrectionis communicationem, <sup>155</sup> sicut Apostolus docet. Secundum hanc doctrinam magis etiam patet cur totius Ecclesiae ac singulorum Christianorum vita sacramentalis summam suam plenitudinemque attingat omnino in Eucharistia. In hoc enim Sacramento continenter ex Christi voluntate renovatur sacrificii mysterium, quo Patri se ipsum in ara Crucis obtulit; quod quidem sacrificium Pater suscepit ac vicissim pro eadem plena donatione Filii sui, qui erat «factus oboediens usque ad mortem», <sup>156</sup> donationem suam paternam reddidit, nempe donum novae vitae immortalis in ipsa Resurrectione, quandoquidem primus fons Pater est et dator vitae iam inde a principio. Haec vita nova, quae corporalem glorificationem Christi Cruci affixi secum fert, facta pariter est signum efficax novi illius doni hominibus traditi, quod est Spiritus Sanctus, per quem vita divina, quam habet in se Pater et Filio dat, <sup>157</sup> cunctis tribuitur hominibus, qui Christo coniunguntur.

3678 Perfectissimum huius coniunctionis Sacramentum est Eucharistia. Nam celebrantes nos unaque Eucharistiam participantem, sociamur cum Christo terrestri et caelesti, qui pro nobis apud Patrem intercedit; <sup>158</sup> at semper iungimur per redimentem sacrificii eius actum, quo is nos redemit, ita ut essemus «empti... pretio». <sup>159</sup> Praeterea illud «pretium magnum» Redemptionis nostrae item comprobatur mo-

<sup>136</sup> Cf. Rom. 8, 15; Gal. 4, 6.

<sup>154</sup> Cf. Sacrosanctum Concilium, n. 10.

<sup>155</sup> Cf. Rom. 6, 3 ss.

<sup>156</sup> Phil. 2, 8.

<sup>157</sup> Cf. Io. 5, 26; 1 Io. 5, 11.

<sup>158</sup> Cf. Hebr. 9, 24; 1 Io. 2, 1.

<sup>159</sup> Cf. 1 Cor. 6, 20.

mentum, quod ipse Deus adiudicat homini, confirmatque nostram in Christo dignitatem. Cum enim [311] constituimur filii Dei <sup>160</sup> ac filii adoptionis, <sup>161</sup> simul nimirum ad eius imaginem efficimur «regnum et sacerdotes», adipiscimur «regale sacerdotium», <sup>162</sup> hoc est participes reddimur illius unice et irrevocabilis restitutionis hominum mundique ad Patrem, quam is, aeternus Filius <sup>163</sup> ac verus pariter Homo, in perpetuum semel peregit. Eucharistia proinde Sacramentum est, in quo plenius nova nostra significatur vita et in quo Christus sine intermissione novaque semper ratione ipse in Spiritu Sancto «testificatur» spiritui nostro <sup>164</sup> quemquem nostrum, velut mysterii Redemptionis consortem, accedere posse ad fructus filiorum reconciliationis cum Deo, <sup>165</sup> quam perfecit ille continenterque inter nos perficiat ex Ecclesiae ministerio.

Est haec primaria veritas, non modo ad doctrinam verum etiam ad existentiam ipsam pertinens: Eucharistia aedificat Ecclesiam <sup>166</sup> eamque exstruit ut veram communitatem Populi Dei, ut fidelium congregationem, signatam eadem unitatis nota, cuius participes fuerunt Apostoli primique Domini discipuli. Hanc insuper communitatem et unitatem semper ab integro aedificat; molitur semper eam ac reficit per Christi ipsius sacrificium, quoniam mortem eius in Cruce commemorat, <sup>167</sup> cuius pretio sumus ab eo redempti. Idcirco in Eucharistia — ut ita dicamus — tangimus mysterium ipsum Corporis ac Sanguinis Domini, perinde ac testantur verba ipsa, institutionis eius momento prolata, quae ob eiusdem institutionis vim facta sunt etiam verba perennis celebrationis Eucharistiae ab iis, qui in Ecclesia ad hoc ministerium destinantur.

[312] Ecclesia vivit ex Eucharistia; vivit ex plenitudine huius Sacramenti, cuius mirabilis essentia ac significantia saepius illuminata est ab Ecclesiae Magisterio iam a temporibus antiquissimis ad nostros usque dies. <sup>168</sup> Verumtamen dicere certo possumus hanc ipsam doctrinam — sustentatam acribus theologorum ingeniis et a profundae fidei precationisque hominibus et ab ascetis ac mysticis secundum totam eorum fidelitatem erga eucharisticum mysterium — manere quasi in ipso limine, cum per eam comprehendi animo verbisque referri id non possit, quod Eucharistia in omni sua sit plenitudine, et id, quod significet quodque in ea eveniat. Reapse Eucharistia est ineffabile Sacramentum! Necessarium ideo officium atque imprimis gratia visibilis et origo super-

3679

<sup>160</sup> *Io.* 1, 12.

<sup>161</sup> Cf. *Rom.* 8, 23.

<sup>162</sup> *Ap.* 5, 10; *1 Petr.* 2, 9.

<sup>163</sup> Cf. *Io.* 1, 1-4. 18; *Mt.* 3, 17; 11, 27; 17, 5; *Mc.* 1, 11; *Lc.* 1, 32. 35; 3, 22; *Rom.* 1, 4; *2 Cor.* 1, 19; *1 Io.* 5, 5. 20; *2 Petr.* 1, 17; *Hebr.* 1, 2.

<sup>164</sup> Cf. *1 Io.* 5, 5-11.

<sup>165</sup> Cf. *Rom.* 5, 10. 11; *2 Cor.* 5, 18 s.; *Col.* 1, 20. 22.

<sup>166</sup> *Lumen gentium*, n. 11; Paulus PP. VI, Allocutio d. 15 m. Sept. a. 1965 habita: Insegnamenti di Paolo VI, III (1965) 1036.

<sup>167</sup> Cf. *Sacrosanctum Concilium*, n. 47.

<sup>168</sup> Cf. Paulus PP. VI, Litt. Enc. *Mysterium Fidei*: AAS 57 (1965) 553-574.

naturalium virium Ecclesiae ut Populi Dei nominatim haec sunt: persistere et procedere constanter in eucharistica vita ac pietate, necnon spirituales profectus facere intra Eucharistiae ambitum. Quapropter nobis multo magis non licet — neque in cogitationibus neque in vita neque in actibus — auferre ab hoc Sacramento vere sanctissimo plenam suam naturam propriamque significationem. Est pariter Sacramentum-sacrificium, Sacramentum-communio, Sacramentum-praesentia. Et quantumvis constet Eucharistiam fuisse semper etiamque nunc esse debere maximam ostensionem ac celebrationem fraternitatis humanae discipulorum ac sectatorum Christi, tamen ea tractari non potest solum velut «ocasio» quaedam eiusdem fraternitatis declarandae. Cum enim Corporis et Sanguinis Domini celebratur Sacramentum, necesse est simul observetur integra mysterii divini ratio ac plena vis huius signi sacramentalis, in quo Christus praesens realiter adest, «mens impletur gratia et futurae gloriae nobis pignus datur». <sup>169</sup> Hinc praeterea officium exoritur religiose implendi liturgicas normas eaque omnia, quae testantur communitatis ipsius cultum Deo redditum, eo vel magis quod in hoc sacramentali signo ille [313] se nobis tradit cum fiducia infinita, quasi non consideret nostram infirmitatem humanam, nostram indignitatem, consuetudines nostras moresque cotidianos, immo vero etiam violationes, quae fieri possunt. In Ecclesia igitur omnes, sed episcopi potissimum ac sacerdotes, vigilare debent, ut hoc amoris Sacramentum collocetur in media ipsa vita Populi Dei, ut per cunctos actus debiti cultus sic retribuatur Christo «amor pro amore», ut ipse revera fiat vita animarum nostrarum. <sup>170</sup> Neque ex altera parte oblivisci umquam poterimus horum Sancti Pauli verborum: «Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat». <sup>171</sup> Quae Apostoli monitio saltem oblique coniunctionem arctam Eucharistiae cum Paenitentia indicat. Etenim, si prima Christi doctrinae sententia primaque Evangelii — id est «Boni Nuntii» — locutio fuit: «paenitemini et credite Evangelio» (*metanoéite*), <sup>172</sup> sacramentum Passionis, Crucis, Resurrectionis videtur peculiari prorsus modo roborare et confirmare in animis nostris istam cohortationem. Sic quidem Eucharistia ac Paenitentia certo quodam sensu exhibentur velut duplex intusque simul coniuncta facies verae vitae secundum Evangelii spiritum: vitae reapse christianae. Nam Christus, qui ad Cenam nos eucharisticam invitat, idem ille ad paenitentiam incitat, dum verbum iterat: «paenitemini». <sup>173</sup> Sine continua hac semperque renovata animi intentione ad conversionem, participatio Eucharistiae privatur plena sua efficientia redemptrici, deficit vel saltem in ipsa minuitur peculiaris illa promptitudo Deo sacrificium spirituale offerendi, <sup>174</sup> in quo nostra participatio Christi sacerdotii patefit ratione essentiali et universali. In Christo

<sup>169</sup> Cf. *Sacrosanctum Concilium*, n. 47.

<sup>170</sup> Cf. *Io.* 6, 52, 58; 14, 6; *Gal.* 2, 20.

<sup>171</sup> *1 Cor.* 11, 28.

<sup>172</sup> *Mc.* 1, 15.

<sup>173</sup> *Ibid.*

<sup>174</sup> Cf. *1 Petr.* 2, 5.



enim iungitur sacerdotium cum proprio eius sacrificio et cum donatione Patri facta; quae vicissim donatio — quippe quae sine limite sit — efficit, ut nobis, qui homi[314]nes sumus pluribus obnoxii angustiis, necesse sit ad Deum nos dirigamus modo usque maturiore et conversione constanti, semper quidem profundiore.

Proximis hisce annis plurima data est opera — ceterum omnino secundum antiquissimam Ecclesiae traditionem — ut extolleretur communitaria ratio Paenitentiae et praesertim ipsius sacramenti Paenitentiae in Ecclesiae usu. Perutiles sane sunt hi conatus multumque certe adiuvant, ut praxis paenitentialis Ecclesiae nostrorum dierum ditescat. Atamen non oblivisci licet conversionem esse actum interiorem singularis profecto altitudinis, in quo nemo vices gerere valeat alterius hominis, ubi communitas ipsa non suffici possit in locum uniuscuiusque hominis. Etsi fraterna communitas fidelium celebrationem paenitentialem simul peragentium insigniter provehit actum conversionis singulorum, nihilo minus oportet denique in hoc eodem actu se exprimat quisque homo ex intimis penetralibus conscientiae suae, immo cum toto sensu culpae suae fiduciaequae Dei, coram quo sistat psalmistae similis, ut confiteatur: «Tibi, tibi soli peccavi». <sup>175</sup> Propterea Ecclesia, dum fideliter asservat productum plura per saecula usum Sacramenti Paenitentiae — hoc est usum confessionis singularis, copulatae cum actu doloris propositoque emendationis et satisfactionis — ius particulare animae humanae tuetur; quod scilicet ius refertur ad congressionem, uniuscuiusque hominis magis propriam, cum Christo Cruci affixo, qui ignoscit, cum Christo, qui per sacramenti Reconciliationis ministrum declarat: «dimittuntur peccata tua»; <sup>176</sup> «vade, et amplius iam noli peccare». <sup>177</sup> Uti plane perspicuum est, hoc pariter ius Christi est, quod is habet erga quemque hominem a se redemptum. Est nempe ius conveniendi unumquemque nostrum in illo decretorio tempore vitae animae, quod est momentum conversionis et [315] condonationis. Ecclesia Sacramento Paenitentiae custodiendo profitetur aperte fidem suam in Redemptionis mysterium, ut in rem veram et vivificantem, quae etiam cum interiore veritate hominis congruit, cum humano culpae sensu et etiam cum humanae conscientiae desideriis. «Beati, qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur». <sup>178</sup> Paenitentiae porro Sacramentum est instrumentum, quo homo illa iustitia satietur, quae ex eodem Redemptore emanat.

3680

In Ecclesia, quae praesertim nostris temporibus maxime circa Eucharistiam congregatur quaeque exoptat, ut vera eucharistica communitas evadat signum omnium Christianorum coniunctionis, quae paulatim maturescit, vigere debet necessitas paenitentiae, quod attinet sive ad rem sacramentalem <sup>179</sup> sive etiam ad illam rationem, ex qua Paeniten-

3681

<sup>175</sup> Ps. 50 (51), 6.

<sup>176</sup> Mc. 2, 5.

<sup>177</sup> Io. 8, 11.

<sup>178</sup> Mt. 5, 6.

<sup>179</sup> Cf. SCDF, *Normae pastorales circa absolutionem generali modo impertiendam*; AAS 64 (1972) 510-514; Paulus PP. VI, *Allocutio ad nonnullos Episcopos e Foederatis Civitati-*

tia est virtus. Quae altera ratio a Pontifice Maximo Paulo VI in Constitutione Apostolica *Paenitemini* est explicata.<sup>180</sup> Unum officiorum Ecclesiae est in actum deducere doctrinam ibidem expositam; siquidem de argumento agitur, quod sine dubio a Nobis adhuc altius pervestigari oportebit per communem considerationem et circa quod plura alia consilia capienda erunt cum sensu collegialis formae pastoralis et cum observantia erga varias traditiones, huc spectantes, et erga diversa adiuncta vitae hominum nostrae aetatis. Quidquid autem id est, patet Ecclesiam novi Adventus, Ecclesiam, quae sese continenter praeparet ad novum Domini Adventum, esse plane debere Ecclesiam Eucharistiae et Paenitentiae. Secundum hanc solam visionem spiritualem sui vigoris sui que operis ipsa est Ecclesia divinae missionis, [316] *Ecclesia in statu missionis*, quemadmodum eius veluti vultum Concilium Vaticanum II ostendit.

3682 21. [...] [319] Fidelitas erga vocationem — id est animus constanter paratus et promptus ad «ministerium regale» — magnum pondus habet ad multiplicem illam aedificationem, praesertim quod ad maioris momenti munera spectat, quae altius vitam proximi totiusque societatis afficiunt. In tali fidelitate erga propriam vocationem excellere debent ipsi coniuges, uti postulatur ex indissolubili natura sacramentali institutionis matrimonii. Similiter eminere decet sacerdotes pari fidelitate erga propriam vocationem; id quod poscit character indelebilis, quem Sacramentum Ordinis in ipsorum animis figit. Nam hoc Sacramentum cum recipimus, obstringimus nos, in Ecclesia Latina, conscii ac liberi officio vivendi in caelibatu; quocirca unusquisque nostrum debet, quantum sane in eo situm est, efficere, ut Dei gratia sustentatus, gratus de hoc dono sit ac semper fidelis officio, quo in omne tempus se obligavit. Neque aliud profecto flagitatur a coniugibus, qui contendere debent omnibus viribus, ut in vinculo matrimoniali perseverent utque per illam amoris testificationem exstruant communitatem familiae novasque generationes hominum educent, qui et ipsi vicissim valeant totam suam vitam dedicare propriae vocationi — videlicet «ministerio regali» — cuius speciem pulcherrimumque exemplum nobis Iesus Christus praebuit. [...]

3683 22. [...] [324] Non solum necessitatem, sed etiam *imperativum categoricum* sentimus, unde fiat, ut tota Ecclesia magnopere, impense, crebrius in dies preces fundat. Solum enim precatio efficere potest, ne permagna haec officia et difficultates, quae accidunt continenter, in causas discriminum vertantur, sed ut fontes ac velut fundamenta evadant novorum egregie factorum, quae parentur atque in dies magis maturescant, in itinere Populi Dei Terram Promissionis versus, ac quidem hoc ipso rerum cursus tempore, quo ad finem alterius millennii

bus Americae Septentrionalis, oblata occasione eorum visitationis «Ad limina» habita (20 Apr. 1978): AAS 70 (1978) 328-332; Ioannes Paulus PP. II, Allocutio ad quosdam sacros Praesules nationis Canadensis habita, eorum visitationis «Ad limina» oblata occasione (17 Nov. 1978): AAS 71 (1979) 32-36.  
<sup>180</sup> AAS 58 (1966) 177-198.

appropinquamus.

Dum ergo huic quasi meditationi finem imponimus, acriter humiliterque ad precationem faciendam evocantes, cupimus, ut in hac oratione perseveretur cum Maria, Matre Iesu,<sup>202</sup> quemadmodum perseverarunt Apostoli ac discipuli Domini in Cenaculo Hierosolymitano post illius Ascensionem.<sup>203</sup> Enixe potissimum Mariam, caelestem Ecclesiae Matrem, deprecamur, ut in hac oratione, quae in novo Adventu fit humani generis, nobiscum manere dignetur, qui Ecclesiam efficitur, id est Corpus mysticum Filii eius Unigeniti. Speramus fore ut, huiusmodi precationis vi, accipiamus Spiritum Sanctum supervenientem in nos<sup>204</sup> et hoc modo testes fiamus Christi «usque ad ultimum terrae»,<sup>205</sup> quemadmodum illi, qui die Pentecostes e Cenaculo Hierosolymitano exierunt. Denique Benedictionem Apostolicam amantissime impertimus.

<sup>202</sup> Cf. Act. 1, 14.

<sup>203</sup> Cf. Act. 1, 13.

<sup>204</sup> Cf. Act. 1, 8.

<sup>205</sup> *Ibid.*

## De sacerdotio ministeriali

Die 8 aprilis 1979 Ioannes Paulus II ad universos Ecclesiae Episcopos Epistulam de sacerdotio ministeriali misit, in qua de Liturgia Ferae V in Cena Domini loquitur.

ED. - Lat.: AAS 71 (1979) 389-393. Gall.: DC 76 (1979) 351-352. Germ.: VAS 7, 3-6; *Dienst aus der größeren Liebe zu Christus*, Freiburg i. Br. 1979, 7-14. Hisp.: E 39 (1979) 518. Ital.: EV 6, 892-899; RD 24 (1979) 194-195; *Il sacerdote dono di Cristo per la comunità = Servizio dell'Unità* 18, Leumann (Torino) 1979, 2-6. Neer.: AK 34 (1979) 413-416; BTD 5, 7-9; WKD 6, 3-5.

COMM. - Germ.: H.U. v. BALTHASAR, in: *Dienst aus der größeren Liebe zu Christus*, Freiburg i.Br. 1979, 51-69.

3684 [389] Magnus dies iamiam appetit, quo nos, una cum fratribus nostris in sacerdotio Ferae V in Cena Domini sacra facientes, cum animo nostro reputabimus quam grande sit donum illud, cuius, dante Christo, aeterno Sacerdote, redditi sumus participes. Quo sane die, antequam sacram Liturgiam in Cena Domini celebremus, ad templa cathedralia properabimus, ut coram Illo, qui pro nobis factus est «oboediens usque ad mortem»,<sup>1</sup> se totum Ecclesiae, sponsae suae, immolans, donationem nostri et ipsi peragamus, nos unius Christi servitio devovendo in eadem ipsa Ecclesia.

Nimirum sancta huius diei Liturgia nos in Cenaculum introducit, grato animo quidem ad audienda verba paratos, quae nobis divinus Magister faciet, sollicitudinis plena videlicet erga Episcopos cuiusvis aetatis, post Apostolos ad curam gerendam vocatos Ecclesiae, gregis, vocationis universi populi Dei, verbi nuntiandi, totius temperationis sacramentorum simul ac morum vitae christianae, item vocationum sacerdotalium ac religiosarum atque fraterni spiritus in universa communitate.

Ait quidem Christus: «Non relinquam vos orphanos; veniam ad vos». <sup>2</sup> Hoc ipsum Sacrum Triduum Passionis, Mortis et Resurrectionis Christi redintegrat in nobis modo sublimi non solum memoriam profectionis, sed etiam fidem reversionis atque adventus Eius perpetui.

<sup>1</sup> Phil. 2, 8.

<sup>2</sup> Io. 14, 18.

Quid enim sonant hae Christi voces: «Ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi»? <sup>3</sup>

In huius fidei spiritu, quo hoc Triduum perfunditur, cupimus ut nos, Venerabiles ac Dilecti Fratres, ratione vocationis atque episcopalis ministerii nostri habita, peculiari modo hoc anno — primo Pontificatus Nostri — illam unitatem persentiamus, cuius Duodecim Apostoli participes erant, quando una cum Domino ultimum in Cenaculo erant congregati. Quo ipso in loco verba audierunt simul summum honorem maximumque officium significantia: «Iam non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat dominus eius; vos autem dixi amicos, quia omnia quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis. Non vos me elegistis; sed ego elegi vos et posui vos ut eatis et fructum afferatis et fructus vester maneat». <sup>4</sup> 3685

Num quidquam his verbis potest adiungi? Nonne, magnitudinem mysterii considerantes, quod sumus celebraturi, potius in iis verbis animis humilibus gratisque immorabimur? Ita enim doni conscientia magis magisque in nobis radices aget, quod a Domino per vocationem et episcopalem ordinationem sumus sortiti. Re quidem vera donum plenitudinis sacramentalis labores omnes et molestias superat, quae ministerium [391] pastorale afferre consuevit in Episcopatu. [...]

Vobis autem in cathedralibus aedibus Sacerdotes vestros dioecesanos ac religiosos, qui presbyterium Ecclesiarum particularium seu dioecesium singularum constituunt, convenientibus, hi — ut statutum est — promissa renovabunt olim ordinationis sacerdotalis suae prolata die inque vestris ut Episcoporum manibus veluti deposita. Huc respicientes, iisdem Epistulam propriam dari curavimus, quae — ut probe confidimus — efficiet, ut et vos et illi etiam altius ex ea unitate vivatis, id est ex vinculo illo arcano, quo in unico Christi sacerdotio inter nos coniungimur; quod per Crucis sacrificium est perfectum, ut Ille «in Sancta» <sup>5</sup> introire mereretur. [...]

[392] Renovetur quidem etiam vestra erga Sacerdotes dilectio, quos Spiritus Sanctus vobis dedit atque credidit veluti muneris vestri pastoralis intimos socios. Curate eos quasi filios maxime dilectos, fratres, amicos. Necessitates eorum omnes animadvertite; de eorum spirituali progressionem atque de illorum perseverantia in gratia sacramenti sacerdotii peculiariter modo estote solliciti. 3687

Quoniam ipsi in manibus vestris proferunt — ac quotannis renovant — promissa sacerdotalia et praesertim officium pertinens ad caelibatum, id agite, ut illa adimpleant, sicut sanctae Ecclesiae traditio poscit, ab ipso Evangelii spiritu orta. [...]

Venerabiles ac Dilecti Fratres! Haec omnia, quae vobis scribimus, dum sacrum diem Cena Domini penitus vivere paramus, «diem festum Sacerdotum», arcte coniungere cupimus cum fausto omi- 3688

<sup>3</sup> Mt. 28, 20.

<sup>4</sup> Io. 15, 15 s.

<sup>5</sup> Hebr. 9, 12.

ne, quod Apostoli eodem die ex ore amatissimi Magistri audierunt: «ut eatis et fructum afferatis et fructus vester maneat». <sup>7</sup> Quem fructum non nisi in Ipso, in vite, <sup>8</sup> manentes afferemus. Hoc videlicet Paschae suae antecedente die in oratione dixit, quam habuit discessurus: «Qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere». <sup>9</sup> Quid maius vobis, Dilecti Fratres, exoptemus, quidve maius exoptemus inter nos nisi hoc ipsum: ut in Eo, Iesu Christo, maneamus et fructum, manentem quidem fructum, afferamus? Haec accipite vota. Nitamur unitatem nostram magis magisque firmare; nitamur ex hoc Sacro Triduo Paschae Domini Nostri Iesu Christi etiam ardentius vivere.

<sup>7</sup> Io. 15, 16.

<sup>8</sup> Cf. Io. 15, 1-8.

<sup>9</sup> Io. 15, 5.

## De sacerdotio ministeriali

Die 8 aprilis 1979 Ioannes Paulus II ad universos Ecclesiae Sacerdotes Epistolam de sacerdotio ministeriali misit, in qua etiam munus liturgicum sacerdotum exponit.

ED. - Lat.: AAS 71 (1979) 393-417. Gall.: DC 76 (1979) 352-360. Germ.: VAS 7, 7-26; *Dienst aus der größeren Liebe zu Christus*, Freiburg i. Br. 1979, 15-50; HK 33 (1979) 241-249. Hisp.: E 39 (1979) 519-526. Ital.: EV 6, 901-939; RD 24 (1979) 195-200; *Il sacerdote dono di Cristo per la comunità* = Servizio dell'Unità 18, Leumann (Torino) 1979, 7-32. Lus.: LRC 43 (1979) 243-250. Neer.: AK 34 (1979) 415-430; BTD 5, 9-28; WKD 6, 7-23.

COMM. - Germ.: H.U. v. BALTHASAR, in: *Dienst aus der größeren Liebe zu Christus*, Freiburg i. Br. 1979, 51-69. Ital.: D. GRASSO, in: *Rivista del Clero italiano* 60 (1979) 502-507; CC 130/II (1979) 105-113; C. SORGI, in: OR 12-IV-1979, 1. Neer.: A. VAN HOOFF, in: *Communio. Internationaal Katholiek Tijdschrift* 4 (1979) 379-388.

1. *Vobis sum Episcopus, vobiscum sacerdos*

[393] Novo incipiente Nostro in Ecclesia ministerio, oportere prorsus existimamus vos ipsos Nos alloquamur, vos — inquamus — omnes, nullo quidem excepto, Sacerdotes tam dioecesanos quam religiosos qui Nostri estis fratres propter Ordinis sacramentum. Iam a principio Nostram testificari volumus fidem erga illam vocationem quae vos cum Episcopis vestris consociat peculiari in quodam sacramenti ministerii que consortio quo Ecclesia aedificatur, Christi mysticum corpus. [...]

Vos scilicet sine intermissione cogitamus, pro vobis precamur, vobiscum conquirimus vias spiritalis coniunctionis operaeque adiutricis, quoniam vi Ordinis sacramenti, quod etiam Nos ex manibus recepimus Episcopi Nostri (metropolitae Cracoviensis Adami Stephani Cardinalis Sapieha, periturae numquam memoriae), vos Nostri estis fratres. Accommodatis proin ad rem notis Sancti Augustini verbis, cupimus hodie dicere vobis: «Vobis sum Episcopus, vobiscum sum Sacerdos». <sup>3</sup> Insignis enim hodie offertur occasio quae Nos adducit ut nonnullos animi sensus Nostros per hanc vobis epistolam commendemus,

<sup>3</sup> «Vobis enim sum episcopus, vobiscum sum christianus»; *Serm.* 340, 1: PL. 38, 1483.

instante scilicet Feria V in Cena Domini. Haec annua sunt sacerdotii nostri sollemnia quae totum congregant cuiusque dioecesis Presbyterium circa Episcopum proprium communi in Eucharistiae celebratione. Hoc pariter die cuncti rogantur Sacerdotes ut coram et cum Episcopo suo renovent promissa iam Ordinationis sacerdotalis tempore data. Id Nobis vicissim permittit ut una cum singulis Fratribus in Episcopatu Nostris praesentes adsimus inter vos speciali vobiscum constricti vinculo unitatis, ac praesertim ut in medio ipso Iesu Christi intersimus mysterio cuius omnes nos sumus participes. [...]

3. «Ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur»<sup>7</sup>

3690 [396] Plenius explanavit Concilium Vaticanum II ipsam notionem sacerdotii, cum id intra magisterii sui summam praebuit [397] veluti exteriorem declarationem virium interiorum, videlicet illorum «motuum dynamicorum» per quos totius Populi Dei munus in Ecclesia conformatur. Hic necesse omnino est ad Constitutionem *Lumen Gentium* recurratur eiusque diligenter relegantur partes ad rem attinentes. Missio Populi Dei impletur per communicationem muneris et officii Iesu Christi ipsius quod — ut constat — triplicem habet proprietatem: est missio et munus Prophetiae et Sacerdotis et Regis. Si loci conciliares accurate inspiciantur, patet loquendum potius esse de triplici ratione ministerii ac muneris Christi quam de tribus diversis officiis. Haec enim inter se penitus cohaerent ac mutuo pariter explicant, afficiunt, illustrant. Quocirca ab eadem triplici unitate proficiscitur nostra communicatio missionis munerisque Christi. Nos, ut Christiani et membra Populi Dei et dein ut Sacerdotes hierarchici ordinis participes, exorimur tota ex summa missionis ac muneris Magistri nostri qui Propheta, Sacerdos est et Rex ut peculiare ipsi in Ecclesiae testimonium reddamus et coram mundo.

Sacerdotium quod per Ordinis sacramentum participamus quodque in perpetuum est animis in nostris «impressum» per singulare Dei signum, id est characterem, explicato modo cohaeret cum sacerdotio communi fidelium, omnium nempe baptizatorum, a quo tamen simul differt «essentia et non gradu tantum». <sup>8</sup> Hac quidem ratione vim plenam suam verba accipiunt auctoris Epistulae ad Hebraeos de sacerdote qui «ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur». <sup>9</sup> Melius autem hic relegere est Concilii locum praeclarum omnem qui principales illuminat veritates de nostra in Ecclesia vocatione: «Christus Dominus, Pontifex ex hominibus assumptus (cf. *Hebr.* 5, 1-5) novum populum «fecit ... regnum, et sacerdotes Deo et Patri suo» (*Ap.* 1, 6; cf. 5, 9-10). Baptizati enim, per regenerationem et [398] Spiritus Sancti unctionem consecrantur in domum spiritualem et sacerdotium sanctum, ut per omnia opera hominis christiani spirituales offerant hostias, et virtutes annuntient Eius qui de tenebris eos vocavit in

<sup>7</sup> *Hebr.* 5, 1.

<sup>8</sup> *Lumen gentium*, n. 10.

<sup>9</sup> *Hebr.* 5, 1.



admirabile lumen suum (cf. *1 Petr.* 2, 4-10). Ideo universi discipuli Christi, in oratione perseverantes et collaudantes Deum (cf. *Act.* 2, 42-47), seipsos hostiam viventem, sanctam, Deo placentem exhibeant (cf. *Rom.* 12, 1), ubique terrarum de Christo testimonium perhibeant, atque poscentibus rationem reddant de ea, quae in eis est, spe vitae aeternae (cf. *1 Petr.* 3, 15).

Sacerdotium autem commune fidelium et sacerdotium ministeriale seu hierarchicum, licet essentia et non gradu tantum differant, ad invicem tamen ordinantur; unum enim et alterum suo peculiari modo de uno Christi sacerdotio participant. Sacerdos quidem ministerialis, potestate sacra qua gaudet, populum sacerdotalem efformat ac regit, sacrificium eucharisticum in persona Christi conficit illudque nomine totius populi Dei offert; fideles vero, vi regalis sui sacerdotii, in oblationem Eucharistiae concurrunt, illudque in sacramentis suscipiendis, in oratione et gratiarum actione, testimonio vitae sanctae, abnegatione et actiosa caritate exercent». <sup>10</sup>

#### 4. Sacerdos Christi donum communitati destinatum

Funditus etiam atque etiam ponderare nos decet non tantum significationem theoreticam, verum usum etiam in effectum illius mutuae «necessitudinis» quae inter sacerdotium hierarchicum existit ac sacerdotium commune fidelium. Si ea inter se non gradu solo sed essentia differunt, hoc contingit profecto ob eximiam ubertatem ipsius sacerdotii Christi qui unicus fons est et quasi centrum tum participationis cunctorum baptizatorum propriae tum alterius participationis quae nobis per sacramentum peculiare tribuitur: videlicet per Ordinis sacramentum. Istud porro sacramentum, dilecti Fratres, quod nobis peculiare est nec non fructus singularis gratiae vocationis et fundamentum identitatis nostrae, efficit — suapte ex natura et ex iis omnibus quae in vita nostra operaque id agit — ut fideles sibi [399] conscii fiant communis sacerdotii sui illudque compleant; <sup>11</sup> nam commonet eos esse Populum Dei et aptos reddit ad offerendas «spiritalis hostias» illas <sup>12</sup> per quas Christus ipse nos Patri offert tamquam donum aeternum. <sup>13</sup> Quod tum maxime evenit cum sacerdos «potestate sacra qua gaudet ... sacrificium eucharisticum in persona Christi conficit illudque nomine totius populi Deo offert», <sup>14</sup> sicut in memorato conciliari loco legitur.

Nostrum propterea sacerdotium sacramentale est sacerdotium «hierarchicum» simulque «ministeriale». Peculiare quidem ministerium constituit, nempe «servitium» credentium communitati exhibendum. At tamen originem suam non ducit ex illa communitate, quasi huius sit «vocare» vel «delegare». Ipsum vero donum est ad eiusdem communitatis utilitatem, quod ex Christo ipso exoritur, nempe ex sacerdotii

<sup>10</sup> *Lumen gentium*, n. 10.

<sup>11</sup> Cf. *Eph.* 4, 11 s.

<sup>12</sup> Cf. *1 Petr.* 2, 5.

<sup>13</sup> Cf. *ibid.* 3, 18.

<sup>14</sup> Cf. *Lumen gentium*, n. 10.

eius plenitudine. Quae quidem plenitudo in eo declaratur quod Christus, dum universos idoneos perficit ad sacrificium spirituale offerendum, quosdam vocat et praeparat ut ministri sint eiusdem Domini sacrificii sacramentalis, Eucharistiae videlicet, ad quam offerendam cuncti fideles concurrunt et in quam spiritalia Populi Dei sacrificia inseruntur.

Haec omnia explorata habentes, intellegimus quo pacto sacerdotium nostrum sit «hierarchicum» — scilicet colligatum cum ipsa potestate efformandi ac regendi sacerdotalis populi<sup>15</sup> — et hanc prorsus ob causam «ministeriale». Officium istud implemus nos quo ipse Christus perpetuo servit Patri in opere nostrae salutis. Cuncta sacerdotalis vita nostra penetratur ac debet quidem pervadi servitio illo, si convenienter volumus sacrificium eucharisticum in persona Christi conficere. [...]

#### 5. In Boni Pastoris ministerio

- 3692 [...] [401] Revera Iesu Christi sacerdotium prima origo est ac significatio perseverantis semperque efficacis curae de nostra salute quae nos sinit ipsum contemplari ut Bonum Pastorem. Nonne voces illae: «bonus pastor animam suam ponit pro ovibus»,<sup>21</sup> referuntur ad Crucis Sacrificium, id est ad postremum actum sacerdotii Christi? Nonne demonstrant omnibus nobis, quos per Ordinis sacramentum Christus Dominus sui participes effecit Sacerdotii, viam etiam nobis percurrendam? Nonne etiam nos docent vocationem nostram esse peculiarem curam de proximi nostri salute? eam vero curam esse profecto singularem rationem cur vitam nostram sacerdotalem agamus? eam denique curam tribuere sensum vitae nostrae ac per eam solam nos reperire posse plenam significationem vitae nostrae, perfectionem nostram et sanctitatem? Argumentum illud pluribus locis tractatur in Decreto Concilii *Optatam Totius*.<sup>22</sup> [...]

#### 7. Dispensator ac testis

- 3693 [403] Sacerdotalis vita superstruitur fundamento ipsius sacramenti Ordinis quod in anima nostra signum inculpit indelebilis characteris. Quod quidem signum, in naturae nostrae humanae penetralibus impressum, habet vim dynamicam suam ipsius «personalitatis» propriam. Etenim «personalitas» sacerdotalis signum aliis atque indicium esse debet clarum et liquidum. Haec prima nimirum condicio ministerii pastoralis est nostri. [...] [404] Denique necessarius hominibus ille semper comprobabitur sacerdos solus qui conscius sibi est plenae significationis proprii sacerdotii: sacerdos qui radicitus credit, qui fidem fortiter profitetur, qui vehementer precatur, qui persuasa omnino sibi docet, qui famulatur, qui Beatitudinum principia in vita propria implet, qui cum suae utilitatis contemptione diligere scit, qui omnibus proximus adest, praesertim vero egenis. [...]

<sup>15</sup> Cf. *Lumen gentium*, n. 10.

<sup>21</sup> *Io.* 10, 11.

<sup>22</sup> Cf. nn. 8-11; 19 s.

[405] Homines nostri in fide fratres atque etiam non credentes petunt a nobis ut semper commonstrare sibi possimus hunc ipsum rerum prospectum, ut eius simus germani testes, ut gratiae simus dispensatores ac ministri Verbi Dei. Volunt simul homines precationi dediti. Inter nos praeterea inveniuntur etiam illi qui vocationem suam sacerdotalem peculiari vinculo coniunxerunt cum vita adsiduae precis ad paenitentiae secundum formam stricte contemplativam quorundam ordinum religiosorum. Meminerint ii ministerium sacerdotale suum etiam sub hac forma insigniter ordinari ad maximam curam Boni Pastoris, sollicitam videlicet curam salutis cuiusque hominis. [...]

#### 8. De caelibatus significatione

[...] [406] Voluit Ecclesia Latina etiamque nunc vult ut, secundum eiusdem Christi Domini exemplum et apostolicam doctrinam cunctamque traditionem sibi propriam, omnes illi qui Ordinis recipiunt sacramentum amplectantur renuntiationem hanc propter Regnum caelorum. [...] 3694

[407] Causarum vero nulla veritati respondet istarum quibus interdum nobis conantur «persuadere» inopportunum esse caelibatum quem Ecclesia extollat contendatque in vita ipsa efficere per vinculum et onus quod ante ordinationem sacram in se recipiunt Sacerdotes. Ratio, contra, essentialis, propria, congruens continetur in veritate illa quam Christus aperuit, cum de matrimonii renuntiatione propter Regnum caelorum est locutus quamque Sanctus Paulus protulit, cum scripsit unumquemque proprium habere donum ex Deo. <sup>36</sup> Caelibatus autem ipsum nominatim est «donum Spiritus». Simile quidem, etsi diversum, continetur donum in vocatione ad verum fidelemque amorem conubialem qui intra permagnum Matrimonii sacramenti ambitum dirigitur ad pro[408]creationem secundum carnem. [...]

#### 9. Probatio et officium

[409] Ambiguitatis error est — si minus iam malae fidei — opinio ista latius saepe diffusa quae nihil aliud in Ecclesia catholica sacerdotalem caelibatum esse affirmat nisi quoddam simplex institutum lege illis iniunctum qui Ordinis sacramentum suscipiant. Atqui novimus sane omnes non ita se rem habere. Quilibet Christianus, Ordinis recepturus sacramentum, officio sese caelibatus obstringit plena quidem cum conscientia ac libertate, postquam plurium annorum praeparationem absolvit in eamque rem deliberationem accuratam et precem plurimam contulit. [...] Fidelitas erga illam propriam promissionem simul officium est, simul probatio interioris maturitatis ipsius sacerdotis, simul etiam huius dignitatis indicium. Id quod clarissime quidem demonstratur, quotiens fides illa Christo praestita per conscium liberumque consilium observandi [410] caelibatus in vitae perpetuitatem occurrit difficultatibus vel probatur vel aliunde etiam temptatur; quae omnia Sacerdoti minime parcunt, sicut non alii cuivis homini et Christiano. Illis dis-

<sup>36</sup> Cf. I Cor. 7, 7.

criminis temporibus adiumentum conquirere sibi quisque debet in fervidissima prece. Per precationem videlicet reperire eum oportet in se habitum illum et affectum humilitatis ac sinceritatis erga Deum propriamque conscientiam, qui fons ipse sit virium ad vacillantia sustentanda. Tum omnino fiducia nascitur similis illi quam Sanctus Paulus patefecit dicens: «Omnia possum in eo qui me confortat». <sup>40</sup> [...] Fortasse hic non sine iusta ratione addi decet officium ipsum conubialis fidelitatis, a Matrimonii sacramento profectum, inferre secum consimiles obligationes atque interdum fieri etiam campum parium probationum et experientiarum pro coniugibus ipsi — viris ac mulieribus — qui ita etiam «igne examinati» opportunitatem accipiunt firmitudinis experiendae sui amoris. Singuli enim in partibus suis amor non sola vocatio est, verum etiam obligatio. Confitemur postremo fratres nostros [411] et sorores matrimonio vinctos posse iusto iure expectare a nobis, Sacerdotibus et Pastoribus, exemplum bonum ac testimonium fidelitatis erga vocationem usque ad mortem; fidelitatis, inquam, in vocationem quam per sacramentum Ordinis elegimus nos, sicut illi eam deligunt per Matrimonii sacramentum. Hoc etiam loco modoque debemus percipere sacerdotium ministeriale nostrum velut «subordinationem» communi sacerdotio omnium fidelium, laicorum, maxime autem eorum qui in conubio vivunt familiamque efficiunt. [...]

#### 10. *Conversio est cotidie necessaria*

3696 [...] [412] Se ipsos convertere idem est ac «semper orare et non deficere». <sup>49</sup> Oratio est quodammodo conversionis, spiritalis profectus, sanctitatis prima et ultima condicio. Novissimis his annis — saltem in nonnullis hominum ordinibus et circulis — nimis [413] fortasse de sacerdotio est disputatum, de sacerdotis «identitate», de momento eius praesentiae in mundo huius temporis hisque similibus, cum, contra, parum sit oratum. Impar fuit studium ipsum sacerdotium orando perficiendi eiusque veram evangelicam virtutem dynamicam reddendi efficacem, sacerdotalem «identitatem» confirmandi. Oratione significatur sacerdotii habitus essentialis, qui sine illa deformatur. Oratione adiuvamur ut illam semper reperiamus lucem quae nos ab initio sacerdotalis nostrae vocationis duxit quaeque continenter nos ducit, etsi interdum tenebris obscurari videtur. Oratione datur ut continuo nos ad Deum convertamus, in adsidua animi intentione ad Deum perseveremus quae nobis omnino opus est, si alios ad eum adducere volumus. Oratione iuvamur ad credendum, ad sperandum, ad amandum, tum etiam cum humana nostra fragilitate impedimur. Oratione praeterea sine intermissione perspicimus rationes illius Regni pro quo, ut veniat, cotidie ipsis quae Christus nos docuit verbis precamur. Tunc intellegimus quod nostrum sit munus in hac petitione «Adveniat Regnum tuum» implenda quamque necessarii simus ut ea ad ef-

<sup>40</sup> *Phil.* 4, 13.

<sup>49</sup> *Lc.* 18, 1.

fectum adducatur. Et orantes facilius fortasse videbimus eas «regiones quia albae sunt ad messem»,<sup>50</sup> et percipiemus quid verba sonent quae, ipsas aspiciens, Christus dixit: «Rogate ergo Dominum messis ut mittat operarios in messem suam».<sup>51</sup>

Oratio autem continenter iungenda est operae qua nos ipsos exerceamus quaeque est formatio permanens. Ut iure monet Documentum, hac de re a Sacra Congregatione pro Clericis editum,<sup>52</sup> oportet eiusmodi formatio interior sit seu ad altius excolendam sacerdotis vitam spiritualem et etiam pastoralem et intellectualem (philosophiam et theologiam) pertinens. [...]

[415] Opus est cotidie nos convertamus, cotidie donum recuperemus quod ab ipso Christo in Ordinis sacramento accepimus, sive vim muneris salutiferi Ecclesiae perspicientes sive, huius muneris luce affulgente, altam significationem vocationis nostrae animo voluntates.

### 11. De sacerdotum Matre

Dilecti Nobis Fratres! Ministerium Nostrum ineuntes Christi Matri 3697  
vos commendamus quae peculiari ratione est Mater nostra: Mater Sacerdotum. Re enim vera discipulus, quem Dominus potissimum diligebat quique, cum esset unus e Duodecim, in Cenaculo haec dicta audierat: «hoc facite in meam commemorationem»,<sup>56</sup> a Christo, e cruce pendente, Matri ipsius est commonstratus hisce verbis: «ecce filius tuus». <sup>57</sup> Vir ille qui die, qua Cena est facta, potestatem Eucharistiae celebrandae accepit, his ipsis verbis Redemptoris morientis traditus est Matri eius ut «filius». Nos ergo omnes qui vi sacramentalis ordinationis eandem facultatem sumus adepti quodammodo prae ceteris iure fruimur illam Matrem nostram habendi. [...]

[416] Haec vobiscum communicantes initio ministerii Nostri quo Ecclesiae universali deservimus, non desinimus Deum rogare ut vos, Sacerdotes Iesu Christi, omni benedictione et gratia repleat, et, quasi pignus et confirmationem dantes eiusmodi communionis precibus solidatae, ex animo vobis benedicimus in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Accipite hanc benedictionem, accipite verba novi Successoris [417] beati Petri cum Dominus praecepit: «et tu, aliquando conversus, confirma fratres tuos». <sup>59</sup> Nolite desistere pro Nobis una cum universa Ecclesia orare ea mente ut iis respondeamus quae principatus postulat amoris quem Dominus veluti fundamentum muneris beati Petri voluit esse, cum ei dixit: «Pasce oves meas». <sup>60</sup> Amen.

<sup>50</sup> Io. 4, 35.

<sup>51</sup> Mt. 9, 38.

<sup>52</sup> Cf. Litterae Circulares 4 Nov. 1969 datae: AAS 62 (1970) 123 ss.

<sup>56</sup> Lc. 22, 19.

<sup>57</sup> Io. 19, 26.

<sup>59</sup> Lc. 22, 32.

<sup>60</sup> Io. 21, 16.

## «Sapientia christiana»

Die 15 aprilis 1979 Ioannes Paulus II per Constitutionem Apostolicam normas circa studiorum Universitates et Facultates Ecclesiasticas decrevit. Quaedam normae etiam scientiam liturgicam et Liturgiae studium quodammodo afficiunt.

ED. - Lat.: AAS 71 (1979) 469-499. Gall.: DC 76 (1979) 551-561. Germ.: VAS 9, 4-30; ÖfKR 30 (1979) 372-388. Hisp.: *Constitución Apostólica «Sapientia Christiana»*, Madrid 1979. Ital.: EV 6, 947-997; RD 24 (1979) 306-313; *Sapientia Christiana* = Servizio dell'Unità 19, Leumann (Torino) 1979, 3-38. Neer.: AK 34 (1979) 773-792.

COMM. - Germ.: H. SCHMITZ, in: AfKR 150 (1981) 45-90 et 477-527. Ital.: P. DEZZA, in: CC 130/II (1979) 431-443; ID., in: *Rassegna di Teologia* 20 (1979) 322-332. G.M. GARRONE, in: OR 25/26-V-1979, 5.

## PARS ALTERA. NORMAE SPECIALES

## Titulus I. DE FACULTATE SACRAE THEOLOGIAE

- 3698 [491] Art. 66. Facultas Sacrae Theologiae eo tendit ut doctrina catholica, ex divina Revelatione maxima cura hausta, methodo scientifica sibi propria alte perspiciatur et systematice enucleetur; atque humanorum problematum solutiones sub ipsius Revelationis lumine sedulo investigentur.
- 3699 Art. 67 § 1. Sacrae Scripturae studium sit veluti anima [492] Sacrae Theologiae, quae in verbo Dei scripto, una cum viva Traditione, tamquam in perenni fundamento innititur. <sup>18</sup>  
 § 2. Singulae vero disciplinae theologicae ita tradantur ut, ex internis rationibus proprii cuiusque obiecti et in conexione cum aliis disciplinis etiam philosophicis necnon cum scientiis anthropologicis, unitas totius institutionis theologicae aperte clarescat, omnesque vergant ad intime cognoscendum Christi mysterium, populo Dei omnibusque gentibus efficacius inde annuntiandum.
- 3700 [493] Art. 70. In doctrina catholica investiganda et docenda fidelitas erga Ecclesiae Magisterium semper eluceat. In docendi munere explen-

<sup>18</sup> Cf. *Dei Verbum*, n. 24.

do, praesertim in cyclo institutionali, ea imprimis tradantur, quae ad patrimonium acquisitum Ecclesiae pertinent. Probabiles et personales opiniones, quae ex novis investigationibus oriantur, nonnisi ut tales modeste proponantur.

Art. 71. In doctrina tradenda normae serventur, quae in documentis Concilii Vaticani II continentur, <sup>22</sup> necnon in recentioribus Apostolicae Sedis documentis, <sup>23</sup> quatenus etiam studia academica respiciunt. 3701

Art. 72. Studiorum curriculum Facultatis Sacrae Theologiae complectitur: 3702

a) primum cyclum, institutionalem, qui per quinquennium seu decem semestria protrahitur, vel per triennium, si biennium philosophicum antea requiratur.

Praeter solidam institutionem philosophicam, cuius studium est necessario propedeuticum theologiae, disciplinae theologicae ita tradantur ut organica expositio totius doctrinae catholicae praebeatur, una cum introductione in methodum scientificae investigationis theologicae.

Cyclus concluditur gradu academico Baccalaureatus vel alio congruo gradu academico in Statutis determinando.

b) secundum cyclum, *specializationis*, qui protrahitur per biennium seu quattuor semestria.

In eo disciplinae speciales secundum diversam *specializationis* indolem traduntur, ac seminaria et exercitationes habentur ad scientificae investigationis theologicae usum acquirendum.

[494] Cyclus concluditur gradu academico Licentiae *specializatae*.

c) tertium cyclum, quo per congruum tempus scientifica formatio theologica perficitur, praesertim per dissertationis doctoralis elaborationem.

Cyclus concluditur gradu academico Doctoratus. 3703

Art. 74. § 1. Facultatis Sacrae Theologiae peculiare officium est curare scientificam formationem theologicam eorum, qui ad presbyteratum contendunt vel ad specialia munera ecclesiastica praeparantur.

§ 2. Ad hunc finem speciales etiam disciplinae, sacrorum alumni accommodatae, praesto sint; immo opportune ab ipsa Facultate ad pastorem formationem complendam institui potest «Annus pastoralis», qui post absolutum quinquennium institutionale ad presbyteratum requiritur et collatione specialis Diplomatis concludi potest.

## Titulus II. DE FACULTATE IURIS CANONICI

Art. 75. Facultas Iuris Canonici, Latini vel Orientalis, disciplinas canonicas in lumine legis evangelicae excolere ac provehere intendit, in 3704

<sup>22</sup> Cf. praesertim *Dei Verbum* et *Optatam totius*.

<sup>23</sup> Cf. praesertim Pauli VI Epist. *Lumen Ecclesiae* de S. Thoma Aquinate, 20 Nov. 1974: AAS 66 (1974) 673 ss., et SCIC Litteras: de institutione theologica (22 Febr. 1976); de institutione canonica (1 Mart. 1975); de institutione philosophica (20 Ian. 1972).

iisdemque studentes altius instituere ut ad investigationem et magistrum formentur necnon ad peculiaria munera ecclesiastica obeunda praeparentur.

- 3705 *Art. 76.* Studiorum curriculum Facultatis Iuris Canonici complectitur:
- a)* primum cyclum, saltem per annum seu duo semestria [495] protrahendum, in quo studium impenditur generalibus Institutionibus Iuris Canonici, iisque disciplinis, quae ad superiorem formationem iuridicam requiruntur;
  - b)* secundum cyclum, per biennium seu quattuor semestria protrahendum, qui integri Codicis Iuris Canonici altiori studio impenditur, addito studio affinium disciplinarum;
  - c)* tertium cyclum, saltem per annum seu duo semestria protrahendum, quo iuridica formatio perficitur et dissertatio doctoralis elaboratur.



## «Scripturarum thesaurus»

Die 25 aprilis 1979 Ioannes Paulus II per Constitutionem Apostolicam novam vulgatam Bibliorum Sacrorum editionem «typicam» declaravit et promulgavit.

ED. - Lat.: AAS 71 (1979) 557-559; N 15 (1979) 233-235. Gall.: DC 76 (1979) 454. Hisp.: E 39 (1979) 589. Ital.: EV 6, 941-945. Neer.: AK 34 (1979) 1060-1062.

COMM. - Germ.: F. LENTZEN-DEIS, in: BuL 52 (1979) 204-207. Ital.: T. STRAMARE, in: Rivista Biblica 27 (1979) 331-338; S. GAROFALO, in: OR 28-IV-1979, 3.

[557] Scripturarum thesaurus, quo salvificus nuntius a Deo hominibus datus continetur — ait enim recte S. Augustinus: «de illa civitate unde peregrinamur, litterae nobis venerunt: ipsae sunt ... quae nos hortantur ut bene vivamus» (*Enarr. in ps. XC*, s. 2, 1: PL 37, 1159) — ab Ecclesia merito semper summo in honore est habitus singularique diligentia custoditus. Quae quidem ab ipsis initiis suis numquam desiit curare, ut populus christianus quam amplissima frueretur facultate Dei verbum percipiendi, praesertim in sacra Liturgia, in qua celebranda «maximum est Sacrae Scripturae momentum» (*Sacrosanctum Concilium*, n. 24). Ecclesia ergo in partibus occidentalibus illam ceteris versionibus anteposuit, quae Vulgata solet appellari quaeque maximam partem a S. Hieronymo, doctore praeclaro, confecta, «tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata» est (Conc. Trid., sess. IV; *Enchir. Bibl.*, n. 21). Tam egregiae existimationi documento est etiam cura eius textum ad cri[558]ticam rationem apparandi, ac quidem per editionem, quae secundum altiorem doctrinam adhuc concinnatur a monachis Abbatiae S. Hieronymi in Urbe, a Pio XI, Decessore Nostro fel. rec., ad hoc institutae (Const. Apost. *Inter praecipuas*, 15 Iun. 1933: AAS 26 [1934] 85 ss.). Aetate autem nostra Concilium Vaticanum II, honorem confirmans editioni illi, quam Vulgatam vocant, tributum (*Dei verbum*, n. 22), atque eo contendens, ut in Liturgia Horarum facilior esset intellectus Psalterii, statuit, ut huius recognoscendi opus, feliciter inchoatum, «quamprimum perduceretur ad finem, respectu habito Latinitatis christianae necnon totius traditionis Ecclesiae» (*Sacrosanctum Concilium*, n. 91).

3706

His omnibus Paulus VI, Decessor Noster fel. mem., motus est, ut antequam eidem Concilio finis imponeretur, id est die XXIX mensis No-

3707

vembris anno MCMLXV, peculiarem Pontificiam Commissionem constitueret, cuius esset universalis eiusdem Synodi iussum perficere atque omnes Sacrae Scripturae libros recognoscere, ut Ecclesia praedita esset editione Latina, quam progredientia studia biblica postularent quaeque potissimum rei liturgicae inserviret. In qua recognitione efficienda «ad verbum ratio habita est veteris textus editionis Vulgatae, ubi videlicet primigenii textus accurate referuntur, quales in hodiernis editionibus, ad criticam rationem exactis, referuntur; prudenter vero ille est emendatus, ubi de iis deflectit vel minus recte eosdem interpretatur. Quam ob rem Latinitas biblica christiana est adhibita, ita ut aequa aestimatio traditionis cum iustis postulationibus artis criticae, his temporibus vigentis, temperaretur» (cf. Alloc. Pauli VI, 23 Dec. 1966: AAS 59 [1967] 53 s.).

- 3708 Textus, ex hac ipsa recognitione exortus, quae quidem impensior fuit in quibusdam libris Veteris Testamenti, quibus S. Hieronymus manus non admovit, ab anno MCMLXIX ad annum MCMLXXVII seiunctis voluminibus est editus, nunc vero editione «typica», uno volumine comprehensa, proponitur. Haec Nova Vulgata editio etiam huiusmodi esse poterit, ut ad eam versiones vulgares referantur, quae usui liturgico et pastorali destinantur; atque, ut verbis utamur Pauli VI, Decessoris Nostri, «cogitare licet eam certum quoddam fundamentum esse, in quo studia biblica ... innitantur, maxime ubi bibliothecae, specialibus disciplinis patentes, difficilius consuli possunt et congruentium studiorum diffusio est impeditior» (cf. Alloc., 22 Dec. 1977: AAS 70 [1978] 43). Praeteritis temporibus Ecclesia arbitrabatur veterem Vulgatam editionem sufficere atque ad verbum Dei populo christiano impertendum affatim valere: quod quidem eo satius iam efficere poterit haec Nova Vulgata editio.
- 3709 Itaque opus, quod Paulus VI vehementer optavit neque ad finem [559] absolutum potuit videre, quod Ioannes Paulus I studiosa voluntate est prosecutus, qui Pentateuchi libros, a praedicta Pontificia Commissione recognitos, sacrorum Antistitibus in urbem «Puebla» congressuris muneris mittere statuerat quodque Nosmet ipsi una cum multis ex orbe catholico valde exspectavimus, typis excusum Ecclesiae iam tradere gaudemus. Quae cum ita sint, Nos harum Litterarum vi Novam Vulgatam Bibliorum Sacrorum editionem «typicam» declaramus et promulgamus, praesertim in sacra Liturgia utendam, sed et aliis rebus, ut diximus, accommodatam. Volumus denique, ut haec Constitutio Nostra firma et efficax semper sit et ab omnibus, ad quos pertinet, religiose servetur, contrariis quibuslibet nihil obstantibus.

## De studiis theologicis

Die 29 aprilis 1979 SCIC Ordinationes ad Constitutionem Apostolicam «Sapientia christiana» rite exsequendam edidit, in quibus etiam studium Liturgiae respicitur.

ED.- Lat.: AAS 71 (1979) 500-517. Gall.: DC 76 (1979) 561-568. Germ.: VAS 9, 32-45; ÖAfkR 31 (1980) 88-97. Hisp.: *Constitución Apostólica «Sapientia Christiana»*, Madrid 1979. Ital.: EV 6, 999-1033; *Sapientia Christiana* = Servizio dell'Unità 19, Leumann (Torino) 1979, 39-62. Neer.: AK 34 (1979) 791-803.

COOM. - Germ.: H. SCHMITZ, in: AfkKR 150 (1981) 45-90 et 477-527. Neer.: AK 34 (1979) 803-804.

## PARS ALTERA. NORMAE SPECIALES

Titulus I. DE FACULTATE SACRAE THEOLOGIAE  
(Const. Apost., art. 66-74)

[512] Art. 50. Disciplinae theologicae ita tradantur ut earum organicus nexus clare appareat et in luce ponantur variae rationes seu *dimensiones*, quae ad doctrinae sacrae indolem intrinsecus pertinent, sicuti imprimis sunt biblica, patristica, historica, liturgica et pastoralis. Studentes vero ducantur ad profundam materiae acquisitionem simulque ad personalem synthesim formandam, ad methodum inquisitionis scientificae comparandam atque idonei fiant ad sacram doctrinam apte exponendam. 3710

[513] Art. 51. Disciplinae obligatoriae sunt: 3711

1° in primo cyclo:

a) Disciplinae philosophicae ad theologiam requisitae, quales sunt imprimis Philosophia systematica, cum praecipuis suis partibus, et eius *evolutio* historica.

b) Disciplinae theologicae, nempe:

- Sacra Scriptura: introductio et exegesis;
- Theologia fundamentalis, ratione habita quaestionum de oecumenismo, de religionibus non christianis atque de atheismo;
- Theologia dogmatica;
- Theologia moralis et spiritualis;
- Theologia pastoralis;

- Liturgia;
- Historia ecclesiastica, Patrologia et Archaeologia;
- Ius Canonicum.

c) Disciplinae auxiliares, nempe quaedam scientiae hominis et, praeter linguam Latinam, linguae biblicae quatenus ad sequentes cyclos requirantur.

2° in secundo cyclo:

Disciplinae speciales, quae opportune in variis *sectionibus* instituuntur secundum diversas *specializationes*, cum propriis exercitationibus et seminariis, quadam quoque commentatione conscripta.

3° in tertio cyclo:

Determinent Facultatis Statuta an et quatenus disciplinae speciales tradendae sint, cum exercitationibus et seminariis.

- 3712 *Art. 52.* In quinquennio institutionalis primi cycli sedulo curandum est ut omnes disciplinae eo ordine, amplitudine ac propria methodo tractentur ut harmonice et efficaciter ad finem conspirent tradendi studentibus solidam, organicam et completam institutionem in re theologica, qua apti fiant tum [514] ad superiora studia in secundo cyclo proseguenda tum ad certa ecclesiastica munera rite exercenda.

#### Titulus II. DE FACULTATE IURIS CANONICI (Const. Apost., art. 75-78)

- 3713 *Art. 55.* In Facultate Iuris Canonici, Latini vel Orientalis, curandum est ut tum historia et textus legum ecclesiasticarum tum earundem ratio et nexus modo scientifico exponantur.

- 3714 *Art. 56.* Disciplinae obligatoriae sunt:

1° in primo cyclo:

a) Institutiones generales Iuris Canonici;

b) Elementa Sacrae Theologiae (praesertim ex Ecclesiologia et Theologia sacramentaria) et Philosophiae (praesertim ex Ethica et Iure naturali), quae suapte natura requirantur ante studium Iuris Canonici; quibus utiliter addi possunt elementa ex scientiis anthropologicis cum scientia iuridica conexis.

2° in secundo cyclo:

a) Codex Iuris Canonici secundum omnes eius partes, aliaeque leges canonicae;

[515] b) Disciplinae conexae, cuius modi sunt: Philosophia Iuris, Ius publicum ecclesiasticum, Institutiones Iuris Romani, Elementa Iuris Civilis, Historia Iuris Canonici, cum propriis exercitationibus et seminariis, quadam quoque commentatione conscripta.

3° in tertio cyclo:

Determinent Statuta Facultatis, quae disciplinae speciales et exercitationes atque seminaria praescribenda sint secundum propriam Facultatis naturam et peculiare studentium necessitates.

[517] Quas Ordinationes omnes et singulas SS. mus D.N. Ioannes Paulus divina Providentia PP. II ratas habuit, confirmavit, evulgari iussit, contrariis quibuscumque non obstantibus.

## De quaestionibus eschatologicis

Die 17 maii 1979 SCDF ad Praesides Conferentiarum Episcoporum Epistulam «de quibusdam quaestionibus ad eschatologiam spectantibus» misit. In qua Epistula etiam quaestiones ad Liturgiam pertinentes attinguntur.

ED. - Lat.: AAS 71 (1979) 939-943; N 15 (1979) 566-570. Angl.: J 39 (1979) 500-503. Gall.: DC 76 (1979) 708-710. Germ.: VAS 11. Hisp.: E 39 (1979) 937-938. Ital.: EV 6, 1035-1043; RD 24 (1979) 356-357. Neer.: AK 34 (1979) 813-816; *Analecta voor het bisdom Roermond* 60 (1979) 152-156.

COMM. - Hisp.: M. RAMOS, in: Ph 19 (1979) 460-462.

[939] Recentiores episcoporum Synodi, quae evangelizationi atque catecheticae institutioni operam dederunt, magis magisque persuasionem confirmaverunt de necessitate perfectae fidelitatis servandae erga fundamentales fidei veritates, nostris praesertim temporibus, quibus magnae humani consortii mutationes nec non studia christianam fidem inserendi diversis populorum culturis iubent maiore quam antea aetate nisu contendere, ut eadem fides facilius percipi atque communicari queat. Haec altera necessitas, quae tantopere urgere animadvertitur, reapse quam maximam postulat curam ut fidei verus sensus atque integritas in tuto ponantur. 3715

Quapropter ii, ad quos res pertinet, summopere attentos se praeberere debent ad ea omnia quae in communem fidelium conscientiam inducere possint lentam corruptionem et progredientem dissolutionem alicuius elementi Symboli baptismalis, quod necessarium est ad cohaerentiam fidei quodque indissolubili nexu coniungitur cum quibusdam magni momenti usibus in vita Ecclesiae receptis.

In unum sane ex his elementis nobis necessarium et urgens visum est mentem convertere eorum, quibus Deus munus commisit fidei promovendae atque tutandae, ut pericula praecaveantur, quae eandem fidem in animo fidelium in discrimen adducere possint.

Agitur de eo Symboli articulo qui vitam aeternam respicit ac proinde, generatim, ea quae post mortem futura sunt. In hac doctrina proponenda fas non est aliquid detrahi, neque imperfectam aut incertam agendi rationem adhiberi absque fidei ac salutis fidelium periculo.

\* \* \*

3716 Neminem fugit momentum huius postremi articuli Symboli baptismalis: per ipsum enim terminus ac finis exprimuntur consilii Dei, cuius iter in Symbolo describitur. Si resurrectio non datur, tota cor- [940]ruit fidei structura, ut Sanctus Paulus tam firmiter asseverat. <sup>1</sup> Nisi apud christianos certo constet quid verbis «vita aeterna» contineatur, Evangelii promissiones, creationis Redemptionisque significatio evanescunt, ac vel ipsa terrena vita omni spe prorsus destitui dicenda est. <sup>2</sup> [...]

In primis necesse est ut ii, qui docendi munere funguntur, plane ea discernant, quae Ecclesia ad essentiam fidei pertinere iudicat; ipsa theologica investigatio nihil aliud spectare debet, nisi eadem altius perscrutari atque explicare.

3717 Sacra autem haec Congregatio, cuius est doctrinam fidei promovere [941] ac tutari, hic sibi proponit ea recolere quae Ecclesia, nomine Christi, docet, praesertim quae inter christiani hominis mortem et resurrectionem universalem intercedunt.

1) Ecclesia credit <sup>3</sup> mortuorum resurrectionem.

2) Ecclesia hanc resurrectionem ita intellegit ut ad *totum hominem* referatur; haec autem pro electis nihil aliud est quam ipsius Resurrectionis Christi ad homines extensio.

3) Ecclesia affirmat continuationem et subsistentiam, post mortem, elementi spiritualis, conscientia et voluntate praediti, ita ut ipsum «ego humanum», interim tamen complemento sui corporis carens, subsistat. Ad huiusmodi elementum designandum Ecclesia utitur voce «anima», quae Sacrarum Scripturarum et Traditionis usu recepta est. Quamquam non ignorat in Scripturis Sacris huic voci diversas subici significationes, nihilominus ipsa censet nullam validam rationem adesse, cur vox reiciatur, ac iudicat praeterea prorsus necessarium esse verbale instrumentum ad christianorum fidem sustinendam.

4) Ecclesia excludit quoslibet cogitandi aut dicendi modos, quibus absurda fiant vel intellegi nequeant eius precatio, funebres ritus, cultus mortuorum: quae omnia, quoad suam substantiam, locos theologicos constituunt.

[943] *Has Litteras in Conventu ordinario huius S. Congregationis deliberatas, Summus Pontifex Ioannes Paulus Pp. II, in Audientia infra-scripto Cardinali Praefecto concessa, adprobavit et publici iuris fieri iussit.*

<sup>1</sup> Cf. 1 Cor. 15.

<sup>2</sup> Cf. Hebr. 11, 1.

<sup>3</sup> Cf. *Symbolum Apostolorum*.

## De Calendario

Die 29 maii 1979 Sectio pro Cultu Divino SCSCD ad Praesides Conferentiarum Episcoporum et Commissionum nationalium de Liturgia Litteras circulares de celebratione S. Stanislai misit.

ED. - Lat.: N 15 (1979) 308-309. Angl.: DOL 479.

- [308] Summus Pontifex Ioannes Paulus II, occasione oblata noni expleti saeculi ab obitu Sancti Stanislai, Episcopi et Martyris, ad Episcopos [309] et universum populum Dei in Polonia die 8 maii 1979 Epistulam Apostolicam a verbis «Rutilans agmen» incipientem misit, in qua statuitur celebrationem Sancti Stanislai Calendario Romano generali posthac inscribendam esse gradu memoriae obligatoriae, loco memoriae «ad libitum», sicut nunc habetur. 3718  
Dum nova haec statuta Tecum communicare placet, sacrum hoc Dicasterium opportunum ducit indicationes nonnullas circa rem praebere, quae sequuntur:
1. Novus gradus celebrationis in honorem Sancti Stanislai peragendae nuper statutus ab anno liturico 1979-1980 proxime venturo omnibus «Ordinibus» pro Missae et Officii divini celebratione inscribendus erit, qui in usum dioecesium et familiarum religiosarum eduntur. Eadem indicatio ponetur in novis libris liturgicis cura Conferentiarum Episcoporum in posterum edendis. 3719
  2. Novus celebrationis gradus nullam secumfert variationem circa diem, quo ipsa celebratio peragitur, et quoad textus sive Missalis sive Liturgiae Horarum adhibendos, videlicet: 3720
    - a) dies celebrationi Sancti Stanislai dicatus idem manet, prout in Calendario Romano invenitur, nempe 11 aprilis;
    - b) textus in Missa et Officio adhibendi iidem manent, qui in Missali Romano et in Liturgia Horarum statuto die inveniuntur.
  3. Ubi Sanctus Martyr, ad normam iuris particularis, die vel gradu diverso rite celebratur, et in posterum eodem die ac gradu quo antea celebrabitur. 3721

## De institutione liturgica in seminariis

Die 3 iunii 1979 SCIC Instructionem de institutione liturgica in seminariis edidit.

Ed. - Lat.: N 15 (1979) 526-565. Angl.: DOL 335 (partim). Germ.: VAS 14. Hisp.: *Instrucción sobre la formación litúrgica en los Seminarios = Vocaciones* n. 94, Madrid 1979. Ital.: EV 6, 1045-1125; RD 24 (1979) 386-397; RL 67 (1980) 80-111; L 13 (1979) 596-624. Lus.: OL 25 (1979) 182-230.

COMM. - Hisp.: J.M. BERNAL, in: Ph 20 (1980) 434-440; R. GONZALES, *ibid.*, 135-141. Ital.: A.-M. TRIACCA, in: N 15 (1979) 621-639; AA.VV., in: RL 68 (1981) 583-661; AA.VV., in: *Seminarium* 21 (1979) 615-758; S. MAZZARELLO, in: L 13 (1979) 591-595; G.M. GARRONE, in: OR 28-VI-1979, 1. Neer.: J. LESCRAUWAET, in: TvL 66 (1982) 281-290.

- 3722 [526] In ecclesiasticam futurorum sacerdotum formationem secundum Concilii Vaticani II praescripta renovandam Sacra Congregatio pro Institutione Catholica inde a plurimis annis diuturnam impendit operam, opportuna auxilia conferentiis episcopalibus praebens. Variis ad hunc finem huc usque editis documentis et subsidiis paedagogicis praesens iungitur *Instructio de institutione liturgica in seminariis*, cuius propositum est congruas indicationes et normas tradere ad liturgicam vitam et sacrae liturgiae studia in sacerdotalis formationis institutis uberius praesentibus necessitatibus aptanda. Praeminens enim momentum, quod sacra liturgia induit in Ecclesiae vita, requirit ut hodierni candidati ad sacerdotium, per eius diuturnum accuratum exercitium atque assiduum studium, quam aptissimi evadant ad pastoralis ministerii munia hac in re rite obeunda.

## INTRODUCTIO

## a) DE PRAESTANTIA LITURGIAE IN PRESBYTERORUM INSTITUTIONE

- 3723 1. In sacerdotali institutione sacrae liturgiae momentum neminem latet. Presbyteri enim ministrante episcopo a Deo consecrantur non tantum ad evangelium praedicandum fidelesque pascendos, sed etiam ut, sacerdotii Christi speciali ratione participes effecti, actionibus liturgicis praesideant in persona Christi capitis qui suum sacerdotale munus per



Spiritum Sanctum iugiter pro nobis in liturgia exercet. <sup>1</sup> Cum vero liturgia, in qua «opus nostrae Redemptionis exercetur», summe eo conferat «ut fideles vivendo exprimant et aliis manifestent mysterium Christi et genuinam verae Ecclesiae naturam», <sup>2</sup> assiduum eius exercitium et studium futuris sacerdotibus solidiorem fidei cognitionem et firmitatem praebit atque vivam Ecclesiae experientiam aperiet.

[527] 2. Omnis genuina formatio liturgica amplectitur non solum doctrinam, sed etiam praxim. Ea enim, prout institutio «mystagogica», primum et principaliter obtinetur per ipsam liturgicam alumnorum vitam, ad quam per actus liturgicos in communi celebratos profundius in dies initiantur. Quae accurata initiatio practica est ulterioris studii fundamentum, et in quaestionibus liturgicis explanandis iam acquisita subesse putatur. 3724

b) DE OPPORTUNITATE HUIUS DOCUMENTI IN HODIERNIS ADIUNCTIS

3. Formatio in sacra liturgia praesertim hodie peculiari modo urget. Etenim, postquam editi sunt novi libri liturgici iuxta normas instaurationis liturgicae a Concilio Vaticano II decretae, necesse est ut accurata promoveatur futurorum sacerdotum instructio, qua aptiores reddantur ad renovatae sacrae liturgiae indolem et vim clare percipiendam, suae spirituali vitae et rationi agendi inserendam et cum fidelibus congruo modo communicandam. <sup>3</sup> 3725

4. Praeterea, maiores nisus in liturgica institutione in seminariis requiruntur etiam ad nova paedagogica problemata aggredienda, a societatis progredienti saecularizatione derivantia, quae quidem genuinam sacrae liturgiae naturam in hominum mente obnubilat eosque ad eam profundius vivendam et participandam minus idoneos reddit. Quam difficultatem ipsi quoque alumni animadvertunt ac proinde desiderium saepissime manifestant profundioris et authenticae liturgicae vitae. 3726

5. Quae impellens accommodae initiationis necessitas iam clare exprimebatur in praedicti Concilii Vaticani II Constitutione *Sacrosanctum Concilium*, <sup>4</sup> et Decreto *Optatam totius* <sup>5</sup> atque demum in documento huius Congregationis quod inscribitur *Ratio fundamentalis institutionis sacerdotalis*, <sup>6</sup> cuius normae, ex Ecclesiae documentis desumptae, utiles conferentiis episcopalibus indicationes suppeditant ad particulares hac in re praescriptiones in earum Rationibus institutionis sacerdotalis pro locorum necessitatibus determinandas. <sup>7</sup> 3727

[528] Ex diversis vero regionibus vota ad hanc Sacram Congregationem pervenerunt, quo fusiores paedagogicae normae praeberentur, in

<sup>1</sup> Cf. *Presbyterorum ordinis*, nn. 2, 5, 9, 12.

<sup>2</sup> *Sacrosanctum Concilium*, n. 2.

<sup>3</sup> Cf. *ibid.*, n. 14.

<sup>4</sup> Cf. *ibid.*, nn. 15-17.

<sup>5</sup> Cf. nn. 4, 8, 16, 19.

<sup>6</sup> Cf. nn. 14, 52, 53, 79, 94, 98.

<sup>7</sup> Cf. *Optatam totius*, n. 1.

recentibus experiētiis fundatae, cum de vita liturgica in seminariis recte ordinanda, tum de disciplina sacrae liturgiae tradenda.

c) DE NATURA HUIUS INSTRUCTIONIS

3728 6. Talibus rationibus mota, Sacra haec Congregatio, consulta Sacra Congregatione pro Sacramentis divinoque Cultu, praesentem Instructionem edere decrevit, quae esset veluti complementum Rationis fundamentalis, quaeque quoad vim obligatoriam idem pondus haberet<sup>8</sup> et nihil inculcaret nisi quod in universum valet,<sup>9</sup> credito conferentiis episcopalibus officio rem ad ulteriorem requisitam elaborationem dirigendi vel inter diversos agendi modos aptiorem eligendi.<sup>10</sup>

Insuper, ad praesens Instructio hoc efficere vult ut in Rationibus institutionis sacerdotalis redigendis vel recognoscendis clarius illustretur materia quae ad sacrae liturgiae studium necnon ad seminarii liturgicam ordinationem et vitam spectat.

3729 7. Instructio in normis praescribendis duplicem liturgicae institutionis finem considerat: practicum (mystagogicum), qui rectam ordinatamque sacrae liturgiae celebrationem respicit, et theoreticum (doctrinalem), qui scientiam liturgicam, utpote unam ex principalioribus disciplinis theologicis, tradendam in clariorem lucem ponit.

PARS PRIOR. DE LITURGICA VITA SEMINARII

1) PRINCIPIA GENERALIA DE LITURGICA VITA IN SEMINARIIS FOVENDA

a) *De peculiari initiatione vitae liturgicae in praevio tirocinio spirituali*

3730 8. «Ut spiritualis institutio solidiore ratione innitatur et alumni vocationem optime mature deliberata amplectantur»,<sup>11</sup> episcopi [529] initio primi anni in seminariis congruum temporis intervallum pro impensiore tirocinio spirituali hodie instaurare solent. Pro hoc temporis spatio commendatur ut iis alumni qui seminarium ingrediuntur detur congrua et brevis initiatio liturgica, quae iis necessaria est ad vitam spiritualem seminarii inde ab initio fructuose participandam, scilicet aliqua catechesis de missa, de anno liturgico, de sacramento poenitentiae, de liturgia horarum.

b) *Paedagogica principia initiationis ad vitam liturgicam*

3731 9. Authentica initiatio seu mystagogia praecipue illustrare debet ea fundamenta quibus tota vita liturgica innititur: scilicet historiam salutis, Christi paschale mysterium, genuinam Ecclesiae naturam, praesentiam Christi in actionibus liturgicis, auditum verbi Dei, spiritum ora-

<sup>8</sup> Cf. *Ratio fundamentalis*, Notae praeliminares, n. 2.

<sup>9</sup> Cf. *ibid.*, Notae praeliminares, n. 7.

<sup>10</sup> Cf. *ibid.*, Notae praeliminares, n. 3.

<sup>11</sup> *Optatam totius*, n. 12.

tionis, adorationis et gratiarum actionis, Domini adventus expectationem.<sup>12</sup>

10. § 1: Liturgica celebratio, utpote Ecclesiae oratio, eius indolem ita participat, ut simul omnium voces atque uniuscuiusque cor et animam consociare impellat, sitque ergo plene et communitatis propria et personalis. Immo «vita spiritualis non unius sacrae liturgiae participatione continetur». <sup>13</sup> Liturgica enim et personalis pietas mutue se corroborant et complent; familiaris communio orationis cum Christo in plenioram inducit consciam et piam participationem sacrae liturgiae, rursusque suum exemplar et nutrimentum accipit e vita liturgica. 3732

Quo fit ut in seminario et liturgiam et propriam cuiusque spiritualem vitam simul foveri oporteat atque convenienter componi: <sup>14</sup> secundum vero locorum necessitates, insistendum erit vel in communitatis indole eiusque propria spiritualitate, si nondum sufficienter comprehendatur, vel in actibus pietatis personalis, <sup>15</sup> si in minore honore habeantur.

§ 2: Pia exercitia ab Ecclesia commendata, ratione temporum liturgicorum habita, ita ordinentur, ut sacrae liturgiae congruant, ab ea quodammodo deriventur, ad eam alumnos manuducant. <sup>16</sup>

[530] § 3: E vita liturgica plenius participata, discant alumni vitam interioram fovere, acquirant pedetentim spiritum meditationis et animi conversionem. Praeterea institutio liturgica alumni detegat arctam connexionem inter sacram liturgiam et cotidianam cum sacerdotis tum hominum vitam, quae ad apostolatam impellit et verum testimonium vivae fidei per caritatem operantis exigit. <sup>17</sup>

11. Ea liturgiae intellegentia quae sacerdoti necessaria esse existimatur et seminarii alumni acquirenda est, exigit illam assiduam cum sacra Scriptura consuetudinem quam commendat Constitutio *Sacrosanctum Concilium*, <sup>18</sup> atque etiam aliquam cum scriptis Patrum familiaritatem. <sup>19</sup> Quam animi dispositionem iuvenes pedetentim sibi acquirant progredientibus studiis, vita spirituali et participatione in celebrationibus liturgicis, praesertim liturgia horarum et celebrationibus verbi Dei. <sup>20</sup> Curandum est insuper ut huiusmodi nisibus, sed et peculiari studio, introducantur alumni in intellegendam illam symbolicam liturgiae linguam quae signis sensibilibus, verbis, gestibus, rebus et actionibus res divinas significat et in sacramentis causat. 3733

c) *De seminarii communitate in liturgica celebratione congregata*

12. Celebratio liturgica, quae quasvis communitates christianas sic 3734

<sup>12</sup> Cf. *Sacrosanctum Concilium*, nn. 5-8.

<sup>13</sup> *Ibid.*, n. 12.

<sup>14</sup> Cf. *Optatam totius*, n. 8.

<sup>15</sup> Cf. *Ratio fundamentalis*, n. 54.

<sup>16</sup> Cf. *Sacrosanctum Concilium*, n. 13.

<sup>17</sup> Cf. *ibid.*, nn. 10, 11; *Ratio fundamentalis*, n. 53.

<sup>18</sup> Cf. nn. 24, 90.

<sup>19</sup> Cf. *Ratio fundamentalis*, n. 54 f.

<sup>20</sup> Cf. *ibid.*, n. 53.

solide firmat ut sit eorum membris «cor et anima una» (Act. 4, 32), multo magis seminarii communitatem in unum coagmentare debet atque in alumnis spiritum communem efformare. Alumni enim in seminario instituuntur, ut per ordinationem sacramentalem unicum sacerdotium participant, communem presbyterii spiritum accipiant, cooperatores fiant sui episcopi eique arcte uniantur, ministerium aedificationis Ecclesiae exercent. Proinde celebratio liturgica in seminario ita agatur, ut communitaria et supernaturalis eius natura emineat et sic fiat revera fons et vinculum eius vitae communis quae seminario propria est, utpote quae alumnorum animos praeparet ad presbyterii unitatem.<sup>21</sup>

Rector et magistri cordi habebunt liturgiam cum suis alumnis [531] celebrare et sic communem eius indolem eiusque divitias patefacere. Magistris quoque qui in seminario non resident aliquando detur oportunitas conveniendi cum seminarii sacerdotibus et alumnis ad sacras actiones participandas.

Alumni vero non tantum liturgiam actuose participant, sed etiam cum suis magistris ad eam praeparandam collaborare invitentur.

3735 13. Ut alumni revera experiantur mysterium Ecclesiae tamquam hierarchicae, varietate nempe membrorum et ministeriorum distinctae, praestat ut in seminario adsint diaconi, acolythi et lectores, qui spiritualitate proprii muneris imbuantur, atque suo ministerio in actionibus liturgicis fungantur:<sup>22</sup> sic omnibus alumnis emicet munus proprium sacerdotii ministerialis, necnon munera diaconorum, lectorum atque acolythorum.

Adsit in seminario schola cantorum, ad normam Instructionis *Musicae sacram*, n. 19.

3736 14. Etsi praestat totam communitatem de more in unum convenire ad liturgiam participandam, interdum opportunum erit in minore coetu aliquam actionem liturgicam celebrare, sive pro iis alumnis qui paulo ante seminarium ingressi liturgica ea catechesi indigent de qua supra, n. 8, sive, in seminariis regionalibus, pro alumnis eiusdem dioecesis, sive alia ratione; cauto tamen ne tales coetus unitatem totius communitatis infringant et dummodo serventur S. Sedis praescripta.<sup>23</sup>

3737 15. Sedulo ergo providendum est ut authentica liturgicae adunationis ecclesialis natura in clariorem lucem proferatur. Seminarii vero communitas pars est Ecclesiae, quae ab aliis hominum communitatibus et coetibus distinguitur, et distat, ideoque ipsam Ecclesiam exprimere atque ad totam ecclesiam communitatem aperta esse debet. Quam ob rem, interdum, praesertim in quibusdam peculiaribus occasionibus, aggregetur paroecialibus liturgicis celebrationibus et praecipue pleniori celebrationi circa episcopum.

<sup>21</sup> Cf. *Ratio fundamentalis*, nn. 46 et 47.

<sup>22</sup> Cf. *Sacrosanctum Concilium*, n. 28.

<sup>23</sup> Cf. SCCD, *Instructio De missis pro coetibus particularibus*, d. 15 Maii 1969: AAS 61 (1969) 806 ss.

Vita enim liturgica dioecesis circa episcopum, omnibus christifidelibus commendata, <sup>24</sup> magis adhuc necessaria est us qui futuri [532] sunt sui episcopi cooperatores, Quare praestat in maioribus sollemnitatibus et praesertim triduo paschali, in aliisque circumstantiis iuxta dioecesis traditionem, seminarii alumnos et praecipue diaconos suum episcopum circumdare et ita circa illum fungi ministeriis quae ipsis ordinatione vel institutione tradita sunt, sive in ecclesia cathedrali sive in aliis ecclesiis episcopus celebrat. Quod tamen aliquam difficultatem movere videtur in seminariis quae alumnos ex variis dioecesibus adunant: eis opportunitates praebeantur interdum vitam suae cuiusque dioecesis participare et suum episcopum in sacra liturgia circumdare, at discant etiam ecclesiae et episcopo loci debito servitio iuxta traditionem obsequi.

d) *De ipsa celebratione*

16. Alumni memores fiant actiones liturgicas non esse actiones privatas, sed celebrationes Ecclesiae, quae ad universum corpus Ecclesiae pertinent illudque manifestant et efficiunt; ideoque Ecclesiae legibus regi. <sup>25</sup> Quam ob rem celebratio liturgica in seminario exemplaris esse debet, tum quoad ritus, tum quoad rationem spiritualem et pastoralem, <sup>26</sup> tum quoad observantiam tam erga praescripta et textus librorum liturgicorum, quam erga normas ab Apostolica Sede et episcopali conferentia datas.

17. Ut alumni in liturgiae divitiis maiore cum profectu spirituali introducantur atque ad futurum ministerium practice praeparentur, fovenda est sana varietas in modo actiones liturgicas celebrandi et participandi. <sup>27</sup> Quae varietas respiciet modos missam celebrandi, atque celebrationes sive verbi sive paenitentiales vel baptismales, sive denique benedictiones ordinandi et quidem cum maiore vel minore rituum sollemnitate et eorum aptatione ad diversa adiuncta et postulata, prout admittitur vel commendatur a libris liturgicis et Apostolicae Sedis praescriptis.

Qua in re agitur de arte recte seligendi inter varias possibilitates a liturgicis libris oblatas, vel etiam novos textus seligendi, componendi ac proferendi ad varias occasiones aptatos (rogationes in oratione universalis, monitiones). Est autem magistrorum seminarii alumnos non modo iuvare et ducere, sed etiam patienter corrigere ita ut [533] genuina in eis formetur liturgiae notio bene fundata Ecclesiae sensu ac doctrina. Sic enim futuri sacerdotes efficaciter educentur non solum ad varias quae a renovata liturgia praebentur possibilitates in pastoralis praxi uberius adhibendas, sed etiam ad iustos limites servandos.

18. Supradicta varietatis cura in celebratione minime tamen distrahere debet attentionem a necessitate profunde ac intime assimilandi ea

<sup>24</sup> Cf. *Sacrosanctum Concilium*, n. 41.

<sup>25</sup> Cf. *ibid.*, nn. 23 et 26.

<sup>26</sup> Cf. *infra*, n. 46.

<sup>27</sup> Cf. *Ratio fundamentalis*, n. 52.

sacrae liturgiae elementa, quae pertinent ad partem immutabilem ipsius liturgiae utpote divinitus institutam. <sup>28</sup> Etenim liturgiae structura eadem semper remanet, atque multi gestus et textus, iique maioris momenti, frequenter repetuntur; alumni ergo adiuventur quo altius has partes liturgiae penetrent, meditentur et recogitent atque discant in iisdem novum semper spiritus alimentum haurire et gustare.

- 3741 19. Perutilis est alumni familiaritas cum lingua Latina et cum cantu Gregoriano. Non solum enim fidelibus servanda est haec facultas communiter in magnis coetibus orandi et canendi quam providit Concilium Vaticanum II, <sup>29</sup> sed praeterea futuros sacerdotes decet in traditione orantis Ecclesiae radices altius agere atque textuum genuinum agnoscere sensum, ideoque interpretationes vernaculas illustrare, eas conferendo cum textu originali.

*e) De praeparatione alumnorum ad futurum pastoris liturgicum munus*

- 3742 20. Curandum est sedulo ut alumni ad munus futurum pastoris et praesidis in liturgico fidelium coetu praeparentur, ea omnia discendo quae ad dignam liturgiae, praesertim vero sanctae missae, celebrationem spectant. <sup>30</sup> Duplex tamen in eo deformatio vitanda est, scilicet: 1) ne alumni considerent et experiantur celebrationem liturgicam ut merum exercitium ad futurum pastorale ministerium addiscendum — cum contra hic et nunc mysterium liturgicum pro sua hodierna conditione plene, sapienter et devote participare debeant —, 2) neque liturgicos textus seligant qui, ut existimant, aptari videantur fidelibus eorum curae pastoralis posterius concredendis, [534] cum contra nunc ita omnes orationis ecclesiasticae divitias investigare eos oporteat ut, iisdem imbuti, eas posterius cum fidelibus suis communicare possint.

- 3743 21. Quae experti sint alumni et didicerint in seminario opportunis pastoralibus exercitiis in effectum deducere studeant. Tempus magis congruum ad proximam hanc liturgici officii initiationem, et praesertim illam, qua alumni ad diversa munera in paroecialibus celebrationibus praestanda manuducuntur, sunt quaedam aptae occasiones durante anno scholastico, sed ante omnia feriae ac deinde — cum de impensiore tirocinio agatur — spatium sub cursus theologici fine, quo futuris sacerdotibus, diaconatus ordine generatim iam auctis, ampliores liturgici ministerii facultates patent. Ut autem haec initiatio proprio suo fini revera respondeat atque alumnorum praeparationem promovere possit, necesse est eam a magistris seminarii vel a dioecesanis liturgiae praefectis gubernari atque temperari. <sup>31</sup>

<sup>28</sup> Cf. *Sacrosanctum Concilium*, n. 21.

<sup>29</sup> Cf. *ibid.*, n. 54.

<sup>30</sup> Cf. SRC, *Instructio De cultu mysterii eucharistici*, d. 25 Maii 1967, n. 20: AAS 59 (1967) 552-553.

<sup>31</sup> Cf. *Ratio fundamentalis*, nn. 94, 97-99.

2) NORMAE DE SINGULIS ACTIONIBUS LITURGICIS

a) De missa et de cultu eucharistico

22. Sacrificium eucharisticum alumnis appareat ut verus totius christi- 3744  
anae vitae fons et culmen, in quo caritatem participant Christi, su-  
pernaturalem vim pro sua spirituali vita et apostolico labore ex hoc di-  
tissimo fonte haurientes. <sup>32</sup> Quod saepe pro dierum adiunctis illustrari  
iuvabit in homilia celebrantis; sedulo utcumque oportet alumnis hunc  
affectum erga missam et SS. mum Eucharistiae Sacramentum instillare,  
quem forsan, antequam seminarium ingressi sunt, adhuc non adepti  
erant. In mentem eorum, utpote futurorum presbyterorum, inculcan-  
dum est, in sacrificio eucharistico munus suum praecipuum sacerdotes  
adimplere, in quo opus nostrae redemptionis continuo exercetur; et  
ita, dum cum actu Christi sacerdotis se coniungunt, cotidie se totos  
Deo offerre. <sup>33</sup>

23. Maxime igitur oportet ut celebratio cotidiana Eucharistiae, quae 3745  
communione sacramentali, plena quidem libertate et digne su[535]scep-  
ta, consummatur, centrum sit totius vitae seminarii, eamque alumni  
conscie participant. <sup>34</sup>

Firma exceptione de qua supra in n. 14, missa totius seminarii commu-  
nitatis opus esse debet, in quo unusquisque pro sua propria condicione  
participat. Ideoque sacerdotes qui in seminario habitant neque officio  
pastorali tenentur alibi missam celebrandi, laudabiliter missam com-  
munitatis concelebrent; item diaconi, acolythi et lectores sua munera  
adimpleant. <sup>35</sup>

Optandum est ut semper aliquae partes cantentur. <sup>36</sup>

24. Communio sub utraque specie, quippe quae formam ratione sig- 3746  
ni plenior habet, <sup>37</sup> in seminario commendanda est, servatis nor-  
mis in Institutione generali Missalis Romani descriptis et episcoporum  
decretis.

25. Tempore vacationum alumnorum spiritualis maturitas et amor 3747  
vocationis sacerdotalis manifestantur, si per hebdomadam assidue et  
constanter sanctae missae intersunt.

26. Attentis quibusdam usibus hodie hic illic inductis, praemonendi 3748  
sunt futuri presbyteri, enixe ab Ecclesia sacerdotibus commendari co-

<sup>32</sup> Cf. *Lumen gentium*, n. 11; *Perfectae caritatis*, n. 6; *Ratio fundamentalis*, n. 52; Ioan-  
nes Paulus II, Litt. encycl. *Redemptor hominis*, d. 4 Martii 1979: AAS 71 (1979) 310 ss.

<sup>33</sup> Cf. *Presbyterorum ordinis*, n. 13.

<sup>34</sup> Cf. *Ratio fundamentalis*, n. 52.

<sup>35</sup> Cf. *supra*, n. 10 et *infra*, n. 41.

<sup>36</sup> Cf. *Instructio Musicam sacram*, edita a SRC, d. 5 Martii 1967: AAS 59 (1967) 300 ss.;  
cf. etiam *Institutiones generales Missalis Romani*.

<sup>37</sup> Cf. SRC, *Instructio Eucharisticum mysterium*, d. 25 Maii 1967, n. 32: AAS 59 (1967)  
558: «In ea enim forma signum eucharistici convivii perfectius elucet, et clarius exprimitur  
voluntas qua novum et aeternum testamentum in sanguine Domini ratum habetur, necnon  
ratio inter convivium eucharisticum et convivium eschatologicum in regno Patris».

tidianam, etiamsi obligatione pastorali non teneantur vel si praesentia fidelium haberi non possit, sacrificii eucharistici celebrationem, utpote actum Christi et Ecclesiae atque pro totius mundi salute oblatum. 38

3749 27. Ex participatione missae cum recta pietate fideique intelligentia ducentur alumni ad flagrantiorum devotionem erga sacram Eucharistiam, ad mentem Litterarum encyclicarum *Mysterium fidei* [536] et Instructionis *Eucharisticum mysterium*. 39 Iis itaque commendetur ut, post communionem per aliquot temporis spatium in oratione persistant, utque inter diem ad oratorium se conferant ad orandum coram SS.mo Sacramento. Certis vero per annum diebus, haberi potest SS.mi Sacramenti expositio secundum normas in eadem Instructione contentas 40 et ab ordinario loci lata. Cum disponitur ecclesia seminarii, ita collocandum est tabernaculum, in quo SS.ma Eucharistia servatur, ut precationi privatae faveat atque alumni accessus facile pateat ad Dominum etiam privato cultu assidue honorandum. 41

b) *De liturgia horarum*

3750 28. Instaurata liturgia horarum, 42 uberrimi spirituales Ecclesiae orantis fontes aperti sunt praecipue presbyteris, diaconis et regularibus ad chorum adstrictis, nec non toti populo christiano, qui ad eam assidue participandam enixe invitatur. 43 Quam ob rem magnum in seminario honorem tribuere debent liturgiae horarum non tantum illi qui eius celebrandae mandatum acceperunt, scilicet presbyteri et diaconi, sed etiam tota alumnorum communitas.

3751 29. In seminario ergo foveatur celebratio horarum communis, quae saepius, praesertim diebus dominicis et festis, cantu peragatur; in eam opportune alumni manuducantur brevissimis verbis ab eo qui praesidet; sic divitias officii magis in dies gustare, intellegere atque diligere assuescent, atque ex illo nutrimentum orationis personalis et contemplationis accipere discent, ita ut liturgia horarum harmonice componatur cum aliis legitimis devotionis exercitiis, nedum eadem excludat.

3752 [537] 30. In communi de more celebrentur, servata temporis veritate, laudes, ut preces matutinae, et vesperae, ut preces vespertinae, «ex venerabili universae Ecclesiae traditione duplex cardo Officii cotidiani». 44

38 Cf. *Presbyterorum ordinis*, n. 13; Paulus VI, Litt. encycl. *Mysterium fidei*, d. 3 Septembris 1965: AAS 57 (1965) 761.

39 Paulus VI, Litt. encycl. *Mysterium fidei*, d. 3 Sept. 1965: AAS 57 (1965) 770-773. SRC, *Instructio Eucharisticum mysterium*, d. 25 Maii 1967: AAS 59 (1967) 539 ss., praecipue nn. 38 et 50, pp. 562, 567; cf. etiam *Rituale Romanum, De sacra communionem et de cultu mysterii eucharistici extra Missam*, Typis Polyglottis Vaticanis 1973; *Presbyterorum ordinis*, n. 18.

40 Cf. SRC, *Instructio Eucharisticum mysterium*, nn. 62-66.

41 Cf. *ibid.*, n. 53.

42 Cf. Paulus VI, *Const. Apost. Laudis canticum*, d. 1 Nov. 1970: AAS 68 (1971) 527 ss.

43 *Institutio generalis de liturgia horarum*, nn. 20, 22, 26-27.

44 *Sacrosanctum Concilium*, n. 89.



Quantum fieri potest completorium sit oratio antequam cubitum itur, et si quando in communi dici non possit, ad id privatim persolvendum invitentur alumni.

Ubi vero consuetudo est etiam per diem aliquod tempus orationi communi dicere, iuvabit horam mediam praecipue tunc celebrare. In dierum potissimum dominicarum et sollemnitatum pervigiis laudabiliter officium lectionis celebretur, et quidem saltem aliquando secundum ritum «vigiliae protractae», ut in libro liturgiae horarum describitur.

Denique, tempore spiritualium exercitiorum celebratio totius cursus liturgiae horarum orationis tempora convenienter signabit.

31. Sedula cura disponantur alumnorum mentes, ut in sua diaconali ordinatione ab Ecclesia libenter et debita cum rei intelligentia mandatum accipiant totum liturgiae horarum cursum celebrandi. Ideo enim Ecclesia sacri ordinis participes ad divinum officium deputat, «ut munus totius communitatis certe et constanter saltem per eos adimpleatur, et oratio Christi indesinenter perseveret in Ecclesia».<sup>45</sup> Meminerint igitur seminarii moderatores alumni, ut officio divino aperte initientur, necessariam esse, praeter vivam liturgiae experientiam, peculiarem praeparationem: ideoque non solum eis enarranda sunt doctrinae principia, quae in Institutione generali de liturgia horarum exponuntur, sed eis talis comparanda est intelligentia psalmodum, ut discant sub luce Novi Testamenti et Traditionis, in eis discernere Christi mysterium et suae propriae orationis nutrimentum haurire.<sup>46</sup>

c) De die dominica et anno liturgico

32. Pro seminaristis dies dominica sit — sive participant missam in seminario sive mittuntur in paroecias — tam per celebrationem [538] liturgicam quam per totius diei cursum, «primordialis dies festus» qui pietati alumnorum proponatur et inculcetur, utpote mysterii paschalis laeta celebratio.<sup>47</sup>

Annuus item mysteriorum Christi circulus cum peculiari fervore in seminario celebretur, ad mentem Constitutionis Sacrosanctum Concilium.<sup>48</sup>

Praeter ergo missae ac liturgiae horarum celebrationem secundum normas librorum liturgicorum, curare oportet ut in seminario diei dominicae et praecipuis celebrationibus tam Domini quam beatae Mariae Virginis et sanctorum haec tribuatur festiva indoles, qua fiant dies laetitiae.

Momentum speciale tribuatur celebrationi sanctorum ipsius dioecesis — et ipsius regionis, si seminarium est «regionale» — quorum vita et spiritus alumni illustrentur. Celebrentur etiam sedulo anniversarium

<sup>45</sup> Institutio generalis de liturgia horarum, n. 28; cf. *Presbyterorum ordinis*, n. 13.

<sup>46</sup> Cf. *Ratio fundamentalis*, n. 53.

<sup>47</sup> Cf. *Sacrosanctum Concilium*, n. 106.

<sup>48</sup> Cf. nn. 102-105, 108-111.

dedicationis ecclesiae cathedralis et anniversarium ordinationis episcopi loci.

At praecipue unaquaeque istarum celebrationum praeparetur tali catechesi, quae aptetur simul hodiernis alumni et futuris presbyterorum necessitatibus, non neglecto valore pastoralis quorundam popularium morum. Totus vero annus liturgicus sit, non solum celebratione liturgica, sed vita ipsa quasi spirituale iter ad communicandum Christi mysterio.

3755 33. Alumnorum institutio plena et perfecta requiritur ut iidem, per annos suae in seminario praeparationis, uberiores et ditiores formas experiantur celebrationis temporum et sollemnitatum anni liturgici: cum enim postea presbyteri facti in sacerdotali ministerio operam navabunt, festorum sollemnitates eorum apostolicam activitatem amplificabunt, celebrationes pluribus locis iterare debebunt quae saepe iis formis simplicioribus peragenda erunt velut in libris liturgicis praevidentur. Praeclarus ergo modus quo in seminario alumni experiuntur annum liturgicum sit eis exemplar quo illustretur futurum eorum pastorale ministerium, atque fundamentum quo postea eorum anni liturgici meditatio et doctrina fulcientur.

3756 34. Iusta et accommodata paedagogia hac in re ignorare non potest peculiarem nostri temporis indolem, quae praesertim in quibusdam [539] regionibus viva fide minus signatis, profundiori sacrorum temporum ac festorum intellectui minus favere videtur. Ratio ergo habeatur eorum alumnorum qui, antequam seminarium ingrederentur, fervidam et altam anni liturgici experientiam non habuerunt, ut supernaturalem eius sensum facilius penetrent atque idonei evadant ad profundiorum agnitionem salvificorum eventuum acquirendam et gratiam in eis repositam percipiendam.

d) *De sacramento poenitentiae*

3757 35. In spirituali futurorum sacerdotum vita magnum momentum tribuendum est sacramento poenitentiae, quod, utpote sacramentum, inter alios poenitentiales actus maxime conferre potest ad eas animi dispositiones excolendas, quae ad sequelam Christi et spiritum evangelicum requiruntur; scilicet pleniorum in dies conversionem, cordis purificationem, virtutem poenitentiae cum studio vitae crucifixae.

3758 36. Alumni igitur frequenter ad hoc sacramentum accedant, ut gratiam pro cotidianis spiritualibus suis nisibus acquirant.<sup>49</sup> Frequens enim confessio «non est mera ritualis repetitio nec psychologium quoddam exercitium sed assiduum studium gratiam baptismi perficiendi, ut dum mortificationem Iesu Christi in corpore nostro circumferimus, magis magisque vita Iesu manifestetur in nobis».<sup>50</sup>

<sup>49</sup> Cf. *Ratio fundamentalis*, n. 55.

<sup>50</sup> *Rituale Romanum, Ordo poenitentiae*, Praenotanda, n. 7; cf. Ioannes Paulus II, *Litt. encycl. Redemptor hominis*, d. 4 Martii 1979: AAS 71 (1979) 314 ss.

Accessus ad paenitentiae sacramentum est actus summe proprius et singillatim peragendus; suamque liturgicam indolem retineat et de more distinctus sit a directione spirituali. Frequentia eius cum suo cuiusque confessario determinanda est, secundum traditionem spiritualium magistrorum et leges Ecclesiae.

Praeterea, ad manifestandam clarius naturam ecclesiam paenitentiae,<sup>51</sup> iuvabit aliquando, praesertim occasione quadragesimae vel spiritualium exercitiorum paenitentiales celebrationes liturgicas peragere, ea ratione quae proponitur in Rituali Romano, aut sine confessione sacramentali, aut cum confessione et absolutione individuali; quo, tamen, in posteriore casu, libertas uniuscuiusque servanda est.

e) *De celebrandis sacris ordinationibus ritibusque praeparatoriis*

[540] 37. Ecclesia candidatos ad presbyteratum in hoc itinere comitatur sicut candidatos ad initiationem, scilicet non solum institutione doctrinali et spirituali sed etiam ritibus. 3759

Studiorum decursu et secundum normas a conferentia episcopali traditas, cum adspirantium propositum, necessariis dotibus suffultum, ad sufficientem maturitatem pervenisse constat, candidati invitantur ad hoc propositum publice manifestandum; episcopus vero, postquam acceptionem scripto dederit, vi cuius Ecclesiae electio efficitur, super eos ritum admissionis inter candidatos ad diaconatum et presbyteratum celebrat.<sup>52</sup>

Item, observatis interstitiis ab Apostolica Sede vel a conferentia episcopali statutis, vel statuendis, iidem candidati per curriculum theologicum<sup>53</sup> «ministeria lectoris et acolythi debent recipere, nisi ea iam receperint, et per congruum tempus exercere, quo melius disponantur ad futura munera verbi et altaris».<sup>54</sup>

38. Haec rituum celebratio una cum instructionibus eis praepositis aptam occasionem alumnis praebet ut alii pro aliis propensius precentur atque melius intellegant munerum quae accepturi sunt significationem, momentum et officia, simul cum congrua spiritualitate quae ad singula ministeria ordinesque exercendos requiritur. Potiora huiusmodi spiritualis et doctrinalis praeparationis elementa facile deducuntur ex iis, quae de officiis lectoris et acolythi in Motu proprio *Ad pascendum*<sup>55</sup> et *Ministeria quaedam*<sup>56</sup> statuta sunt. 3760

Quae ergo celebrationes habebuntur, quantum fieri potest, cum participatione totius seminarii communitatis, et quidem vel in candidatorum paroecia, vel in seminario.

<sup>51</sup> Cf. *ibid.*, n. 22.

<sup>52</sup> Cfr. Paulus VI, Litt. Motu proprio *Ad pascendum*, d. 15 Aug. 1972, I et III: AAS 64 (1972) 538-539.

<sup>53</sup> Cf. *ibid.*, IV: AAS 64 (1972) 539.

<sup>54</sup> *Ibid.*, II: AAS 64 (1972) 539.

<sup>55</sup> Cf. *ibid.*, I c: AAS 64 (1972) 539.

<sup>56</sup> Cf. Litt. Motu proprio *Ministeria quaedam*, V et VI: AAS 64 (1972) 532-533.

- 3761 39. Ordinationes vero sacrae diaconorum et presbyterorum, etsi cum magno pastorali fructu interdum eas celebrari iuvabit sive in propria candidatorum parocchia sive in parocchia in qua aliquod ministerium iam exercuerunt, toti tamen dioecesanae communitati [541] laetus eventus sunt; quam ob rem eadem de eis certior fiat, ad eas invitetur. Quapropter earum celebratio omni diligentia et dignitate praeparata postulat ut circumdent episcopum suum presbyteri et diaconi, seminarii alumni et fideles.
- 3762 40. Vitam vero seminarii ordinationes sacrae vehementer afficiunt. Non solum candidati sed omnes seminarii alumni antea erudiantur debita quoque catechesi rituum et textuum, quae eos multum adiuvabit ad hauriendam authenticam sacerdotii doctrinam et vitae apostolicae spiritualem formam.
- 3763 41. Lectores et acolythi ministeria sua exerceant. Diaconi vero, antequam ad presbyteratum vocentur, sui ordinis muneribus per certum tempus fungantur, vel in seminario, vel in parocciis, vel potissimum apud suum episcopum.
- 3764 42. Peracta ab Ecclesia notabili mutatione in disciplina ritibusque graduum quibus ad sacerdotium ascenditur, manifeste patet magistros seminarii monei ut suum animum et educandi artem innovent, quo facilius haec nova disciplina omnes suos fructus obtineat.

PARS ALTERA. DE DISCIPLINA SACRAE LITURGIAE  
IN SEMINARIIS TRADENDA

a) Principium generale

- 3765 43. Praeter eam primam et elementariam liturgicam initiationem quae pro casuum necessitate locum habet simul ac alumni seminarium ingressi sunt, ut supra sub n. 8 dictum est, <sup>57</sup> provideant episcopales conferentiae ut in sua Ratione institutionis disciplina liturgiae in quadriennio theologiae talem locum obtineat, ut satisfiat praescripto Constitutionis *Sacrosanctum Concilium*; n. 16: «Disciplina de sacra liturgia in seminariis et studiorum domibus religiosis inter disciplinas necessarias et potiores, in facultatibus autem theologicis inter disciplinas principales, est habenda, et sub aspectu cum theologico et historico tum spirituali, pastorali et iuridico tradenda». Quae praescripta in Ratione fundamentali, n. 79, magis enucleata, genuino suo sensu intellegenda atque in effectum deducenda sunt, sicut in sequentibus paragraphis indicatur.

b) De proprio huius disciplinae obiecto et fine

- 3766 44. Ita enim disciplina liturgica tradenda est, ut apte congruat cum necessitatibus hodiernis; qua in re ad theologiam, pastoraalem, et oecumenicam provinciam ante omnia respiciendum est:

<sup>57</sup> Quae prima liturgica initiatio partem constituere potest «Introductionis in mysterium Christi et historiam salutis», de qua in Decr. *Optatum totius*, n. 14, et in *Ratione fundamentali*, n. 62.

a. Peculiare momentum ad rectam futurorum sacerdotum liturgicam institutionem infert arcia inter liturgiam et fidei doctrinam connexio, quae proinde, dum explanatur disciplina, sua in luce ponenda est. Orando enim praesertim Ecclesia suam fidem exprimit, ita ut *lex orandi legem credendi statuerit*.<sup>58</sup> Ideoque non solum fideliter servanda est «lex orandi» ne in discrimen «lex credendi» adducatur, sed vicissim sacrae theologiae cultores investigare debent accuratè traditionem divini cultus, praesertim cum de Ecclesiae natura atque de sacramentorum doctrina et disciplina tractant.

b. Ad pastoralement aspectum quod attinet, quam maximi interest ut liturgica renovatio a Concilio Vaticano II promotà recte ac plene a futuris sacerdotibus intellegatur in lumine sanae doctrinae et traditionis non solum occidentalis sed etiam orientalis. Alumnis nempe exponendae sunt normae de instauratione liturgica, quo melius intellegant rationes quibus innituntur accommodationes seu mutationes ab Ecclesia decretae; discernere quoque valeant et alias quae legitime optari possint, atque, inter graviores et difficiliores quaestiones hodie passim agitatae, distinguant partem liturgiae immutabilem, utpote divinitus institutam, ab aliis partibus mutationi obnoxiiis.<sup>59</sup>

c. Accuratam in scientia liturgica praeparationem etiam dialogus oecumenicus postulat ab eodem Concilio Vat. II promotus. Qui enim plures et difficiles quaestiones de sacra liturgia movet, ad quas rite aestimandas alumnos praeparari oportet.

c) *De ambitu liturgicae disciplinae et de methodo eam tradendi*

45. Uniuscuiusque conferentiae episcopalis est, in sua Ratione institutionis, pressius determinare modum quo in seminario disciplina liturgica tradatur. In appendice huius Instructionis praebetur exemplaris instar, *elenchus quaestionum* quae tractandae videntur; hic vero generaliores tantum normae emuntiantur.

46. Ante omnia necesse est ut alumnis illustrentur actiones liturgicae tum quoad textus, tum quoad ritus et signa. Preces et orationes quae in sacra liturgia proferuntur ita enarrentur oportet ut eluceant thesauri doctrinae et vitae spiritualis in eis contenti. Ad quod plerumque non sufficit ut legantur in interpretatione vernacula, sed necessarium est ut adhibeantur textus originales et illustrentur auxilio sacrae Scripturae et traditionis Patrum. Praeterea genus litterarium euchologiae christianae et praecipue psalmodiarum haud facile intellegitur, nisi ab iis qui iam litteraria quadam arte aliquantum imbuti sunt.

Sedulo etiam magister illustrationem proponat illarum *Institutionum*, quae Missali et Libro Liturgiae Horarum praemissae sunt, necnon illis *Praenotandis* quae leguntur in Rituali Romano initio uniuscuiusque tituli. In istis enim documentis praebetur tum doctrina theologica, tum

<sup>58</sup> Cf. S. Prosper Aquit., *Indiculus*, c. 8; DS 246.

<sup>59</sup> Cf. *Ratio fundamentalis*, n. 79; cf. *Sacrosanctum Concilium*, n. 21.

ratio pastoralis, tum aspectus spiritualis non tantum rituum, sed etiam singulorum eorum elementorum. Cum praeterea saepissime in iisdem documentis plures proponantur modi eiusdem ritus peragendi, magister ita efformet iudicium alumnorum, ut posterius sciant discernere inter varios modos qui legitime seligi possunt pro rerum adiunctis, et intellegant cur saepe rubricae loquantur de «more», de «opportunitate», vel de iis quae «laudabiliter fiunt».

- 3769 47. Cum praeterea tanti momenti sit hodie pars historica liturgiae, <sup>60</sup> suadet ut in liturgicis praelectionibus sedulo describatur rituum historia, quo melius dignoscatur eorum significatio et discerni possint partes quae immutabiles sunt utpote divinitus institutae, et eae «quae decursu temporum variare possunt vel etiam debent, si in eas forte irrepserint quae minus bene ipsius liturgiae intimae naturae respondeant, vel minus aptae factae sint». <sup>61</sup> Ostendatur etiam quomodo variis adiunctis Ecclesia suam artem pastorem aptaverit attenda ad varios populorum mores et culturam. At praecipue ex historicis rituum documentis theologia sacramentalis [544] magnas utilitates capere poterit maioremque claritatem et certitudinem acquirere.
- 3770 48. In historica rituum descriptione debitum momentum tribuendum est etiam traditioni Ecclesiarum Orientalium: «In eis enim, utpote veneranda antiquitate praeclaris, elucet ea quae ab Apostolis per Patres est traditio, quaeque partem constituit divinitus revelati atque indivisi universae Ecclesiae patrimonii». <sup>62</sup> Immo etiam ratio pastoralis hodie omnes allicit ad cognoscendas orientales liturgias.
- 3771 49. At praecipue praestat ut praeter singularum actionum liturgicarum tractationem, totius liturgiae ipsa natura theologice illustretur, ad mentem nn. 5-11 Constitutionis *Sacrosanctum Concilium*; ad quem finem assequendum cognitio profundior praebetur mysterii paschalis Christi, «a quo omnia Sacramenta et Sacramentalia suam virtutem derivant», <sup>63</sup> historiae salutis, <sup>64</sup> praesentiae Christi in sacra liturgia <sup>65</sup> atque investigetur notio signi, cum liturgia signis visibilibus utatur ad res divinas invisibiles significandas, <sup>66</sup> ut per ea modo singulis proprio efficiatur sanctificatio hominis. <sup>67</sup> Ex iis eluceat quomodo liturgica adunatio manifestet Ecclesiam Dei, prout est populus Dei unitate donatus et varietate ministeriorum distinctus. <sup>68</sup>
- 3772 50. Ad profundiolem theologiam liturgiae tractationem, nec non ad solvendas plures difficultates orientes ex iis quae animarum pastoribus obviam veniunt in liturgia ordinanda ac promovenda, magni aesti-

<sup>60</sup> Cf. superius n. 44 a.

<sup>61</sup> *Sacrosanctum Concilium*, n. 21.

<sup>62</sup> *Orientalium Ecclesiarum*, n. 1.

<sup>63</sup> *Sacrosanctum Concilium*, n. 61.

<sup>64</sup> Cf. *ibid.*, n. 5.

<sup>65</sup> Cf. *ibid.*, nn. 6-7.

<sup>66</sup> Cf. *ibid.*, n. 33.

<sup>67</sup> Cf. *ibid.*, n. 7.

<sup>68</sup> Cf. *ibid.*, nn. 26-32; 41-42.

manda sunt ea quae cum certitudine adeptae sunt scientiae illae de homine nostra aetate conditae, ut sunt anthropologia, sociologia, linguistica, comparata religionum historia etc., quae variis in casibus lumen non parvum afferunt, intra limites tamen qui a supernaturali liturgiae indole determinati sunt. Hac in re discretionis sensus in alumnis excolendus est, ut capaces evadant dictarum disciplinarum momentum recte aestimare et simul omnia ea vitare quae ad germanam supernaturalem catholici cultus vim extenuandam ducere possint.

[545] In iis scientiis adhibendis praeterea servetur regula, iuxta quam «potius quam multiplicentur disciplinae, in disciplinis iam statutis novae quaestiones vel novi aspectus apta ratione inserantur». <sup>69</sup>

d) *De dotibus magistri liturgiae et habitudine huius disciplinae cum aliis disciplinis in seminario docendis*

51. Ut haec omnia recte doceantur, oportet ut in seminario sit specialis magister, ad disciplinam liturgicam tradendam probe formatus, et quidem quantum fieri potest in uno ex institutis ad hoc speciali modo destinatis, <sup>70</sup> qui theologiae et historiae incubuerit, quique res pastorales compertas habeat et sensu publicae orationis Ecclesiae sit imbutus. Consciens sit suum munus non esse mere scientificum seu technicum, sed potius mystagogicum, ut nempe introducat alumnos in vitam liturgicam et in eius spiritualem indolem.

3773

52. Peculiari enim modo magistri qui sacram Scripturam docent, reminiscantur quanto ditiores copiam lectionum biblicarum hodie fidelibus proponat liturgia instaurata, immo omnes liturgiae actiones et signa ex sacra Scriptura suam significationem accipere. <sup>71</sup> Unde futuris presbyteris plenior cognitio sacrorum librorum et historiae salutis necessaria erit, et quidem non tantum scientia exegetica, sed «ille suavis et vivus sacrae Scripturae affectus, quem testatur venerabilis rituum cum orientalium tum occidentalium traditio». <sup>72</sup>

3774

53. Ad maiorem liturgici studii profectum, haud parum conferre poterit cum aliis disciplinis coordinatio, ab ipso Concilio Vat. II commendata. <sup>73</sup> Sic, v. gr., ad sacramentorum praecipue doctrinam atque usum pertractandum, arcta cooperatio habeatur inter magi[546]strum liturgiae et eos qui quaestiones dogmaticas, morales, pastorales et ius canonicum alumnos docent. Frequenter inter se colloquantur, ut fructuosa omnium ad eundem finem conspiratio foveatur, atque eis evite-

3775

<sup>69</sup> *Ratio fundamentalis*, n. 80.

<sup>70</sup> Cf. *Sacrosanctum Concilium*, n. 15; SRC, *Instructio ad executionem Constitutionis de sacra Liturgia recte ordinandam*, d. 26 Sept. 1964, n. 11: AAS 56 (1964) 879.

<sup>71</sup> Cf. *Sacrosanctum Concilium*, n. 24.

<sup>72</sup> *Ibid.*

<sup>73</sup> *Ibid.*, n. 16: «Curent insuper aliarum disciplinarum magistri, imprimis theologiae dogmaticae, sacrae Scripturae, theologiae spiritualis et pastoralis ita, ex intrinsecis exigentiis proprii uniuscuiusque obiecti, mysterium Christi et historiam salutis excolere, ut exinde earum connexio cum Liturgia et unitas sacerdotalis institutionis aperte clarescant». Cf. *Optimam totius*, n. 16; *Ratio fundamentalis*, n. 90.

tur periculum ne saepius eadem dicantur, immo inter se ipsi contradicant.

3776 54. In componendo ordine rerum per curriculum theologicum tractandarum, optandum erit ut, si fieri potest, tractentur res liturgicae eodem tempore quo res theologicae cum quibus nexum peculiarem habent, ita ut, exempli gratia, simul cum tractatione de Ecclesia in liturgia explicentur notiones theologicae Ecclesiae orationis, et ita porro. In quibusdam seminariis iuvabit forsitan eundem magistrum, et quidem sacrae liturgiae, totam doctrinam de sacramentis explanare, dummodo tam in theologia sacramentali quam in scientia liturgica vere peritus sit.

3777 55. Curandum etiam erit ut ex liturgiae disciplina elementa et aspectus apte proferantur, qui conferre possint ad illam theologicam summam, quae, ad Rationis fundamentalis normam (n. 63) ex toto studiorum curriculo expectatur, et ultimo theologi tirocinii tempore peculiari modo elaborari debet.

e) De musica et arte sacra

3778 56. Ob momentum musicae sacrae in liturgicis celebrationibus, alumni eam musicam institutionem et quidem etiam practicam a viris pentis accipere debent, quae necessaria erit in eorum futuro munere praesidis et moderatoris cum liturgiam peragent. Qua in institutione ratio certe habenda est non solum dotum naturalium singulorum alumnorum, verum etiam novarum rationum quae ad faciliores alumnorum progressus hodie generatim adhibentur in scholis ad musicam docendam. At invigilandum est praesertim ut alumni tradatur non tantum utilis quaedam ars musica vocalis et instrumentalis, sed etiam vera et authentica mentis animique formatio, qua praeteritorum saeculorum meliora musica opera cognoscant atque gustent, et inter hodierna experimenta discernere valeant sana ac recta.<sup>74</sup>

3779 [547] 57. Item alumni «dum philosophicis et theologicis studiis incumbunt, etiam de artis sacrae historia eiusque evolutione instituantur, necnon de sanis principiis quibus opera artis sacrae inniti debent, ita ut Ecclesiae venerabilia monumenta aestiment atque servant, et artificibus in operibus efficiendis congrua consilia queant praebere».<sup>75</sup> Immo archaeologia christiana antiquitatis multum confert ad illustrandam vitam liturgicam et fidem primaevae Ecclesiae.

3780 58. Valde necessarium est denique alumnos doceri artem dicendi et significandi, necnon usum instrumentorum communicationis. In liturgica enim celebratione maximi interest a fidelibus intellegi non tantum ea quae dicit vel recitat sacerdos, sive homiliam habet, sive orationes et preces profert, sed etiam ea quae gestibus et actionibus exprimere de-

<sup>74</sup> Cf. Sacrosanctum Concilium, nn. 112-121; SRC, *Instructio Museum sacrum*, d. 5 Mar. 1967: AAS 59 (1967) 300 ss.

<sup>75</sup> Sacrosanctum Concilium, n. 129.



bet. Quae formatio tantum momentum induit in renovata liturgia, ut peculiarem curam mereatur.

f) *De practica pastoralis in liturgicum ministerium initiatione*

59. Practica pastoralis alumnorum in liturgicum ministerium initia-  
tio, quae toto studiorum curriculo congruo modo et certis determina-  
tis occasionibus impertienda est, <sup>76</sup> apicem suum attinget ultimo anno  
tirocinii, quo futuri sacerdotes, postquam e vita liturgica in seminario  
hauserint veri christiani spiritus fontem, accuratorem formationem  
accipient aptatam iis ipsis adiunctis, inter quae suum sacerdotale mu-  
nus exercebunt. Hoc practicae formationis intervallo sedulo praecipue  
insistendum erit in iis pastoralibus praescriptis atque monitis quae epi-  
scopi ediderint de sacramentorum praeparatione et administratione.  
Ad quam formationem tribuendam, magistri seminarii consilia confe-  
rent cum liturgicis commissionibus dioecesis vel regionis.  
Haec conformatio ad cuiusque loci condiciones et praescripta postulat  
etiam ut alumni cognoscant magnique faciant varias populares pietatis  
formas ab auctoritate Ecclesiae commendatas. <sup>77</sup>

3781

g) *De quibusdam alumnis profundiore liturgica scientia ditandis*

60. Ut dioeceses peritos sacerdotes habeant ad sacram liturgiam do-  
cendam et suas commissiones liturgicas moderandas, oportet  
ali[548]quos idoneos candidatos ad huiusmodi munera probe parare.  
Cum ergo commune tirocinium in seminario expleverint atque etiam  
per certum tempus curae pastoralis incubuerint, presbyteri ad hoc ab  
episcopo designati mittantur ad unum ex specialibus Institutis a Sede  
Apostolica vel a conferentiis episcopalibus erectis. <sup>78</sup> Quod praesertim  
in iis regionibus peculiariter urget, in quibus, iudicio competentis auc-  
toritatis ecclesiasticae, profundior liturgica aptatio postulatur.

3782

h) *De liturgica institutione sacerdotibus post studiorum curriculum perficienda*

61. In sacerdotali institutione quae post studiorum curriculum ad  
normam Concilii Vat. II perficienda et continuanda est, <sup>79</sup> sermo erit  
etiam de sacra liturgia. Quod quidem praestat, cum in seminarii tiroci-  
nio non omnia proferri potuerunt de sacrae liturgiae thesauro; idem  
vero suadent etiam temporis nostri circumstantiae. Tanta enim celeri-  
tate mutant generis humani mores et societas, ut praevideri non pos-  
sint, illo institutionis sacerdotalis tempore, quales postea novae diffi-  
cultates curae pastoralis obyenturae quantaeque theologicae controver-  
siae exoriturae. Nec praetermittendae eae, quas rapide lateque diffun-  
dunt ephemerides, conventus, instrumenta communicationis socialis,

3783

<sup>76</sup> Cf. superius nn. 20-21.

<sup>77</sup> Cf. Sacrosanctum Concilium, n. 13.

<sup>78</sup> Cf. Ratio fundamentalis, n. 85.

<sup>79</sup> Cf. Optatam totius, n. 22; cf. Ratio fundamentalis, nn. 100-101.

publicae opiniones, quaeque, etiam de sacra liturgia, quaestiones difficiliore movent, sacerdotibus tamen necessario solvendas, quippe quae cotidianam eorum actuositatem afficiant.

#### CONCLUSIO

- 3784 62. Ex renovata liturgica vita maiores fructus de die in diem oriuntur; nec mirum, quia liturgia summe eo confert ut fideles vivendo exprimant et manifestent mysterium Christi et genuinam Ecclesiae naturam. Hoc beneficium presbyteri et seminariorum alumni magis quam fideles dignoscant se accepisse, cum in liturgia acriorem ac plenioram acquirant sacerdotii eiusque exigentiarum experientiam; invitantur enim ut quod tractant imitentur. Sic igitur sacrae liturgiae assiduum studium et exercitium futuris sacerdotibus incessanter in mentem revocat metam ad quam omnes apostolici tendunt labores, atque efficit ut universi eorum nisus in studiis, in pastoralibus exercitiis et in interiore vita magis in dies maturescant ac ad profundam unitatem componantur.

#### APPENDIX

#### ELENCHUS QUAESTIONUM QUAE IN INSTITUTIONE LITURGICA ALUMNORUM SEMINARII TRACTANDAE VIDENTUR

##### *De hodierna necessitate profundioris liturgicae institutionis*

- 3785 1. Ad normam Constitutionis *Sacrosanctum Concilium*, «disciplina de sacra liturgia in seminariis et studiorum domibus religiosis inter disciplinas necessarias et potiores, in facultatibus autem theologis inter disciplinas principales est habenda, et sub aspectu cum theologico et historico, tum spirituali, pastorali et iuridico tradenda». <sup>1</sup> Ita ergo disciplina liturgica tradenda est ut necessitatibus hodiernis satisfaciat:

a) instauratio liturgica a Concilio Vaticano II coepta et nunc feliciter in effectum deducta intellegenda est sub luce traditionis liturgicae, et quidem non solum traditionis occidentalis sed etiam traditionis Ecclesiarum Orientalium; <sup>2</sup>

b) cum idem Concilium Vaticanum II liturgiae aptationem promoverit secundum ingenium et traditiones populorum, <sup>3</sup> maior et [560] accuratior requiritur investigatio cum historica tum theologica, ne rationes veri et authentici spiritus liturgici laedantur;

c) in dialogo oecumenico plures sunt et difficiles quaestiones quae de liturgia oriuntur, tam de doctrina sacrificii missae, ordinis et ceterorum sacramentorum, quam de ea praxi pastorali, quae in *Directorio de re oecumenica* aliisque Apostolicae Sedis documentis describitur;

d) denique, et quidem praecipue, cum *lex orandi legem credendi sta-*

<sup>1</sup> N. 16; cf. *Optatam totius*, n. 16.

<sup>2</sup> Cf. *Ratio fundamentalis*, n. 79.

<sup>3</sup> Cf. *Sacrosanctum Concilium*, nn. 37-40.

tuerit, traditio liturgica ita investiganda est ut lucem afferat quaestionibus tum doctrinalibus, tum disciplinariis de mysterio Christi, de Ecclesia, de sacramentis hodie agitis. Quinimmo sacra liturgia, quippe quae mysterii christiani fontem orando aperiat, vitae spiritualis alumnorum efficitur alimentum et inter varias curriculi theologici disciplinas unitatem maxime fovet.

*De indole huius indicis*

2. Index quaestionum hic propositus non eo spectat, ut describat immutabilia lineamenta curriculi liturgicae institutionis, quae contra ordinationem exposcit prout circumstantiae postulant. 3786

Et quidem, cum ad normam Rationis fundamentalis institutionis sacerdotalis alumnorum tirocinium incipiendum sit introductione in mysterium Christi et historiam salutis «ut alumni studiorum ecclesiasticorum sensum et ordinem et finem apostolicum percipere possint, simul vero iuventur ad propriam fidem fundandam atque ad vocationem sacerdotalem penitus intellegendam»,<sup>4</sup> hoc obtineri non poterit nisi simul praebebitur apta introductio in liturgiam, quae aut partem constituat cursus introductorii, aut tamquam peculiaris cursus tradatur initio studiorum curriculi: illustretur locus sacrae liturgiae in oeconomia salutis, in vita Ecclesiae et in spirituali uniuscuiusque christiani vita. Brevis etiam expositio Missae et maiorum Officii divini horarum perutilis erit alumnis iam in hoc curriculi initio.

3. Item ordo rerum infra descriptarum opportune ideo mutari potest, quo melius componatur cum aliis disciplinis et vita ipsius seminarii. Sic, exempli gratia, accuratius studium capituli I Constitutionis de sacra liturgia utilius suscipietur ab alumnis qui prima [551] elementa doctrinae theologiae iam acceperunt. Utile item aliquando est tunc de anno liturgico agere eiusque varia tempore illustrare, cum eadem celebrantur. Pariter studium liturgiae sacramentorum opportune sociari poterit eorum studio theologiae. 3787

4. Universa materia, quae in praesenti indice proponitur, non ea mente indicatur tamquam si magister debeat totam in suis praelectionibus illam tradere. Talem argumentorum selectionem faciat, quae essentialem totius liturgiae visionem, saltem per summa capita, alumnis concedat, vitatis iis lacunis quae futurorum presbyterorum praeparationi officiant. Argumenta particularia quae in praelectionibus locum non habuerint, alumnis ita proponantur, ut vel individuali studio, vel in parvis coetibus congregati illis accurate studeant secundum eam rationem, quae in aliis disciplinis optimos iam tulit fructus. 3788

5. Magister disciplinae liturgicae ne obliviscatur suum praecipue esse, alumnos ad illos ipsos textus liturgicos investigandos perducere, quos iidem alumni callere debebunt, ut tales celebrantes evadant, qui valeant populum adducere ad consciam et actuosam participationem mysterii Christi. 3789

<sup>4</sup> N. 62.

3790 6. Cum suadetur ut antiqui fontes adeantur atque pervestigentur, quod saepius in praesenti indice fit, hoc intellegendum est ut quiddam optimum in studiis quidem prosequendum, quod tamen non nisi secundum singulorum seminariorum possibilitatem in effectum deducatur.

*De convenienti compositione huius disciplinae cum aliis in seminario studiis*

3791 7. Sedulo curetur, ut disciplina liturgica congruenter riteque consocietur cum aliis disciplinis in seminario tradendis prout supra in Instructione, nn. 53-57, agitur. Sunt praeterea multae quaestiones connexae, praecipue de sacramentorum doctrina et pastorali administratione, quae vel a liturgiae magistro vel ab aliis tractari possunt, ideoque lacunae aut inutiles repetitiones sedulo vitandae sunt; at potius locum praebebunt interdisciplinari cooperationi, quo alius et maiore cum fructu eiusdem quaestionis argumenta liturgica, dogmatica, canonica, historica et pastoralia simul illustrentur.

#### PARS PRIMA. NOTIONES ET PRINCIPIA

Art. I: *De sacrae liturgiae natura eiusque momento in vita Ecclesiae*

3792 [552] 8. Iuvabit praeponere aliquam introductionem de cultu, sub respectu anthropologico et psychologico considerato, utpote qui interiorius afficiat humanam mentem et etiam apud societates sic dictas «secularizadas», modo quamvis deformi, inveniri possit.

3793 9. Christiana vero liturgia complet et longe exsuperat eam notionem cultus; quod patebit exponendo et commentario illustrando doctrinam nn. 5-13 Constitutionis *Sacrosanctum Concilium*. Declarabuntur igitur:

a) natura liturgiae, quae «merito (...) habetur veluti Iesu Christi sacerdotalis muneris exercitatio in qua per signa sensibilia significatur, et modo singulis proprio efficitur sanctificatio hominis, et a mystico Iesu Christi Corpore, Capite nempe eiusque membris, integer cultus publicus exercetur»;

b) mysterium paschale Christi passionis, ab inferis resurrectionis et ascensionis, ab Ecclesia in liturgia celebratum<sup>6</sup> «a quo omnia Sacramenta et Sacramentalia suam virtutem derivant»;

c) locus quem liturgia occupat in oeconomia salutis. Videlicet «divina magnalia in populo Veteris Testamenti praeluserant»<sup>8</sup> operi salutari Christo, quia, «omnia in figura contingebant eis»;<sup>9</sup> opus vero Christi semel impletum est cum natus ex muliere, factus sub lege, sub Pontio Pilato passus est et tertia die resurrexit; Ecclesia vero usque ad summationem saeculi praedicabit Evangelium, Eucharistiam celebra-

<sup>5</sup> *Sacrosanctum Concilium*, n. 7.

<sup>6</sup> Cf. *ibid.*, n. 6.

<sup>7</sup> *Ibid.*, n. 61.

<sup>8</sup> *Ibid.*, n. 5.

<sup>9</sup> 1 Cor. 10, 11.

bit et alia sacramenta ministrabit, Christi praesentiam praesertim in sacra liturgia agnoscens; 10 rursus vero in terrena liturgia caelestis praelibatur, 11 in qua Deus erit omnia in omnibus.

[553] Explicabitur insuper

d) liturgiam uti signis sacris sensibilibus, ad res divinas invisibiles significandas, et per haec effici, modo singulis proprio, sanctificationem hominis; 12

e) liturgiam, utpote quae sit sacerdotalis muneris Christi exercitatio, duplicem motum complecti: tum a Deo ad homines, ut eorum sanctificatio efficiatur, tum ab hominibus ad Deum, ut ipsi in spiritu et veritate adoratio praestetur; 13

f) quamvis sacra liturgia non exhauriat totam actionem Ecclesiae, esse tamen eam culmen ad quod actio Ecclesiae tendit et simul fontem unde omnis eius virtus emanat. Quod fusius exponere iuvabit ad mentem Constitutionis. 14

Art. II: De indole liturgiae ut actionis hierarchicae et communitatis propriae, necnon de lege liturgica

10. Ad normam nn. 26-32 et 41-42 Constitutionis, proponentur principia de coetu liturgico, scilicet de plebe sancta sub episcopo (vel presbytero eius vices gerenti) convocata et ordinata; eaque opportune illustrabuntur doctrina sacrae Scripturae, exemplis primaevae Ecclesiae, textibus Patrum.

Insuper addere convenit, quibusnam condicionibus legitima sit celebratio quasi privata liturgiae.

11. Insistendum erit in diversitate membrorum et munerum quae coetus liturgicus postulat, ideoque describentur partes celebrantis, ministrorum, scholae cantorum et populi. Partes fidelium eorumque actiosa participatio explanabuntur ad mentem Concilii Vaticani II, et simul distinctio patefiat inter sacerdotium commune baptizatorum et sacerdotium ministeriale vi cuius sacerdos praestit coetui liturgico «in persona Christi». 15

[554] 12. Primum episcopi munus illustrabitur ad mentem Constitutionis *Lumen gentium*.

13. Brevi expositione historica demonstrabit magister leges liturgiae semper spectavisse ad munus sacrae hierarchiae idque ad eam iure divino pertinere; variam autem decursu temporum fuisse huius exercendi iuris rationem.

10. Cf. Sacrosanctum Concilium, nn. 6-7.

11. Cf. *ibid.*, nn. 8-9.

12. Cf. *ibid.*, nn. 7, 33.

13. Cf. *ibid.*, nn. 5-7.

14. Cf. *ibid.*, nn. 9-13.

15. Cf. Ioannes Paulus II, Litt. encycl. *Redemptor hominis*, d. 4 Martii 1979: AAS 71 (1979) 311; Ioannes Paulus II, Epist. *Novo incipiente*, ad universos Ecclesiae sacerdotes, d. 8 Aprilis 1979: L'Osservatore Romano, 9-10 Apr. 1979.

Sic describatur ea hodierna ratio, quam in n. 22 Constitutionis liturgicae decrevit Concilium Vaticanum II, partes scilicet exponendo Apostolicae Sedis, episcopalium conferentiarum et episcopi localis.

- 3798 14. Item expositione historica illustrabitur cur Ecclesia paulatim et quidem iam ab antiquitate vetuerit in liturgia preces ex tempore confici et effundi, atque nunc strictos imposuerit terminos mobilitati ac variationi et experimentis.

Art. III: *De indole didactica et pastoralis liturgiae*

- 3799 15. «In liturgia (...) Deus ad populum suum loquitur; Christus adhuc Evangelium annuntiat. Populus vero Deo respondet tum cantibus tum oratione». <sup>16</sup> Primae igitur tribuuntur in liturgia partes sacrae Scripturae id est Verbo Dei, sive illud legitur et ab omnibus auditur, sive ab ipso coetu cantatur. Fusius magister agat de sacrae Scripturae usu, tum in lectionibus tum in cantibus ex ea desumptis. Ne omittat sermonem quoque facere de lectionibus non biblicis et de cantibus ab Ecclesia compositis. Principia generalia praebeat de celebrationibus biblicis, de homilia et de catechesi, ostendatque maximum sacrae Scripturae momentum ad intellegenda signa, actiones et preces liturgicas. <sup>17</sup>
- 3800 16. Diligentissime erit illustranda vis propria cantus sacri eiusque munus in liturgia. Quare diversa genera cantus exponentur; psalmodia, qua psalmi et cantica biblica proferuntur; hymnodia; doxologiae, acclamationes etc. Dialogus inter celebrantem et coetum fidelium exemplis illustretur.
- 3801 17. Precum etiam genera diversa exponantur, et sacerdotis (ut sunt: orationes, gratiarum actiones, benedictiones, exorcismi, formulae indicativae, preces privatae), et coetus fidelium (ut oratio dominica, tacita precatio cum silentio, litaniae).
- 3802 18. Brevis detur, si potest, historia cantus sacri atque eius originis primaevique progressus, tum etiam indolis cantus Gregoriani; commorentur etiam alia genera traditione probata, illustrentur denique principia in Instructione S.C. Rituum die 5 Martii 1967 data de musica sacra in liturgia.
- 3803 19. Fiet denique sermo de lingua liturgica; breviter describatur disciplinae tam orientalis quam occidentalis; pro viribus et potestate magistri ostendatur quomodo sacrorum librorum conversio, praecipue a Graeco sermone in Latinum, linguam christianam constituerit, et quibusnam principiis interpretationes populares hodiernas dirigere oporteat.
- 3804 20. Cum liturgia sacra non tantum verbis utatur, sed etiam signis, quae, «ad res divinas invisibiles significandas, a Christo vel Ecclesia delecta sunt», <sup>18</sup> sermo erit in praelectionibus tum de gestibus et cor-

<sup>16</sup> *Sacrosanctum Concilium*, n. 33.

<sup>17</sup> Cf. *ibid.*, n. 24.

<sup>18</sup> *Ibid.*, n. 33.

poris habitu in oratione liturgica, tum de rebus materialibus quibus cultus liturgicus utitur. De gestibus et corporis habitu deque eorum significatione ac vi ad animos movendos institutio detur ex sacra Scriptura et ex operibus Patrum; diligenter cavendum erit ne huiusmodi expositio abstracta maneat, sed ad ipsum liturgicum usum descendat. Singillatim, etsi breviter, significatione praesertim biblicam tradere iuvabit elementorum naturalium quibus liturgia utitur, ut sunt lumen, aqua, panis, vinum, oleum, thus etc., maxime vero eorum quae signa sunt sacramentalia.

21. Cum sint hodie qui contendant liturgicum cultum sacra indole exuere, ac proinde perperam arbitrentur non esse adhibendas res atque supellectiles sacras, sed in earum locum res esse substituendas quae ad communem et vulgarem usum pertineant, huiusmodi opiniones refutandae erunt, utpote quae germanam sacrae liturgiae indolem pervertant. <sup>19</sup> 3805

22. Fiet theologica expositio locorum cultui dicatorum et eorum significationis; ritus dedicationis ecclesiarum illustretur. Definientur [556] munera altaris, loci ad Sanctissimam Eucharistiam asservendam destinati, sedis celebrantis, ambonis atque baptisterii. 3806

23. Opera dabitur ut, ex iis quae aliunde alumni docentur, historiam et leges de arte sacra bene dignoscant. Sermo etiam opportune fiet de iconographia christiana deque postulatis quibus ars sacra nostrae aetatis obtemperare debet, ut populo christiano utilis sit. 3807

24. Ex iis omnibus patefiet indoles didactica liturgiae et quomodo, etsi *liturgia* est praecipue cultus divinae maiestatis, magnam etiam contineat populi fidelis eruditionem. <sup>20</sup> Ratio enim reddatur illius pronuntiati *legem credendi lex statuat supplicandi* atque normae praebeantur ad discernenda quatenam ab Ecclesia in sua liturgia fidelibus credenda proponantur, quatenam vero talis generis sint, ut Magisterium in ea auctoritatem suam non interponat. 3808

25. Ut in his omnibus ratio habeatur difficultatum hominum nostri temporis, et pastoribus viae aptae ad eas solvendas indicentur, prae oculis habebuntur scientiae anthropologicae, uti sunt psychologia et sociologia, ea mente quae describitur in Instructione, supra n. 50. 3809

#### Art. IV: *Notiones circa historiam sacrae liturgiae*

26. In exponendis ex ordine singulis actionibus liturgicis et sacramentis, insistendum erit in historia uniuscuiusque ritus, tum ut intelligatur usus liturgicus hodiernus, tum ut theologia sacramentalis clarior et certior fiat. 3810

At quo omnia in decursu lectionum melius clarescant, iuvabit plerumque breviter quaedam lineamenta praeponere de gradibus et aetatibus

<sup>19</sup> Cf. Paulus VI, Allocutio die 14 Octobris 1968 ad Consilium liturgicum habita.

<sup>20</sup> Cf. *Sacrosanctum Concilium*, n. 33.

- totius historiae liturgiae, necnon animadvertere mutuum necessitudinem inter liturgiam et spiritualitatem christianam.
- Sic quantum fieri potest praemittatur descriptio orationis iudaicae, uti tempore Christi peragebatur, praecipue in synagoga, in aedibus privatis et in celebratione paschali, ita ut melius dignoscantur et similitudo et novitas orationis christianae. Describatur deinde coetus liturgicus aetatis apostolicae. Optandum est ut etiam aperiantur alumni fontes liturgici priorum saeculorum (ex. gr.: Didaché, S. Clemens Romanus, S. Iustinus, S. Irenaeus, Tertullianus, [557] Hippolytus Romanus, S. Cyprianus, Didascalia et Constitutiones Apostolicae, Peregrinatio Egeriae), textus selecti ex anaphoris primaevis et ex catechesibus Patrum.
- 3811 27. Cum liturgiae diversarum ecclesiarum paulatim legibus et textibus scriptis processerint, opportunum hic erit familias liturgicas delineare, cum Orientis tum Occidentis, breviterque declarare earum originem, historiam et ingenium; et hoc quidem maximi momenti est iis in regionibus ubi multi fideles adsunt Orientalium Ecclesiarum. Suaderetur etiam, ut bene detegatur affinitatis vinculum inter diversos ritus; in expositione vero singularum actionum et praecipue sacramentorum, semper locus etiam detur textibus et ritibus diversarum liturgiarum, quo ditior praebeatur doctrina et nutriatur devotio.
- 3812 28. Illustrabitur opus Concilii Tridentini ut qui in liturgiam irrepsissent abusus corrigerentur et unitas liturgica promoveretur. Eiusdem Concilii decreta de sacra liturgia proponantur pariterque exponatur quomodo, de Concilii mandato et ad eius mentem, Romani Pontifices libros liturgicos emendaverint, quos ita divulgaverunt ut ad nostram usque aetatem in usu permanserint. Praeterea opportunum erit breviter enarrare quomodo saeculis XVII-XIX, non obstantibus difficultatibus, progressus liturgicus factus sit, ope praesertim eruditionis historicae: devotio erga Eucharistiam, observantia religiosa rituum, pastoralia incepta in diversis regionibus suscepta ut liturgiam christifideles intellexerent et participarent, viam aperuerunt renovationi quae saeculo nostro, a Sancto Pio X coepta, a Concilio Vaticano II latius promota est.
- 3813 29. Ad hodiernam institutionem liturgicam profundius intellegendam, valde utile erit alumni seriem percensere documentorum quibus gradatim in effectum deducta est.

018E PARS SECUNDA. DE MISSA ET CULTU EUCHARISTICO  
 Art. I: *Notiones generales de missa alumni tradendae*

- 3814 30. Ante omnia enarrabuntur Novi Testamenti textus de Eucharistiae institutione, et conferentur cum textibus iudaicis de oratione [558] cotidiana et de cena paschali atque cum aliis testimoniis, quae celebrationem eucharisticam adumbrant.
- 3815 31. Breviter ita describetur missae historia, ut patefiant ea praecipua elementa omnibus missae liturgiis communia, quo melius in hodierna



celebratione discernantur et facilius populo christiano enarrentur. 3824  
Sane optandum est, ut ubi id fieri poterit, textus primigenii ab alumnis legantur, vel ex operibus Patrum selecti, vel ex antiquioribus liturgiis desumpti, qui in multis anthologiis hodie collecti habentur.

Præcipue in iis regionibus ubi degunt fideles rituum orientalium, expediat alumnis seminarii notiones dari de missa horum rituum, sub aspectu præsertim spirituali. 3825

32. Describantur varii modi celebrationis; missa stationalis, missa communis cum populo, missa sine populo, Partes celebrantis, concelebrantium, ministrorum, scholae et fidelium definiantur ad mentem *Institutionis generalis missalis Romani* anno 1970 editae. 3816

33. Fusius et peculiari ratione illustrabuntur concelebratio et eius disciplina hodierna secundum traditionem orientalem et latinam. 3817

34. Ad mentem eiusdem *Institutionis generalis*, cap. 5-6, enarrabuntur condiciones ad missae celebrationem requisitae, et quidem non solum vi traditionis et legis, sed ex mentis ac naturae humanae necessitate: aedes sacrae et altare cum suo ornatu, vasa sacra, vestes sacerdotum et ministrorum et huiusmodi. 3818

PARS TERTIA. DE RELIQUIS SACRAMENTIS ET SACRAMENTALIBUS  
Art. II: Normae ad recta alumnis exponendas singulas missae partes et ritus. 3826

35. In luce magistri ponant duas partes e quibus missa quodammodo constat: liturgiam nempe verbi et eucharisticam, tam arcte inter se coniungi, ut unum actum cultus efficiant. 21 3819

36. Magister copiosius exponet singulos ritus missae, suum cuique momentum tribuens, ita ut clare definiantur varii ritus ingressus, progressus lectionum in liturgia verbi usque ad evangelium et homiliam et orationem fidelium, partes offertorii, ratio et forma totius precis eucharisticae, ritus praeparationis ad communionem, ritus postremi. 3820

[359] Quantum fieri potest, singuli ritus illustrentur tum ratione historica, tum comparatione cum ritibus aliarum liturgiarum. 3821

37. Ea praecipue ratione, partes ceterae quae precem eucharisticam constituunt definiantur et illustrabuntur. 22 3822

38. Praebeatur historica, theologica et pastoralis institutio de communione sub utraque specie. 3822

39. Ad mentem *Instructionis Eucharisticum mysterium*, diei 25 Maii 1967, indicetur qua ratione edocendi sint christifideles ut fructuosior missae participatio ab iis obtineatur etiamque quomodo Eucharistia sit centrum totius ordinis sacramentalis. 3823

3830

21 Cf. *Sacrosanctum Concilium*, n. 56.  
22 Cf. *Institutio generalis*, n. 55; SCCD, *Litterae circulares de precibus eucharisticis*, diei 27 Aprilis 1973.

- 3824 40. Liturgiam verbi cum exponet, magister loquetur etiam de iis celebrationibus verbi quae in Constitutione de sacra liturgia, n. 35, 4), commendantur.<sup>23</sup>

Art. III: *De cultu Eucharistiae extra missam*

- 3825 41. Cum Eucharistiae cultus extra missam valde auctus sit decursu temporum, curandum erit ut huiusmodi incrementa declarentur ratione habita sancti missae sacrificii ac mentis praedictae Instructionis diei 25 Maii 1967, et enarretur pars Ritualis Romani, die 21 Iunii 1973 promulgata, *De sacra communione et de cultu mysterii eucharistici extra missam*.

Sermo fiet ergo tum de communione eucharistica extra missam, tum de custodia Eucharistiae, de eius fundamento theologico et pastorali, de condicionibus iuridicis quae eam moderantur.

Tractabuntur deinde devotiones eucharisticae earumque praecipuae declarationes, ut sunt processiones, expositio SS. Sacramenti, congressus eucharistici, quae ab iisdem documentis commendantur et ita ordiantur, ut a missa deriventur, atque ad sacrificium et communionem participandam fideles ducant.

PARS TERTIA. DE RELIQUIS SACRAMENTIS ET SACRAMENTALIBUS

- 3826 [560] 42. Commentarium renovati Pontificalis et Ritualis fiet praecipue ex textibus ipsis atque eorum *Praenotandis*, ita ut eorum detegatur doctrina; auxilio erit historia rituum, ut hi explanentur et intelligantur. Omnes autem partes absolventur studio quodam pastoralis, quo sacerdotii candidati parentur ad ipsum sacrum ministerium postea exercendum.

Art. I: *De initiatione christiana*

- 3827 43. Initiatio christiana — id est ritus catechumenatus, sacramenta baptismatis et confirmationis, necnon primus accessus ad Eucharistiam — ideo diligenter est exponenda, quod fundamentum est catecheseos quae pueris traditur, immo quod ubique terrarum ingens numerus adultorum eandem viam initiationis percurrere contendit.

- 3828 44. Optandum est ergo ut explanetur historia liturgiae baptismalis et catechumenatus liturgici, ita ut recte intellegatur et illustretur ordo baptismi adultorum per gradus conferendi. Ritus ipsi baptismales illustrentur liturgia quadragesimali, textibus missae chrismatis, ritibus et textibus vigiliae paschalis et octavae Paschae.

- 3829 45. Invitentur et ducantur pro viribus alumni ad legendas catecheses baptismales Patrum, ad quas hodie facilis est accessus, cum earum in promptu sint editiones tum in lingua originali tum in lingua vernacula.

- 3830 46. Convenit ut breviter declarentur baptismatis commemorationes antiquitus vel recentius celebratae, atque, hac oblata occasione, tradatur diligens institutio pastoralis de earum momento et de fructibus qui

<sup>23</sup> Cf. SRC, Instructio, diei 26 Sept. 1964, nn. 37-39.

ex his commemorationibus in vita spirituali paroeciarum et fidelium legitime exspectantur.

47. Iisdem auxiliis ac eadem ratione explanetur ritus confirmationis ad mentem Constitutionis Apostolicae *Divinae consortium* die 15 Augusti 1971 a Paulo VI datae, ita ut simul et vis propria huius sacramenti declaretur, et intima eius coniunctio cum baptismo illustretur. Peculiari modo, vel a magistro liturgiae vel a magistro theologiae [561] pastoralis describenda sunt pastoralia incepta ad praeparationem et fructuosam confirmationis celebrationem, ac simul ordinationes hac in re a conferentia episcopali vel ordinario loci fortassis datae. 3831

48. Breviter loqui convenit de Eucharistia, considerata veluti corona sacramentorum initiationis, atque de puerorum admissione ad Eucharistiam suscipiendam. 3832

#### Art. II: *De ordine et de diversis ministeriis*

49. Ritus et disciplina sacramenti ordinis et Ecclesiae ministeriorum eo fusius describendi et illustrandi sunt, quo profundior iussu Concilii Vaticani II facta est eorum instauratio. Quaestio sane erit, utrum hoc argumentum in cursu praelectionum liturgicarum tractandum sit, an potius gradatim, cum ad singula ministeria vel ad ordines alumni promoventur. 3833

Nihilo minus officium erit magistri sacrae liturgiae saltem textus Pontificalis Romani instaurati enarrare atque traditione historica illustrare Constitutionem Apostolicam *Pontificalis Romani* (18 Iunii 1968), Litteras motu proprio datas *Sacrum diaconatus ordinem* (18 Iunii 1967), *Ad pascendum et Ministeria quaedam* (15 Augusti 1972).

Quantum fieri potest, aliquid illustretur de ordinationibus in Ecclesiis Orientalibus, et hoc praecipue iis in regionibus ubi degunt multi fideles rituum orientalium.

50. At contendendum erit ut ordinatio episcopalis recte exponatur, unde clare appareat omnes ordines et ministeria ad episcopum referri et praecipue presbyteros esse cooperatores episcopi et «secundi meriti munus» adeptos. 3834

#### Art. III: *De matrimonio et virginitate*

51. Ritus nuptiarum historice exponetur; eius varietas eiusque proprietates pro locorum differentia praebeantur; ostendetur quomodo semper ritus se accommodaverit ad religiosos civilesque diversorum populorum mores. Describantur textus et lectiones qui in Rituali instaurato copiosius praebentur. 3835

Quia vero, ex doctrina Novi Testamenti et Patrum, matrimonium christianum et sacra virginitas inter se sociantur et simul intelleguntur, cum liturgia matrimonii magis proprie componenda est liturgia consecrationis virginum, in Pontificali Romano instaurato descripta.

Art. IV: De liturgia consecrationis religiosae

- 3836 [562] 52. Idem ritus consecrationis virginum et ritus professionis religiosae breviter descripti illustrabunt quomodo vita religiosa in Ecclesia peculiarem statum constituat, sicut docet Concilium Vaticanum II in Constitutione *Lumen gentium*: 24

Art. V: De liturgia paenitentiali

- 3837 53. Optandum est ut alumnos detur brevis ac adumbrata historia liturgiae et disciplinae paenitentialis, quo melius intellegantur tantum sum paenitentiae sacramentum, quam alii actus paenitentiales. Auxilio Ritualis Romani instaurati et normarum pastoralium a S. Congregatione pro Doctrina Fidei die 16 Junii 1972 datarum enarrentur ritus sacramenti paenitentiae, et declaretur quibus condicionibus imperitari possit absolutio modo generali. Illustretur praeterea indoles paenitentialis liturgiae quadragesimalis, momentum paenitentialis actus qui initio missae agitur, atque exponantur normae pro celebrationibus paenitentialibus quae in memoratis documentis continentur.

Art. VI: De liturgia infirmorum

- 3838 54. Illustrentur Constitutio Apostolica *Sacram unctionem* die 30 Novembris 1972 data atque *Ordo unctionis infirmorum eorumque pastoralis curae* Ritualis Romani instaurati. Haec instauratio, a Concilio Vaticano II praecepta, 25 historia liturgica opportune comprobabitur.

Art. VII: De liturgia mortis christianae

- 3839 55. Cursus liturgiae aget etiam de liturgia morientium et mortuorum; et primo quidem de sancto viatico, deinde de ritibus commendationis animae, denique de exsequiis. Debita in luce ponentur omnes horum rituum aspectus, qui paschale mysterium expriment. Alumno vero perducantur ad textus seligendos ex ditiore copia quae in Rituali instaurato offertur et edoceantur de pastoralis cura morientium atque de momento pastoralis exsequiarum celebrationis.

Art. VIII: De sacramentalibus

- 3840 [563] 56. Agendum erit de processionibus in universum deque earum momento religioso; ostendatur quomodo sacrae peregrinationes sint peculiaris quaedam forma processionis et earum momentum pastorale illustretur.
- 3841 57. Benedictiones theologice et historice, etsi breviter, exponantur; insistendum erit in earum significatione et utilitate ad vitam cotidianam consecrandam; alumnos inculcabitur reverentia et observantia erga omnes legitimas formas, quibus christianus fidem suam in ipsa vita

24 Cf. cap. VI.

25 Cf. Sacrosanctum Concilium, nn. 73-75.

manifestat; simul vero de cautelis adhibendis moneantur, ne abusus ir- 3841  
repant vel superstitiones.

PARS QUARTA SANCTIFICATIO TEMPORIS

58. Incipiendum erit a die dominica «quippe quae sit fundamentum 3842  
et nucleus totius anni liturgici». 26

Art. I: De die dominica

59. Maximi fiat dies dominica, cuius definitio et elementa ex Const. 3843  
de sacra liturgia illustranda erunt. 27 Historicis argumentis ostendetur  
eam esse pascha hebdomadariam, et tam arcte cum primordiis Eccle-  
siae connexam, ut ex traditione apostolica originem ducat ab ipso die  
resurrectionis Christi. 28

60. Rationes pastorales perpendendae sunt quae ad veram perducant 3844  
sanctificationem huius diei, sicut omnes christifideles reapse facere de-  
bent.

61. Dominicae dies «per annum» divitias verbi Dei populo christiano 3845  
offerunt, idoque alumni ita de iis edoceantur oportet, ut earum cele-  
brationem ad normam legum liturgicarum fideliter diligenterque pro-  
moveant.

Art. II: De anno liturgico

[564] 62. Etsi toto anni decursu alumni seminarii a suis moderato- 3846  
ribus et magistris de temporibus ac festis occurrentibus sapienter et  
studiose celebrandis edocentur, convenit tamen ut etiam summa quae-  
dam anni liturgici compositae et ordinate in praelectionibus praebeantur,  
luce historiae et ad mentem Litterarum *Mysterii paschalis* Motu pro-  
prio a Paulo VI die 14 Februarii 1969 datarum.

63. Primo omnium tradetur historia et spiritualis indoles Paschalis et 3847  
circuli paschalis, id est: tempus paschale quinquaginta dierum, quod  
in sollemnitate Pentecostes culmen suum attingit; triduum paschale,  
tempus praeparationis seu quadragesima; at praecipue alumni ita insti-  
tuti debent ut mysterium paschale impensius in animis vivant, atque pa-  
rentur ad suum futurum paschale ministerium.

64. Deinde exponetur cursus festorum Nativitatis et Epiphaniae cum 3848  
eorum historia et spirituali significatione.

65. Breviter illustrabuntur recentiores sollemnitates Domini in an- 3849  
num liturgicum inductae: Trinitatis, Corporis Christi, SS. Cordis,  
Christi Regis etc.

66. Historice illustretur cultus Beatae Virginis in Ecclesia 29 et spec- 3850  
tentur eius festa praecipua per anni circulum occurrentia.

26 Sacrosanctum Concilium, n. 106.

27 Cf. *ibid.*

28 Cf. *ibid.*

29 Cf. *ibid.*, n. 103.

3851 67. Quod ad sanctos attinet, quorum memoria in annum liturgicum inserta est, doctrina prae oculis habeatur Constitutionis liturgicae.<sup>30</sup> Describantur breviter origo et progressio historica cultus martyrum aliorumque sanctorum, devotio erga eorum sepulcra vel reliquias, locus quem sanctorum cultus occupat in vita christiana.

Art. III: De sanctificatione horarum diei et de officio divino

3852 68. Ut animi alumnorum ad officium divinum pie et cum fructu celebrandum disponantur, interest magistri disciplinae liturgicae eis enarrare *Institutionem generalem* quae praeponitur Libro Liturgiae Horarum a Paulo VI promulgato die 1<sup>o</sup> Novembris 1970.

3853 [565] 69. Insistendum nempe est in parte doctrinali illius *Institutionis* (Caput I) atque imprimis quidem declarabitur officium laudis a Christo Ecclesiae concreditum, quod expletur non tantum Eucharistia celebranda, sed etiam aliis modis et praesertim officio divino persolvendo.<sup>31</sup>

3854 70. E testimonio Actuum Apostolorum et Ecclesiae traditione ostenditur momentum maximum horarum officii ad sanctificandum diem eiusque partes, et ad apte implendum divinum praeceptum orandi sine intermissione; vis symbolica uniuscuiusque horae ex scriptis primaevo- rum auctorum spiritualium et ex orationibus hodierni Libri Liturgiae Horarum dilucide patebit.

3855 71. Ratio reddatur de peculiari pondere spirituali et pastorali laudibus matutinis et vespers a Concilio Vaticano II attributo, quod eas duplicem cardinem totius officii nuncupat.<sup>32</sup>

3856 72. Declaretur quomodo Ecclesia suam fecerit hanc precem cotidianam, ita ut vere sit «vox (...) ipsius Sponsae, quae Sponsum alloquitur, immo etiam oratio Christi cum ipsius Corpore ad Patrem».<sup>33</sup>

3857 73. Foveatur speciali modo devotio alumnorum erga psalmos, tam enarrationibus exegeticis a magistro sacrae Scripturae propositis, quam psalmorum titulis et orationibus in Libro Liturgiae Horarum descriptis.<sup>34</sup>

3858 74. Ex Concilii Vaticani II decretis<sup>35</sup> declaretur tum indoles communitaria officii, ad cuius partem habendam fideles invitantur, tum mandatum speciale quo ad hoc mirabile canticum peragendum sacerdotes aliique peculiariter deputati sunt.

<sup>30</sup> Cf. *Sacrosanctum Concilium*, n. 104.

<sup>31</sup> Cf. *ibid.*, n. 83.

<sup>32</sup> Cf. *ibid.*, n. 89; *Institutio generalis*, nn. 37-54.

<sup>33</sup> *Sacrosanctum Concilium*, n. 84; *Institutio generalis*, nn. 15-16.

<sup>34</sup> Cf. *Institutio generalis*, nn. 100-135.

<sup>35</sup> Cf. *Sacrosanctum Concilium*, nn. 84-100; *Presbyterorum ordinis*, nn. 6 et 13; *Lumen gentium*, n. 41; *Institutio generalis*, nn. 20-37.

75. Utile erit nonnulla dicere de traditionibus diversarum Ecclesiarum circa officii structuram atque celebrationem et breviter describere historiam officii Romani cum reformationibus a saeculo XVI usque ad nostram aetatem effectis. 3859

*[The following text is extremely faint and largely illegible due to the quality of the scan and the angle of the page. It appears to be a list of references or a detailed bibliography.]*

Die 16 octobris 1979 Ioannes Paulus II «ad Episcopos, Sacerdotes et Christifideles totius Catholicae Ecclesiae» Adhortationem Apostolicam «de catechesi nostro tempore tradenda» direxit. In qua Adhortatione Summus Pontifex saepenumero de rebus liturgicis loquitur.

Ed. - Lat.: AAS 71 (1979) 1277-1340. Gall.: DC 76 (1979) 901-922. Germ.: VAS 12; *Zur Freude des Glaubens hinführen*, Freiburg i. Br. 1980, 7-112; HK 33 (1979) 609-628. Hisp.: *Catechesi Tradendae* (ed. PPC), Madrid 1979; E 39 (1979) 1405-1429. Ital.: EV 6, 1175-1291; RD 24 (1979) 482-497; *Educare alla fede* = Servizio dell'Unità 24, Leumann (Torino) 1979. Lus.: *Exortação Apostólica «Catechesi Tradendae» de Sua Santidade o Papa João Paulo II*, Lisboa 1979. Neer.: AK 34 (1979) 1149-1194; BTD 3; WKD 7.

COMM. - Germ.: A. EXELER, in: *Zur Freude des Glaubens hinführen*, Freiburg i. Br. 1980, 113-162; U. RUH, in: HK 34 (1980) 3-4. Hisp.: M. MATOS, in: E 39 (1979) 1430-1431; AA.VV., in: *Actualidad Catequética* 96, Madrid 1980. Ital.: CC 130/IV (1979) 313-319; I. BIFFI, in: *Rivista del Clero italiano* 61 (1980) 120-123; B. MONDIN, in: OR 23-I-1980, 5; C. BISSOLI, in: *Catechesi* 49/1 (1980) 5-17; U. GIANETTO, in: *Catechesi* 49/7 (1980) 51-64; G. CAVALLON, in: *Catechesi* 49/13 (1980) 3-14; F. LEVER, *ibid.*, 15-25; AA.VV., in: *Via, Verità e Vita* n. 77 (1980) 3-79; *La catechesi del nostro tempo*, Roma 1980; AA.VV., *La catechesi negli anni 80. Da «Il rinnovamento della catechesi» alla «Catechesi tradendae»*, Roma 1981; G. CONCETTI (ed.), *Evangelizzazione e catechesi* = *Sussidi pastorali e liturgici* 45, Milano 1980; E.F. FORTINO, in: OR 27-V-1982, 2. Neer.: AK 34 (1979) 1193-1196.

I

- 3860 6. [...] [1282] Ad quam diligens studium verbi Dei, ab Ecclesiae Magisterio traditi, incumbere debet catecheseos institutor, quam intime cum Christo et Patre agere, quam assidue precibus fundendis vacare, quam abalienatus a semet ipso esse, ut dicere valeat: «Mea doctrina non est mea»!
- 3861 [1284] 9. Non sane obliviscimur, in haec animum intendentes, maiestatem Christi docentis itemque cohaerentiam atque vim persua-



dendi eius doctrinae ex eo manare quod eius tum verba tum parabolae tum disceptationes nequeant ab ipsius vita atque persona separari. Rem ita consideranti tota Christi vita apparebit perpetua quaedam institutio: silentia videlicet ipsius, signa, preces, amor erga homines, studium humilium atque pauperum singulare, sacrificium Crucis in hominum redemptionem plene susceptum, ipsa denique Resurrectio sunt effectio verbi atque consummatio Revelationis ipsius; quocirca Crucifixus evasit Christifidelibus imago pulcherrima atque notissima Christi Magistri.

3862

II

[1285] 10. Christi docentis imago inhaeserat in mentibus duodecim Apostolorum ac priorum discipulorum; atque iussum: «Euntes ergo docete omnes gentes»<sup>28</sup> omnem vitam illorum direxit. [...]  
Totus autem liber Actuum Apostolorum testatur fideles illos acceptae vocationi missionique fuisse. Primae quidem communitatis christianae sodales fuerunt «perseverantes in doctrina Apostolorum et communicatione, in fractione panis et orationibus»<sup>31</sup>. Deprehenditur hic nimirum iam stabilis Ecclesiae imago, quae e docentium Apostolorum fonte hauriens, ut nascitur atque nutritur continenter verbo Domini, sic illud celebrat in sacrificio eucharistico, eius testimonium perhibet in mundo per documenta caritatis, [...]

3862

[1288] 14. Patet ante omnia catechesim semper fuisse sacrum Ecclesiae officium iusque perpetuum, a quo discedi non possit. Ex una parte est profecto officium ex Domini mandato natum, quod eos praesertim obstringit, qui Novo in Foedere acceperunt vocationem ad pastorum ministerium; ex altera vero parte licet de eo item loqui ut de rure; si enim rem theologicam consideramus, quisque baptizatus, ob ipsum suum baptismum, habet aequabiliter ius recipiendae ab Ecclesia institutionis et educationis, quae eum iuvet, ut ad veram christianam vitam perveniat. [...]

3863

3863

III

[1292] 18. In universum affirmari potest catechesim esse educationem in fide impertiendam pueris, iuvenibus, adultis, potissimum per institutionem doctrinae christianae, quae plerumque cohaerenti fit via atque ratione, eo nempe consilio ut credentes christianae vitae plenitudini invenientur. Quae quidem institutio plura elementa pastoralis missionis Ecclesiae continet, quae sane catechesim sapiunt, quaeque vel eam praeparant vel ab illa manant, quamvis cum iisdem elementis illa haud plane coalescat. Sunt autem: prima Evangelii annuntiatio seu praedicatio missionalis per *kerygma* ad fidem excitandam; res apologetica seu inquisitio argumentorum, quae ad credendum moveant; exercitatio christianae vitae; celebratio Sacramento-

3864

<sup>28</sup> Mt. 28, 19.

<sup>31</sup> Act. 2, 42.

rum; plena communitatis ecclesialis participatio; testimonium demum vitae apostolicae atque missionalis. [...]

3865 19. [...] [1293] In usu tamen cotidiano oportet haec docendi via, sane optima, huius rei habeat rationem: saepe primam evangelizationem impertitam non esse. Nam nonnulli pueri, in prima infantia baptizati, ad catechesim paroecialem accedunt, nullo adhuc modo fidei initiati neque ulla sua expressa et personali coniunctione cum Christo ducti, sed tantum credendi facultate praediti, baptismo et Spiritus Sancti praesentia in ipsos infusa; et sive praeiudicatae opiniones in familiis parum christianis receptae, sive educatio «positivismo», quem dicunt, imbuta, non paucos cito excitant diffidentis animi renisus. Alii etiam his adiunguntur pueri non baptizati, quorum parentes sero tantum institutioni religiosae assentiuntur, unde fit, ut ob causas in re positas ex magna parte eorum tempus catechumenale saepe in catechesi ordinaria peragatur. Multi postea, et adulescentes et adulescentiam vix attingentes, quamvis baptizati sint et ordinata catechesi instituti atque Sacramenta acceperint, diu haesitant num totam vitam suam Iesu Christo impendant, nisi forte, nomine libertatis suae, educationem religiosam vitare nituntur. [...]

3866 20. Quod autem catechesi peculiariter est propositum, ea non minus contendere debet, ut, Deo auxiliante, fides adhuc initialis progrediatur et ut vita christiana fidelium cuiusque aetatis ad plenitudinem perducatur atque alatur cotidie. Id profecto [1294] agitur, ut, sive in cognitione sive in usu, fidei semina, quae Spiritus Sanctus cum primo nuntio spargit et quae baptismate efficaciter transmittuntur, grandescant. [...]

3867 [1296] 23. Catechesis suapte natura cum omnibus celebrationibus liturgicis atque sacramentalibus coniungitur, quippe cum in Sacramentis, maxime in Eucharistia, Christus Iesus cumulate agat ad hominum transformationem.

Hoc autem loco addere debemus *epistolam illam sacerdotibus inscriptam aliquot tantum quaestiones perstrinxisse*, id quod clare ceteroquin enuntiatur in ipsius principio. <sup>1</sup> Maxime praeterea elata est pastoralis natura ministerii sacerdotalis, quod tamen nequaquam significavit omissos esse eos sacerdotum numeros qui nullum directo explerent pastorale opus. Ad hanc igitur rem quod attinet, iterum repetimus Concilii Vaticani II magisterium necnon pronuntiationes Synodi Episcoporum anno millesimo nongentesimo septuagesimo primo actae. Pastoralis ratio ministerii sacerdotalis numquam comitari desinit cuiusque sacerdotis vitam, licet cotidiana quibus fungitur munera ad pastorem sacramentorum administrationem aperte non referantur. Sic ergo epistula, quam appropinquante Feria Quinta in Cena Domini sacerdotibus dedimus, inscripta quidem universis est, nullo excepto, tamen — ut notavimus — non cunctas ea tetigit vitae operaeque sacerdotum quaestiones. Ita utile profecto et opportunum esse credidimus iam harum Litterarum initio haec in lumine ponere.

## I. EUCHARISTICUM MYSTERIUM IN ECCLESIAE SACERDOTISQUE VITA

### EUCCHARISTIA ET SACERDOTIUM

3912 [115] 2. Hae Litterae — quas scribimus vobis, Venerabiles ac Dilecti Fratres in episcopatu, quasque diximus certo modo continuare priorem epistolam — arcta etiam necessitudine cum mysterio Cena Domini coniunguntur simulque cum ipso sacerdotio. In animo enim habemus has Litteras Eucharistiae dicere ac praesertim *quibusdam partibus eucharistici mysterii eiusque effectibus in vita eorum qui sacro in ministerio versantur*: idcirco epistolam recta via accipitis quidem vos, Ecclesiae Episcopi, tum una vobiscum sacerdotes omnes ac dein secundum gradum proprium diaconi.

Re quidem vera sacerdotium ministeriale sive hierarchicum, sacerdotium episcoporum ac presbyterorum, iuxta quos etiam diaconorum ministerium — quae officia plerumque ab Evangelii nuntiatione initium sumunt — intimo quodam nexu cum Eucharistia cohaerent. Ipsa videlicet princeps summaque ratio est cur omnino sit sacerdotii Sacramentum, quod nempe ortum simul sit instituta Eucharistia unaque cum ea. <sup>2</sup> Haud sine causa ideo prolata verba sunt «hoc facite in meam commemorationem» continuo post formam eucharisticae consecratio-

<sup>1</sup> Cf. cap. 2: AAS 71 (1979) 395 s.

<sup>2</sup> Cf. Conc. Tridentinum, sess. XXII, can. 2: *Conciliorum Oecumenicorum Decreta*, 3 ed. Bologna 1973, 735.

nis, quae nos pariter proferimus, quotiens Sanctissimum celebramus Sacrificium.<sup>3</sup>

*Per ordinationem nostram*, cuius celebratio cum Missae Sacrificio iam e primo liturgico documento consociatur,<sup>4</sup> in[116]signi nos immo singulari prorsus modo cum Eucharistia colligamur. Certo etiam pacto existimus «ex ea» et «pro ea»; existimus etiam habemusque officia quaedam «circa eam» — tum unusquisque sua in communitate sacerdos, tum episcopus unusquisque propter omnium communitatum curam sibi concreditarum, sicut poscit illa «sollicitudo omnium Ecclesiarum» de qua Sanctus Paulus loquitur.<sup>5</sup> Nobis itaque episcopis ac sacerdotibus permagnum commendatur «Mysterium Fidei»; et quamquam traditum pariter est universo Populo Dei singulisque in Christum credentibus, nobis tamen Eucharistia commissa est etiam «pro» ceteris qui peculiarem a nobis expectant venerationis amorisque testificationem erga hoc Sacramentum, ut et ipsi aedificati ac vivificati valeant «offerre spiritalis hostias».<sup>6</sup>

Cultus sic eucharisticus noster — sive in Missae celebratione sive erga augustum Sacramentum — quasi motus quidam vivificus fit, qui ministeriale nostrum seu hierarchicum sacerdotium iungit communi fidelium sacerdotio illudque exhibet secundum rationem ipsius verticalem, ut aiunt, necnon secundum vim et pondus proprium idque primarium. Sacerdos munus suum praecipuum implet omnique sua plenitudine se ipse ostendit Eucharistiam celebrando;<sup>7</sup> id quod vel plenius demonstratur, cum ipse efficit ut huius mysterii altitudo perluceat ea mente ut per ministerium suum in animis hominum conscientiisque id solum refulgeat. Haec est praeclarissima exercitatio «regalis sacerdotii», «totius vitae christianae fons et culmen».<sup>8</sup>

#### MYSTERII EUCHARISTICI CULTUS

[117] 3. Ad Deum Patrem dirigitur hic cultus per Iesum Christum in Spiritu Sancto. In primis quidem ad Patrem qui, ut in Sancti Ioannis Evangelio dicitur, «sic ... dilexit ... mundum, ut Filium suum Unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam».<sup>9</sup>

<sup>3</sup> Quod attinet ad istud Domini praeceptum, in quadam Liturgia eucharistica Aethiopica haec verba continentur: Apostoli «constituerunt nobis patriarchas, archiepiscopos, presbyteros et diaconos ad ritum (celebrandum) Ecclesiae tuae sanctae»: *Anaphora S. Athanasii: Prae Eucharistica*, ed. Haenggi-Pahl, Fribourg (Suisse) 1968, 183.

<sup>4</sup> Cf. *La tradition apostolique de saint Hippolyte*, nn. 2-4, ed. Botte, Münster/Westfalen 1963, 5-17.

<sup>5</sup> 2 Cor. 11, 28.

<sup>6</sup> 1 Petr. 2, 5.

<sup>7</sup> Cf. *Lumen gentium*, n. 28; *Presbyterorum ordinis*, nn. 2; 5; *Ad gentes*, n. 39.

<sup>8</sup> *Lumen gentium*, n. 11.

<sup>9</sup> Io. 3, 16; iuvat memorare haec verba resumi in Liturgia S. Ioannis Chrysostomi proxime ante verba consecrationis, ad quae animos componunt: cf. *La divina Liturgia del santo nostro Padre Giovanni Crisostomo*, Roma-Grottaferrata 1967, 104 s.

Etiam vero in Spiritu Sancto ad illum incarnatum Filium convertitur, secundum consilium operandae salutis, potissimum autem in ipso tempore extremae devotionis vitae suae totiusque traditionis sui, ad quod voces referuntur in cenaculo expressae: «hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur» ... «hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis effundetur». <sup>10</sup> Liturgica exinde acclamatio: «Mortem tuam annuntiamus, Domine», ad illud nos ipsum temporis punctum reducit; eius porro resurrectionem confitentes amplexamur eodem prorsus venerationis actu Christum resuscitatum et glorificatum «ad dexteram Patris» atque etiam posthac «venturum cum gloria». *Verumtamen voluntaria exinanitio, quae Patri placuit resurrectioneque claruit, quaeque sacramentaliter una cum resurrectione celebratur, nos adducit ad Redemptorem illum adorandum qui est «factus oboediens usque ad mortem, mortem autem crucis».* <sup>11</sup>

3915 Quae quidem adoratio nostra aliam insuper continet peculiarem proprietatem. Pervaditur enim sublimitate Mortis huius Humanae qua mundus universus, id est nostrum unusquisque, dilectus est «in finem». <sup>12</sup> Sic responsio quoque ipsa est qua rependere studemus premium Amoris illius immolati usque ad [118] mortem in cruce. Haec nostra «Eucharistia» est, nostra videlicet gratiarum actio ei adhibita eiusdemque laudatio quod sua nos morte redemit ac participes suam per resurrectionem reddidit vitae immortalis.

Talis propterea cultus, ad Trinitatem Patris et Filii et Spiritus Sancti intentus, comitatur permeatque in primis liturgiae eucharisticae celebrationem. At sacras aedes nostras pariter implere debet etiam extra Missarum tempora. Etenim, mysterium eucharisticum cum sit ex amore institutum nobisque Christum sacramentali ratione praesentem efficiat, dignum semper gratiarum actione est atque cultu. Qui cultus emineat oportet omni in nostra congressione cum Sanctissimo Sacramento, sive cum templa nostra invisimus sive cum Species sacrae aegrotis deferuntur atque traduntur.

3916 Adoratio autem Christi hoc in sacramento declaranda erit *variis eucharisticae pietatis formis*: precibus singulorum coram Sanctissimo Sacramento effusis, horis adorationis, expositionibus brevibus vel longioribus, etiam annuis (supplicationibus per Quadraginta Horas habitis), eucharisticis benedictionibus ac processionibus necnon ipsis Conventibus eucharisticis. <sup>13</sup> Memorari vero nominatim hoc loco decet sollemnitatem «Corporis et Sanguinis Christi» tamquam actum publici

<sup>10</sup> Cf. Mt. 26, 26 ss.; Mc. 14, 22-25; Lc. 22, 18 ss.; 1 Cor. 11, 23 ss.; cf. etiam Preces Eucharisticae Liturgiae.

<sup>11</sup> Phil. 2, 8.

<sup>12</sup> Io. 13, 1.

<sup>13</sup> Cf. Ioannes Paulus PP. II, *Allocutio Dublini habita in hortis, quibus nomen «Phoenix Park»*, n. 7 (29 Sept. 1979); AAS 71 (1979) 1074 ss.; SRC, *Instructio Eucharisticum Mysterium*: AAS 59 (1967) 539-573; *Rituale Romanum, De sacra communione et de cultu sanctificationis harum pietatis formarum in Eucharistiam non ex ipsis formis sed potius ex intimis mentis rationibus pendere.*

cultus Christo tributi in Eucharistia praesenti, quem ad modum fieri voluit Decessor Noster Urbanus IV, ut nempe magni huius Mysteriorum institutio, recoleretur. <sup>14</sup> Haec ideo omnia plane conveniunt universalibus principiis normisque particularibus iam [119] diu vigentibus, sed denuo per Concilium Vaticanum II aut postea edictis. <sup>15</sup>

Alacris propagatio altiusque studium eucharistici cultus est *verae renovationis documentum* quam sibi Concilium uti finem proprium statuerat in quaque est *ut in re primaria* versatum. Id quod, Venerabiles ac Dilecti Fratres, aliquam seorsum meretur considerationem. Ecclesiae quidem et mundo valde opus est eucharistico cultu. Ne tempori nostro parcamus ut eum conveniamus cum adoratione, cum contemplatione fidei plena et parata graves culpas et crimina mundi compensare. Adoratio nostra profecto numquam deficiat.

#### EUCARISTIA ET ECCLESIA

4. Concilii ipsius beneficio nos renovata vi sumus nobis conscii huius veritatis: sicut Ecclesia «faciat Eucharistiam», ita «Eucharistiam facere» Ecclesiam; <sup>16</sup> quam quidem veritatem arcte adhaerere ad mysterium Ferae Quintae in Cena Domini. Condita enim Ecclesia est velut nova communitas Populi Dei intra ipsam Duodecim illorum communitatem apostolicam, qui in novissima Cena Corpus et Sanguinem Domini participaverant sub panis vini que speciebus. Dixerat enim iis Christus: «accipite et manducate ...», «accipite et bibite». Qui vicissim exsequentes hoc eius mandatum ingressi primum sunt communionem sacramentalem cum Dei Filio, quae vitae [120] aeternae est pignus. Ex illo tempore usque ad temporum finem *Ecclesia se ipsa aedificat per eandem cum Dei Filio communionem, quae aeterni est Paschatis pignus.*

3917

Dilecti ac Venerabiles in episcopatu Fratres, uti magistri nos et custodes salvificae veritatis Eucharistiae semper et ubique debemus conservare hanc significationem ac rationem congressionis sacramentalis intimaeque coniunctionis cum Christo. Quae quidem substantiam ipsam eucharistici cultus efficiunt. Porro veritatis huius supra explicatae sensus nullo modo deminuit, quin immo perficit eucharisticam indolem spiritualis necessitudinis societatisque inter homines, qui fiunt Sacrificii ipsius participes, quod iis dein in Communionem evadit convivium.

<sup>14</sup> Cf. Bulla *Transiturus de hoc mundo* (11 Aug. 1264): Aemilii Friedberg, *Corpus Iuris Canonici*, Pars II. *Decretalium Collectiones*, Leipzig 1881, 1174-1177; *Studi eucaristici*, VII centenario della Bolla «Transiturus» 1264-1964, Orvieto 1966 302-317.

<sup>15</sup> Cf. Paulus PP. VI, Litt. Enc. *Mysterium Fidei*: AAS 57 (1965) 753-774; SRC, *Instructio Eucharisticum Mysterium*: AAS 59 (1967) 539-573; *Rituale Romanum, De sacra communione et de cultu Mysteriorum eucharistici extra Missam*, ed. typica, 1973.

<sup>16</sup> Ioannes Paulus PP. II, Litt. Enc. *Redemptor Hominis*, n. 20: AAS 71 (1979) 311; cf. *Lumen gentium*, n. 11; insuper annotat. 57 ad n. 20 Schematis II eiusdem Constitutionis dogmaticae in opere quod inscribitur *Acta Synodalia Sacrosancti Concilii Oecum. Vat. II*, vol. II, periodus 2, pars I, sessio publica II, 251 s.; Paulus PP. VI, *Allocutio habita in Admissione Generali* (15 Sept. 1965): *Insegnamenti di Paolo VI*, III (1964) 1036; H. De Lubac, *Méditation sur l'Eglise*, 2 ed., Paris 1953, 129-137.

Haec autem hominum appropinquatio et consociatio, cuius prototypus Apostolorum est congregatio circum Christum in ultima Cena, exprimit Ecclesiam et ad effectum adducit.

3918 Ad hunc tamen ea adducitur non solum per ipsam inter homines consortionem neque solum per fraternitatis experientiam, cuius occasionem eucharisticum offert convivium. Nam Ecclesia ad effectum perducitur cum nos hac in fraterna communitate et consociatione sacrificium celebramus crucis Christi, cum annuntiamus «mortem Domini donec veniat»,<sup>17</sup> ac postmodum cum, penitus mysterio salutis nostrae pervasi, accedimus communitaria ratione ad Domini mensam, ut modo sacramentali fructibus nutriamur Sancti Sacrificii propitiatorii. Christum igitur eumque ipsum recipimus in eucharistica communionem; ac nostra cum illo coniunctio, quae donum est et gratia cuique data, ita facit ut in eo etiam sociemur illi unitati Corporis eius Mystici, quod est Ecclesia.

Hac dumtaxat via — talem scilicet per fidem talemque per animi affectionem — ista perficitur Ecclesiae aedificatio, quae revera in Eucharistia invenit suum fontem et culmen secundum notam Concilii Vaticani II sententiam.<sup>18</sup> Haec porro veritas, quam eadem universalis Synodus in novo lumine vehementius posuit,<sup>19</sup> crebrum esse decet argumentum considerationum nostrarum totiusque nostrae institutionis. Inde omnis alii debet industria pastoralis, inde etiam hauriri cibus nobismet ipsis et sacerdotibus cunctis qui nobiscum operantur ac demum totis communitatibus curae nostrae creditis. Ita nimirum ad quemque ferme passum in via vitae patere debet in isto Ecclesiae usu *vinculum proximum inter spiritalem apostolicumque Ecclesiae vigorem atque Eucharistiam pro alta huius significatione comprehensam* ac quidem singulis sub rationibus.<sup>20</sup>

#### EUCCHARISTIA ET CARITAS

3919 5. Priusquam subtiliorem suscipiamus explicationem eiusdem huius argumenti de Sanctissimi Sacrificii celebratione, breviter iterum inculcare volumus eucharisticum cultum omnis christianae vitae constituere animam. Si enim christiana vita impletur maximo mandato, amoris nempe Dei proximique, observando, haec quidem caritas fontem proprium suum habet [122] in sanctissimo Sacramento, quod amoris plerumque appellatur Sacramentum.

<sup>17</sup> 1 Cor. 11, 26.

<sup>18</sup> Cf. *Lumen gentium*, n. 11; *Sacrosanctum Concilium*, n. 10; *Presbyterorum ordinis*, n. 5; *Christus Dominus*, n. 30; *Ad gentes*, n. 9.

<sup>19</sup> Cf. *Lumen gentium*, n. 26; *Unitatis redintegratio*, n. 15.

<sup>20</sup> Hoc ipsum expetitur per collectam Missae vespertinae in Cena Domini: «ut ex tanto mysterio plenitudinem caritatis hauriamus et vitae»; *Missale Romanum*, ed. typica altera 1975, 244; et etiam per epicleses communionis Missalis Romani: «Et supplices deprecamur ut Corporis et Sanguinis Christi participes a Spiritu Sancto congregemur in unum. Recordare, Domine, Ecclesiae tuae toto orbe diffusae, ut eam in caritate perficias» *Prex Eucharistica II*, *ibid.*, 458 s.; cf. *Prex Eucharistica III*, *ibid.*, 463.



*Eucharistia hanc significat caritatem; quapropter memorat eam et praesentem reddit simulque ad effectum adducit. Quotiescumque conscio illam modo participamus, animis nostris recluditur verus aliquis aspectus inscrutabilis illius amoris qui in se omnia complectitur quae hominibus nobis fecit Deus facitque continenter secundum illud Christi: «Pater meus usque modo operatur, et ego operor». <sup>21</sup> Una autem cum dono ininvestigabili hoc et gratuito, quod *caritas* revelata est — usque in finem nempe in salvifico Filii Dei sacrificio, cuius indelebile est Eucharistia signum — exoritur etiam in nobis viva amoris responsio. Non enim amorem cognoscimus tantum, verum etiam *amare incipimus* nos ipsi. Viam, ut ita dicamus, ingredimur amoris in eaque deinceps progredimur. Qui in nobis nascitur ex Eucharistia amor, propter ipsam crescit in nobis altasque agens radices convalescit.*

Idcirco eucharisticus cultus declaratio reapse est huius amoris, qui germana atque intima proprietas est christianae vocationis. Profluit enim idem cultus ex caritate inservitque caritati, ad quam omnes nos in Christo Iesu vocamur. <sup>22</sup> Porro vividus eius cultus fructus est imaginis Dei perfectio, quam in nobis gerimus quaeque illi respondet quam Christus revelavit nobis. Effecti nos ergo adoratores Patris «in Spiritu et veritate», <sup>23</sup> maturescimus pleniore usque in coniunctione cum Christo, propius adhaerescimus ad eum et — si ita fas est loqui — solidius cum ipso sociamur. 3920

Doctrina Eucharistiae, quae est signum unitatis et vin[123]culum caritatis, a Sancto Paulo tradita <sup>24</sup> altius deinde enucleata est in tot sanctorum scriptis qui viva nobis exempla cultus eucharistici praebent. Ante oculos hoc constitutum semper habere debemus eodemque tempore eniti perpetuo efficere ut nostra etiam aetas ad miranda illa praeteritorum temporum exempla addat nova quaedam, haud minus vivida et significantia, quae cum condicionibus, in quibus hodie vivimus, congruunt.

#### EUCCHARISTIA ET PROXIMUS

6. *Genuinus sensus Eucharistiae ex se iam schola caritatis fit actuosae erga proximum.* Istum enim verum integrumque esse novimus ordinem amoris, quem docuit nos Dominus: «in hoc cognoscent omnes quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem». <sup>25</sup> Ad hanc caritatem multo accuratius nos instituit Eucharistia, quippe quae 3921

<sup>21</sup> Io. 5, 17.

<sup>22</sup> Cf. orationem Post communionem Dominicae XXII «per annum»: «Pane mensae caelestis refecti, te, Domine, deprecamur, ut hoc nutrimentum caritatis corda nostra confirmet, quatenus ad tibi ministrandum in fratribus excitemur»: *Missale Romanum*, ed. mem., 361.

<sup>23</sup> Io. 4, 23.

<sup>24</sup> Cf. 1 Cor. 10, 17; quem locum explanavit S. Augustinus: *In Evangelium Ioannis tract.* 31, 13; PL 35, 1613; item Conc. Trident., sess. XIII, c. 8: *Conciliorum Oecumenicorum Decreta*, Bologna 1973, 697, 7; *Lumen gentium*, n. 7.

<sup>25</sup> Io. 13, 35.

liquido demonstret quantum momentum obtineat ante Deum omnis homo — frater id est noster ac soror — si quidem aequali prorsus ratione Christus se pro singulis offerat sub panis ac vini Speciebus. Si verus igitur cultus noster eucharisticus est, faciat is oportet ut conscientia in nobis augetur singulorum hominum dignitatis. Cuius porro dignitatis conscientia fit *potissima ratio habitudinis nostrae ad proximum*. Acriter etiam persentire debemus omnem dolorem ac miseriam hominum, omnem iniuriam et iniustitiam eorum, dum viam quaerimus malis istis efficaciter medendi. Cum observantia detegere discamus veritatem de homine interiori, quoniam ipse hic homo internus efficitur habitaculum Dei in Eucharistia praesentis. In animos venit Christus conscientiasque visit fratrum nostrorum ac sororum. Quantum vero omnium et cuiusque hominis mutatur imago, cum harum rerum conscius fimus, cum has res considerationibus nostris ponderamus! Mysteriorum eucharistici sensus ad amorem nos propellit erga proximum, ad amorem denique erga singulos homines. <sup>26</sup>

#### EUCCHARISTIA ET VITA

3922 7. Cum caritatis itaque sit fons, Eucharistia semper quasi centrum fuit vitae discipulorum Christi. Cumque speciem habeat panis ac vini, cibi id est ac potus, res homini perquam familiaris est adeoque devincta cum ipsius vita, ut sunt videlicet esca ac potio. In eucharistico cultu veneratio Dei, qui est Amor, nascitur ex illa quasi familiaritate intima, *qua is ipse, perinde ac cibus et potus, replet spiritalem nostram naturam*, cui vitam praebet sicut illi. Talis igitur «eucharistica» Dei veneratio plane concinit cum salvificis eius consiliis. Pater namque ipse vult ut «veri adoratores» <sup>27</sup> sic omnino se adorent, quam proin voluntatem Christus interpretatur tum verbis suis tum etiam hoc sacramento, per quod idonei efficimur, ut Patrem eo modo adoremus, qui voluntati ipsius magis respondeat.

Ex tali dein conceptione eucharistici cultus proficiscitur tota *sacramentalis figura christianorum vitae*. Si qui enim christianus vitam ducit super sacramenta fundatam communique animatam sacerdotio, id in primis significat hunc expetere, ut Deus intus agens provehat ipsum, in Spiritu, «in mensuram aetatis plenitudinis Christi». <sup>28</sup> Deus vero sua ex parte non [125] afficit illum per eventa solum externa suamque gratiam internam, sed certius in eo ac vehementius quidem agit per sacramenta. Haec profecto praebent vitae ipsius quendam sacramentalem habitum.

<sup>26</sup> Hoc enuntiant plures orationes *Missalis Romani*: oratio super oblata Missae «Pro his qui opera misericordiae exercuerunt»: «ut ... in tui et proximi dilectione, Sanctorum tuorum exemplo, confirmemur»: *Missale Romanum, ed. mem.*, 721; Post communionem Missae «Pro educatoribus»: «ut ... fraternitatis caritatem et lumen veritatis in corde exhibeamus et opere»: *ibid.*, 723; cf. etiam Post communionem Missae Dominicae XXII «per annum», supra allatum in annot. 22.

<sup>27</sup> *Io.* 4, 23.

<sup>28</sup> *Eph.* 4, 13.

At omnibus ex sacramentis Eucharistia ad plenitudinem perducit hominis christiani initiationem tribuitque sacerdotii communis exercitationi illam rationem sacramentalem et ecclesiam quae conectit illud — sicut iam significavimus <sup>29</sup> — cum ministeriali sacerdotio. Hoc modo cultus eucharisticus *centrum et culmen est totius sacramentalis vitae*. <sup>30</sup> Resonant usque in illo, veluti alta vocis imagine, sacramenta initiationis christianae: Baptisma et Confirmatio. Quonam melius loco veritas declaratur illa, secundum quam non tantum «filii Dei nominamur» sed «et sumus», <sup>31</sup> sacramenti scilicet Baptismatis virtute, quam eo ipso quod reddimur in Eucharistia participes Corporis et Sanguinis unigeniti Filii Dei? Et quidnam magis nos praeparat, ut simus «veri testes Christi» <sup>32</sup> coram mundo, quod Confirmationis Sacramentum efficit, quam eucharistica communio in qua Christus nobis testimonium dat nosque ei?

Fieri non potest ut hic singillatim subtiliusque in vincula inquiramus quae inter Eucharistiam existunt et reliqua Sacramenta, praesertim Sacramentum familiaris vitae atque infirmorum. De necessitudine autem arcta Sacramenti Paenitentiae cum Eucharistia iam in Litteris Encyclicis a verbis «Redemptor Hominis» incipientibus quaedam monuimus. <sup>33</sup> *Non ad Eucharistiam modo conducit Paenitentia verum ad Paeni[126]tentiam Eucharistia pariter ipsa*. Cum enim nobiscum reputamus quis demum sit quem in eucharistica recipimus communionem, sua fere sponte oritur in nobis indignitatis affectus una cum dolore ob peccata cumque sensu interioris necessitatis purificationis.

At vigilandum nobis semper est, ne eximia haec cum Christo congressio in Eucharistia transeat in levem consuetudinem neve ipsum indigne — hoc est gravi peccato onerati — suscipiamus. Usus ergo virtutis paenitentiae ipsumque Sacramentum Paenitentiae pernecessaria sunt ut sustentetur in nobis et continenter vigescat affectio illa venerationis quam Deo ipsi homo debet atque eius Amori tam mirabiliter revelato. Hucusque dicta eo quidem spectant ut universales quaedam cogitationes exponantur de cultu eucharistici Mysterii, quae fusius sane possint uberiusque enodari. Explicari nominatim possit nexus inter ea quae diximus de Eucharistiae effectibus in caritatem erga hominem et ea quae modo inculcavimus de officiis erga hominem et Ecclesiam acceptis in ipsa communionem eucharistica indeque etiam imago effingi possit illius «terrae novae» <sup>34</sup> quae ex Eucharistia per omnem «hominem novum» generatur. <sup>35</sup>

*Re quidem vera in hoc panis ac vini, cibi nempe potusque, Sacramento quidquid humanum est, insigniter transformatur et sublevatur. Ideo*

<sup>29</sup> Cf. *supra*, n. 2.

<sup>30</sup> Cf. *Ad gentes*, nn. 9 et 13; *Presbyterorum ordinis*, n. 5.

<sup>31</sup> *1 Io.* 3, 1.

<sup>32</sup> *Lumen gentium*, n. 11.

<sup>33</sup> Cf. n. 20.

<sup>34</sup> *2 Petr.* 3, 13.

<sup>35</sup> *Col.* 3, 10.

eucharisticus cultus non tantum cultus est qui inaccessiblei transcendentiae praestatur, quantum divinae cultus indulgentiae ac benignitatis simulque misericors ac redemptrix mundi transformatio in corde hominum.

Haec omnia strictim dumtaxat attingentes et summatim, cupimus tamen latius iam aperire spatium quaestionibus illis quas debemus postmodum excutere, quoniam et ipsae arctissime coniunctae sunt cum Sanctissimi Sacramenti celebratione. Etenim ea in celebratione propius declaratur Eucharistiae cul[127]tus, qui intimo profluit ex animo velut magni pretii obsequium fide, spe caritateque excitatum, quae per Baptisma in nos sunt infusae. Hac ipsa de re ad vos, Venerabiles Dilectique in episcopatu Fratres, et vobiscum ad sacerdotes ac diaconos volumus praesertim his scribere in Litteris, quibus Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino accuratiores subnectet animadversiones.

## II. EUCHARISTIAE INDOLES SACRA ET SACRIFICIUM

### INDOLES SACRA

- 3925 8. Eucharistiae celebratio iam inde a cenaculo et Ultima Cena suam prae se fert historiam tam longam ut Ecclesiae ipsius. Qua quidem volvente historia in elementa secundaria certae quaedam mutationes sunt inductae; verum tamen *nihil mutata est essentia Mysteriorum*, quod mundi Redemptor eadem in novissima Cena constituit. Etiam Concilium Vaticanum II nonnulla immutavit, ob quae Missae liturgia nunc obtinens aliquantum distat a Missae forma ante Concilium vigente. In praesentia vero de differentiis illis nolumus loqui; expedit enim Nos in eo consistere quod immutabile iam pertinet ad liturgiae eucharisticae essentiam.

Cum hoc namque elemento proxime cohaeret «sacrum» illud Eucharistiae, videlicet ut sanctae sacraeque actionis. Sancta autem et sacra est, quandoquidem in ea adest semper agitque Christus «Sanctus Dei»,<sup>36</sup> a Spiritu Sancto unctus,<sup>37</sup> «quem Pater sanctificavit»,<sup>38</sup> ut poneret libere animam suam iterumque sumeret,<sup>39</sup> «pontifex foederis novi». <sup>40</sup> Ipse enim, [128] cuius sustinet celebrans personam, ingreditur sanctuarium ibique suum denuntiat Evangelium. Ipse porro est «offerens simul et oblatus, consecrator et consecratus». <sup>41</sup> Actio quidem sancta est et sacra, cum sacris constet ex Speciebus, quae sunt «Sancta sanctis» — id est res sanctae, Christus sanctus, sanctis datae — quem ad

<sup>36</sup> Lc. 1, 35; Io. 6, 69; Act. 3, 14; Ap. 3, 7.

<sup>37</sup> Act. 10, 38; Lc. 4, 18.

<sup>38</sup> Io. 10, 36.

<sup>39</sup> Cf. Io. 10, 17.

<sup>40</sup> Hebr. 3, 1; 4, 15 et cetera.

<sup>41</sup> Ut Byzantina liturgia saeculi IX praedicabat secundum omnium vetustissimum codicem, olim Barberino di San Marco appellatum (Florentiae), nunc in Bibliotheca Apostolica Vaticana asservatum, Barberini greco 336, f. 8 vers. lin. 17-20, vulgatum in hac parte a F. E. Brightman, *Liturgies Eastern and Western*, I. *Eastern Liturgies*, Oxford 1896, 318, linn. 34-35.

modum universae canunt liturgiae Orientis, dum tollitur eucharisticus panis, ut ad Cenam Domini fideles invitentur.

Sacra igitur Missae natura non est aliqua «sacralizatio», additio nempe ab homine facta ad Christi actionem in cenaculo, quia illius Ferae Quintae Cena sacer fuit ritus, primaria ac constitutiva liturgia, qua Christus se vitam pro nobis daturum pollicitus celebravit sacramentaliter ipse mysterium Passionis suae ac Resurrectionis, quod veluti cor est Missae cuiusque. Ex ea procedentes liturgia, Missae nostrae possident ex se iam liturgicam figuram integram, quae, licet pro singulis familiis ritualibus varietur, permanet tamen quoad substantiam eadem. «Sacrum» igitur, Missae proprium, est a Domino instituta indoles sacra. Verba autem uniuscuiusque sacerdotis et acta, quibus totius eucharisticae congregationis conscia actuosaque participatio respondet, referunt quasi vocis imagine dicta et facta Ultimae Cena.

3926

Sanctissimum Sacrificium a sacerdote offertur «in persona Christi», quod plus sane significat quam «nomine Christi» vel etiam «Christi vicem». Offertur nempe «in persona»: cum celebrans ratione peculiari et sacramentali idem prorsus sit ac «summus aeternusque Sacerdos»,<sup>42</sup> qui Auctor est princepsque Actor huius proprii sui Sacrificii, in quo nemo revera [129] in eius locum substitui potest. Ipse enim solus — Christus solus — potuit semperque potest esse vera et certa «propitiatio pro peccatis nostris... sed etiam pro totius mundi». <sup>43</sup> Eius dumtaxat sacrificium — nullius alterius — potuit potestque habere vim propitiatoriam coram Deo, sanctissima Trinitate, eius sanctitate, quae omnia transcendit. Conscientia autem huius rei aliquo modo illuminat significationem et indolem sacerdotis celebrantis qui, *Sanctissimum immolans Sacrificium atque «in persona Christi» agens*, inducitur insemiturque modo sacramentali (simulque ineffabili) in hoc intimum «sacrum» ubi is vicissim spiritaliter omnes consociat eucharisticae congregationis participes.

Hoc praeterea «sacrum», quod variis liturgicis formis peragitur, potest aliquo carere secundario elemento; attamen privari nullo pacto licet indole sacra sua ac «sacramentalitate» essentialibus, cum decretae illae a Christo sint et ab Ecclesia transmittantur atque regantur. Neque fas est illud «sacrum» ad alios fines detorqueri. Eucharisticum enim Mysterium si a propria seiungitur sacrificali et sacramentali natura, plane id esse cessat. Nam haud tolerat ullam imitationem «profanam» quae facillime transire possit, quin immo fere semper, in profanationem. Reminisci hoc usque oportet maximeque fortasse his temporibus, cum animorum inclinationem dispicimus ad discrimen submovendum inter «sacrum» et «profanum» cumque percrebuit fere iam ubique studium (quibusdam saltem in locis) auferendae sacrae omnium rerum qualitatibus.

3927

His ergo in adiunctis *neesse ex suo officio Ecclesiae est tutari atque confirmare ipsum Eucharistiae «sacrum»*. Praeterea in societate no-

<sup>42</sup> Collecta Missae de Ss. Eucharistia B: *Missale Romanum, ed mem.*, 858.

<sup>43</sup> 1 Io. 2, 2; cf. *ibid.* 4, 10.

stra, cuius pluralismus est proprius quaeque saepius etiam consulto saeculares vitae rationes sequitur, *viva fides* christianae communitatis — fides conscia quidem sibi iurium suorum adversus eos omnes qui eandem non partici[130]pant fidem — praestat huic eidem «sacro» tutum locum in civitate christiana. Officium reverendae singulorum hominum fidei respondet simul naturali civilique iuri libertatis tum conscientiae tum ipsius religionis.

In sermone theologico ac liturgico haec Eucharistiae indoles sacra enuntiata est et semper enuntiatur.<sup>44</sup>

Qui sensus obiectivae indolis sacrae Mysterii eucharistici tantopere est constitutum quiddam fidei Populi Dei ut ea locupletetur et corroboretur.<sup>45</sup> Ministri proinde Eucharistiae nostris potissimum diebus illustrari debent huius fidei vivae plenitudine eiusque sub splendore comprehendere et perficere id omne quod ad sacerdotale eorum ministerium ex Christi eiusque Ecclesiae voluntate pertinet.

#### SACRIFICIUM

- 3928 9. In primis autem est Eucharistia sacrificium: redemptionis videlicet eodemque tempore sacrificium Novi Foederis,<sup>46</sup> [131] sicut credimus nos ac manifesto profitentur etiam Ecclesiae Orientis; plura quidem abhinc saecula Ecclesia Graeca docuit: «hodiernum sacrificium sic profecto est ut illud quod olim unigenitum incarnatum Verbum obtulit; ab eo nunc hodie ut tunc offertur, cum idem sit unicumque sacrificium».<sup>47</sup> Quocirca, cum praesens redditur unicum hoc salutis nostrae

<sup>44</sup> Dicimus enim «divinum Mysterium», «Sanctissimum» vel «Sacrosanctum» id est excellentissimum modum «Sacri» et «Sancti» proferimus. Orientales contra Ecclesiae nuncupant Missam «*raza*» sive «*mysterion*» [μυστήριον] *hagiasmós* [ἁγιασμός], quiddam, qedassē, scilicet praestantissimam formam «consecrationis». Ritus insuper liturgici accedunt qui ad sacri excitandum sensum postulant ut sileatur, stetur, genua flectantur, ut fidei professio peragatur, ut incenso sufflantur Evangelium, ara, celebrans et ipsae Species sacrae. Immo vero ritus illi in adiutorium arcessunt angelos ad serviendum Deo Sancto creatos: in Ecclesiis nostris Latinis acclamatione «Sanctus», atque in Liturgiis Orientis acclamatione «Trisagion» et «Sancta sanctis».

<sup>45</sup> Verbi causa in ipsa invitatione ad communionem hac fide in lumine ponuntur additici aspectus praesentiae Christi Sancti: aspectus epiphaniae expressus a Byzantinis («Benedictus qui venit in nomine Domini: Dominus est Deus et apparuit nobis!»; *La divina Liturgia del santo nostro Padre Giovanni Crisostomo*, Roma-Grottaferrata 1967, 136 s); aspectus societatis et unitatis, decantatus ab Armenis («Unus Pater sanctus nobiscum, unus Filius sanctus nobiscum, unus Spiritus sanctus nobiscum»: *Die Anaphora des Heiligen Ignatius von Antiochien*, übersetzt von A. Rücker, *Oriens Christianus*, 3<sup>a</sup> ser., 5 [1930] 76); aspectus abditus et caelestis praedicatus a Chaldaeis ac Malabarensibus (cf. *Hymnus antiphonarius*, post communionem cantatus a sacerdote et fidelibus: F. E. Brightman, *op. mem.*, 299).

<sup>46</sup> Cf. *Sacrosanctum Concilium*, nn. 2 et 47; *Lumen gentium*, nn. 3 et 28; *Unitatis re-integratio*, n. 2; *Presbyterorum ordinis*, n. 13; Conc. Trident., sessio XXII, cap. I et II; *Conciliorum Oecumenicorum Decreta*, Bologna 1973, 732 s., praesertim: «una eademque sola offerendi ratione diversa» (*ibid.*, 733).

<sup>47</sup> Synodus Constantinopolitana adversus Sotericum (mensibus Ianuario 1156 et Maio 1157): Angelo Mai, *Spicilegium romanum*, t. X, Romae 1844, 77; PG 140, 190; cf.

sacrificium, homo et mundus Deo restituuntur per paschalem Redemptionis novitatem. Quae quidem restitutio deficere non potest, fundamentum enim est «novi et aeterni testamenti» Dei cum hominibus hominumque cum eo. Si quando deficeret, disputari oporteret tam de praestantia ipsius sacrificii Redemptionis, quod tamen perfectum fuit omniumque postremum ac terminale, quam de Missae Sanctae vi sacrificali. Quam ob rem verum cum Eucharistia sit sacrificium, hanc restitutionem ad Deum operatur.

Inde vero sequitur ut celebrans, tamquam illius sacrificii minister, germanus sit *sacerdos* qui — peculiaris potestatis virtute in sacra ordinatione collatae — sacrificalem perficit actum homines ad Deum referentem. Omnes autem qui Eucharistiae sunt participes, licet non sacrificent ut ille, nihilo minus cum ipso offerunt communis sacerdotii virtute *sacrificia spiritalia* sua, quae panis et vinum indicant, iam ex quo tempore haec in altari exhibentur. Etenim liturgicus hic actus, in universis fere liturgiis sollemniter celebratus, «vim et significationem spiritalem servat». <sup>48</sup> Fiunt quodam modo panis et vinum earum rerum omnium signum quas eucharistica communitas ipsa ex se ut donum Deo praebet offertque in spiritu.

[132] Magni ideo interest ut primum hoc liturgiae eucharisticae momentum, sensu quidem stricto, declaretur etiam affectibus actibusque participantium, ad quos refertur processio, quae dicitur, cum donis, quam recens liturgica instauratio statuit <sup>49</sup> quamque ex perantiqua traditione psalmus comitatur vel hymnus. Certum per temporis spatium est necesse, ut omnes huius actus conscientiam assequantur quem celebrans propriis simul verbis enuntiat.

Eadem porro conscientia actus exhibendi dona totam per Missam est sustinenda. Quin immo suam plenitudinem attingere debet tempore consecrationis et oblationis anamneticae, prout flagitat primaria vis culminis ipsius sacrificii. Quod quidem vocabula comprobant eucharisticae precis quae sacerdos elatiore pronuntiat voce. Proderit hic non nullas afferre locutiones tertiae precis eucharisticae quibus insignite aperitur sacrificialis indoles Eucharistiae et in quibus oblatio nostri ipsorum cum Christi iungitur oblatione: «Respice, quaesumus, in oblationem Ecclesiae tuae et, agnoscens Hostiam, cuius voluisti immolatione placari, concede, ut qui Corpore et Sanguine Filii tui reficimur, Spiritu eius Sancto repleti, unum corpus et unus spiritus inveniamur in Christo. Ipse nos tibi perficiat munus aeternum».

Significatio autem sacrificialis haec iam in omnibus celebrationibus exprimitur verbis illis quibus sacerdos terminat donorum oblationem fidelesque ad orandum hortatur ut «meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem Omnipotentem». Quae vocabula ob-

Martin Jugie, *Dict. Théol. Cath.*, t. X, 1338; *Theologia dogmatica christianorum orientalem*, Paris 1930, 317-320.

<sup>48</sup> Institutio Generalis Missalis Romani, n. 49: *Missale Romanum*, ed. mem., 39; cf. *Presbyterorum ordinis*, n. 5.

<sup>49</sup> *Ordo Missae cum populo*, n. 18: *Missale Romanum*, ed. mem., 390.

stringentem habent virtutem, quatenus naturam totius eucharisticae liturgiae patefaciunt ubertatemque rerum simul divinarum simul ecclesialium, quas continet.

- 3931 Quicumque ergo cum fide Eucharistiam communicant, animadvertunt eam «sacrificium» esse, id est «oblationem con[133]secratam». Nam panis ac vinum in altari exhibita, quibus pietas et sacrificia spiritalia participantium iunguntur, denique sic consecrantur ut fiant *vere, realiter et substantialiter* Corpus traditum Sanguisque a Christo ipso effusus. Ita quidem propter consecrationem species panis et vini repraesentant <sup>50</sup> modo sane sacramentali et incruento ipsum cruentum Sacrificium propitiatorium quod is Patri in cruce obtulit pro saeculi salute. Ipse enim solus, victimam propitiatricem se praebens summae cum devotionis et immolationis actu, hominum genus cum Patre reconciliavit, «delens, quod adversum nos erat, chirographum». <sup>51</sup>
- 3932 Ad hoc igitur sacrificium, quod modo sacramentali in altari renovatur, oblata dona panis et vini, fidelium pietati coniuncta, quiddam conferunt, pro quo aliud nequit substitui, siquidem per consecrationem sacerdotis sacrae species efficiuntur. Hoc etiam clare patescit ex gestu sacerdotis eucharisticam proferentis precem at maxime in ipsa consecratione deindeque cum Sancti Sacrificii celebrationem eiusque participationem comitatur huius rei conscientia: «magister adest et vocat te». <sup>52</sup> Quae Domini vocatio ad nos per ipsius Sacrificium directa reserat corda, ut, per mysterium Redemptionis nostrae mundata, cum eo se conglutinent in eucharistica communione quae vicissim illi participationi Missae attribuit pondus maturum ac plenum humanamque obligans vitam: «Intendit vero Ecclesia ut fideles non solummodo immaculatam hostiam offerant sed etiam seipsos offerre discant, et de die in diem consummentur, Christo mediatore, in unitatem cum Deo et inter se, ut sit tandem Deus omnia in omnibus». <sup>53</sup>
- 3933 Oportet ergo convenitque ut nova, impensa institutio impertiatur eo consilio ut omnes divitiae, quae in liturgia continentur, aperiantur. Liturgica enim renovatio post Concilium [134] Vaticanum II effecta addidit maiorem, ut ita loquamur, visibilitatem *sacrificio eucharistico*. Missis aliis rebus, ad eam conferunt verba eucharisticae precis a celebrante pronuntiata voce elata praesertimque consecrationis verba et congregationis acclamatio continuo post elevationem. Quae omnia si gaudio nos replent, reminisci tamen etiam decet *mutationes illas novam flagitare conscientiam maturitatemque spiritalem* non solum a celebrante, potissimum hodie cum «versus populum» celebrat, sed ab ipsis pariter fidelibus. Maturescit autem et increscit eucharisticus cultus cum precis eucharisticae verba ac nominatim conse-

<sup>50</sup> Cf. Conc. Trident., Sessio XXII, c. 1: *Conciliorum Oecumenicorum Decreta*, Bologna 1973, 732s.

<sup>51</sup> *Col.* 2, 14.

<sup>52</sup> *Io.* 11, 28.

<sup>53</sup> Institutio Generalis Missalis Romani, n. 55 f: *Missale Romanum, ed. mem.*, 40.



erationis magna cum humilitate ac simplicitate ita efferuntur ut intelligi possint, secundum suam sanctitatem, modo pulchro et digno; cum actus hic primarius eucharisticae liturgiae sine festinatione fit, cum opera vere datur tali collecti animi attentioni ac pietati tali ut participes sentiant mysterii excelsitatem, quod peragitur, idque se gerendi ratione ostendant.

### III. BINAE DOMINI MENSÆ COMMUNEQUE ECCLESIAE BONUM

#### MENSA VERBI DEI

10. Probe quidem novimus Eucharistiae celebrationem priscis inde a temporibus coniunctam esse non cum precatione sola verum etiam cum Sacrarum Scripturarum lectione totiusque congregationis cantu. Hanc profecto ob causam diutissime iam factum est ut ad Missam adhiberetur excogitata ab Ecclesiae Patribus similitudo cum duabus mensis in quibus Ecclesia filiis suis apparat verbum Dei atque Eucharistiam, id est Panem Domini. Redeundum propterea ad primam partem est Sacri Mysterii, quae saepius his temporibus *liturgia verbi* appellatur, de eaque aliquandiu deliberandum. 3934

[135] Lectio locorum ex Sacris Litteris cuique diei assignatorum *decreta a Concilio est secundum normas ac necessitates novas*.<sup>54</sup> Ob eas igitur Concilii regulas novus constitutus est lectionum ipsarum collectus, in quibus usurpatum quadamtenus est principium continuationis textuum atque etiam propositum aditum aperiendi ad Libros sacros universos. Psalmi insuper cum responsoriis in liturgiam inducti familiariores astantibus reddunt ipsas pulcherrimas opes precationis ac poesis Veteris Testamenti. Quod autem hi textus leguntur iam et canuntur proprio sermone vernaculo, accidit proinde, ut omnes pleniore cum rerum intellegentia ritum valeant participare. Non tamen desunt qui, secundum veteris liturgiae Latinae rationem acriter instituti, defectum huius «unius sermonis» percipiunt, qui in universo orbe terrarum unitatem Ecclesiae significavit et indole sua dignitatis plena altum sensum Mysterii eucharistici excitavit. Itaque huiusmodi animi motus et desideria non solum benigne comiterque sed etiam admodum reverenter sunt accipienda atque, quantum fieri potest, est iis satisfaciendum, ut ceteroquin novis dispositionibus cavetur.<sup>55</sup> Ecclesia quidem Romana erga linguam Latinam, praestantissimum sermonem Urbis Romae antiquae, peculiari obligatione devincitur eamque commoneat oportet, quotiescumque offertur occasio. Facultates, quae hac in re attulit renovatio post Concilium inducta, ita crebrius adhibentur ut *testes nos participesque fiamus germanae cele-* 3935

<sup>54</sup> Cf. *Sacrosanctum Concilium*, nn. 35, 1 et 51.

<sup>55</sup> Cf. SRC, Instr. *In edicendis normis*, VI, 17-18; VII, 19-20: AAS 57 (1965) 1012 s.; Instr. *Musicam Sacram*, IV, 48: AAS 59 (1967) 314; Decr. *De titulo Basilicae Minoris*, II, 8: AAS 60 (1968) 538; SCCD, Notif. *De Missali Romano, Liturgia Horarum et Calendario*, I, 4: AAS 63 (1971) 714.

brationis verbi Dei. Numerus etiam crescit eorum qui illis in celebrationibus partes agunt actuosas. Nascuntur manipuli lectorum et cantorum, quin saepius etiam «scholae cantorum», virorum aut mulierum, qui magno cum [136] studio se huic devovent operis rationi. Verbum Dei, Sacra nempe Scriptura, apud multas christianorum communitates iam nova coepit vigescere vita. Ad liturgiam congregati fideles cantando praeparantur ad Evangelium audiendum, quod consentanea nuntiatur cum pietate curaque amanti.

- 3936 His omnibus permagna cum aestimatione et grata mente cognitis ac perceptis, haud tamen oblivisci licet renovationem plenam alias semper necessitates inferre. Quae reapse consistunt *novo in sensu officii circa verbum Dei* variis linguis per liturgiam transmissum; id quod congruit certe cum natura universali ipsisque Evangelio propositis finibus. Idem vero illud officium tangit etiam executionem singularum actionum liturgicarum lectionis vel cantus, ubi obtemperandum pariter est artis principiis. Ut autem actiones illae a quovis ficto arceantur artificio, demonstratur in eis necesse est talis facultas, simplicitas, simulque talis dignitas ut ex ipsa legendi vel canendi ratione eluceat indoles sacri textus propria.

Quocirca necessitates istae, quae ex renovato officii sensu effluunt circa verbum Dei in liturgia,<sup>56</sup> altius quidem descendunt immo *pervadunt ad interiorem affectionem*, qua ministri verbi munus suum inter liturgicam congregationem explent.<sup>57</sup> Tandem respicit illud officium *selectionem textuum*. Haec iam legitima Ecclesiae auctoritate facta est, quae etiam casus praecavit in quibus fas est aptiores deligi locos peculiari cuidam occasioni.<sup>58</sup> Meminerint autem semper omnes intra textus Missae Lectionum ingredi posse solum Dei verbum. Pro Sacrae enim Scripturae usu minime potest aliorum textuum recitatio [137] substitui, quantumvis magna bona religiosa et moralia illi forsitan praese ferant. Possunt contra tales lectiones utilissime in homiliis adhiberi. Nam homilia reapse perquam idonea est ad illorum textuum usum, dummodo necessariis doctrinae postulatis et condicionibus respondeant, quoniam ipsa homiliae natura eo spectat, ut, praeter alia, illuminet convenientiam inter divinam revelatamque sapientiam ac praestabilem, humanam cogitationem, quae variis viis quaerit veritatem.

#### MENSA PANIS DOMINI

- 3937 11. Altera mysterii eucharistici mensa, videlicet mensa Panis Domini, et ipsa postulat congruentem considerationem, ratione habita litur-

<sup>56</sup> Cf. Paulus PP. VI, Const. Apost. *Missale Romanum*: «Hisce ita compositis, illud etiam vehementer fore confidimus, ut sacerdotes et fideles simul sanctius animum suum ad Cenam Domini praeparent, simul, sacras Scripturas altius meditati, verbis Domini uberius in dies alantur»: AAS 61 (1969) 220 s.; *Missale Romanum, ed. mem.*, 15.

<sup>57</sup> Cf. *Pontificale Romanum, De Institutione Lectorum et Acolythorum*, n. 4, ed. typica 1972, 19 s.

<sup>58</sup> Cf. Institutio Generalis Missalis Romani, nn. 319-320: *Missale Romanum, ed. mem.*, 87.

gicae renovationis temporis nostri. Summi profecto ponderis haec quaestio est, cum de actu ibi peculiari agatur *fidei vivae*, quin immo — sicut a primis saeculis auctores testificantur <sup>59</sup> — actus quo significatur *cultus erga Christum, qui in eucharistica communionem se ipsum cuique nostrum tradit*, animis nostris et conscientiae nostrae, labiis nostris et oribus cibi forma. Quam ob rem potissimum hac ipsa in quaestione poscitur ea vigilantia, de qua loquitur Evangelium, tam a Pastoribus, in quos recidit officium curandi eucharistici cultus, quam a Populo Dei, cuius «sensus fidei» <sup>60</sup> hic penitus percipiatur oportet sitque valde acutus.

Diligentiae itaque uniuscuiusque vestrum, Venerabiles ac Dilecti in episcopatu Fratres, commendare hanc quaestionem pervelimus. Vos enim in primis oportet eam collocare intra communem vestram sollicitudinem omnium Ecclesiarum vobis creditarum. Id quod a vobis petimus pro unitate illa quam ve[138]luti hereditatem ab Apostolis recepimus: pro unitate collegiali nostra. Haec quidem unitas certo quodam sensu enata est circum mensam Panis Domini in novissima Cena. Sustentari vos et adiuti a vestris in sacerdotio Fratribus, praestate quantum omnino valetis, ut *in tuto semper locetur dignitas sacra ministerii eucharistici altusque ille spiritus eucharisticae communionis*, quod non tantum est peculiare bonum Ecclesiae uti Populi Dei sed etiam particularis simul hereditas nobis relicta ab Apostolis, a variis liturgicis traditionibus et a tot generationibus fidelium, qui saepe fuerunt testes Christi heroici, in «Schola Crucis» (Redemptionis) et Eucharistiae educati. Recordari igitur decet Eucharistiam ut mensam Panis Domini perpetuam esse invitationem, quem ad modum colligitur *ex liturgica celebrantis monitione cum eloquitur: «Ecce Agnus Dei! Beati qui ad cenam Agni vocati sunt»*, <sup>61</sup> necnon ex nota Evangelii parabola de invitatis ad nuptiarum convivium. <sup>62</sup> Meminimus autem multos in illa narratione sese excusantes ob varias causas recusavisse ne venirent.

Etiam sunt in nostris catholicorum communitatibus qui sacram communionem *participare possunt at non participant*, licet in conscientia sua nullo impediuntur gravi peccato. Hic se gerendi modus, qui in non nullis e nimia manat severitate, nostro quidem saeculo mutatus est, si verum dicere volumus, quamvis passim etiam nunc deprehendatur. Revera, potius quam ex indignitatis sensu, iam affectio illa oritur e deficiente aliquomodo dispositione interiore, vel si ita dicere aequum est, deficiente «fame» et «siti» eucharistica, sub qua latet similiter parum sufficiens aestimatio atque intellegentia ipsius naturae huius excellentis Sacramenti amoris.

<sup>59</sup> Cf. Fr. J. Dölger, *Das Segnen der Sinne mit der Eucharistie. Eine altchristliche Kommunionssitte: Antike und Christentum* 3 (1932) 231-244; *Das Kultvergehen der Donatistin Lucilla von Karthago. Reliquienkuss vor dem Kuss der Eucharistie*, *ibid.*, 245-252.

<sup>60</sup> Cf. *Lumen gentium*, nn. 12; 35.

<sup>61</sup> *Io.* 1, 29; *Ap.* 19, 9.

<sup>62</sup> Cf. *Lc.* 14, 16ss.

3940 Hisce tamen proximis annis conspicamur etiam aliud quiddam. Interdum scilicet, immo compluribus in casibus, cuncti eucharisticae celebrationis participes ad commu[139]nionem accedunt, tametsi nonnumquam — ut comprobant periti rerum pastores — habita non est debita cura, ut prius Paenitentiae Sacramentum reciperent propriam ad conscientiam mundandam. Ex se quidem id significare potest eos, qui ad Mensam Domini procedant, nihil sua in conscientia invenire neque quidquam secundum obiectivam Dei legem quod prohibeat praecelsum illum laetumque actum ipsorum coniunctionis sacramentalis cum Christo. At opinio saltem aliquando hic delitescere potest alia quaedam: qua quis nempe arbitratur Missam esse *dumtaxat* convivium<sup>63</sup> quod participetur *Corpore Christi suscipiendo, ut potissimum fraterna ostentetur communio*. Quam ad rationem facile addi potest aliqua humana rerum consideratio vel simplex voluntas sese «conformandi» ad ceteros.

3941 A nobis ergo ista quaestio efflagitat vigilantem animorum attentionem necnon theologiam ac pastorem scrutationem, quae sensu officiorum nostrorum acerrimo ducatur. Sinere enim nobis haud licet ut in communitatum nostrarum vita illud pereat bonum quod subtilitas est christianae conscientiae impulsae sola observantia erga Christum qui, in Eucharistia receptus, debet in nostrum unoquoque reperire dignum habitaculum. Quae quidem quaestio proxime cohaeret non tantum cum Paenitentiae Sacramenti usu, sed cum recto etiam sensu propriorum officiorum circa depositum totius doctrinae moralis et circa accuratam differentiam inter bonum ac malum, quae deinceps singulis Eucharistiae participibus evadit regula recti de se ipsis iudicii intra propriae conscientiae penetralia. Notissima enim sunt Sancti Pauli dicta: «Probet autem se ipsum homo»;<sup>64</sup> tale porro iudicium condicio per necessaria est, ut ipse quis statuat ad sacramne accedat communionem eucharisticam an ab ea absteineat.

3942 [140] Eucharistiae autem celebratio affert nobis alia multa postulata, quantum ad Mensae eucharisticae attinet ministrum; quae modo afficiunt sacerdotes solos et diaconos modo universos liturgiam eucharisticam participantes. Sacerdotibus diaconisque est reminiscendum mensae Panis Domini ministerium iniungere ipsis peculiaria officia quae in primis spectent eundem ad Christum *in Eucharistia praesentem* proindeque omnes Eucharistiae participes, qui sunt vere vel esse possunt. Ad primum quod attinet, recordari expedit de verbis libri Pontificalis quae die ordinationis Episcopus ad novensilem facit sacerdotem, dum in patena caliceque ei committit panem ac vinum a fidelibus oblata et a diaconis praeparata: «Accipe oblationem plebis sanctae Deo offerendam. Agnosce quod ages, imitare quod tractabis et vitam tuam mysterio dominicae crucis conforma». <sup>65</sup> Quae postrema

63 Cf. Institutio Generalis Missalis Romani, nn. 7-8: *Missale Romanum, ed. mem.*, 29.

64 1 Cor. 11, 28.

65 *Pontificale Romanum, De Ordinatione Diaconi, Presbyteri et Episcopi, ed. typica*, 1968, 93.

admonitio ab Episcopo ipsi proposita persistere debet velut una normarum carissimarum ministerii eius eucharistici.

Secundum illam normam moderari se sacerdotem oportet Panem ac Vinum tractantem, quae Corpus et Sanguis facta sint Redemptoris. Par inde est nos omnes, qui Eucharistiae simus ministri, perscrutari attento animo actus nostros in altari praesertimque modum quo tractemus Cibum illum ac Potum, qui Corpus sunt et Sanguis Dei et Domini Nostri manibus in nostris; quomodo dein sanctam communionem distribuamus et quomodo purificationem perficiamus. 3943

Qui gestus cuncti suam prae se ferunt significationem. Vitanda nimirum est omnis hic scrupulosa religio; verum prohibeat a nobis Deus mores reverentia vacuos, inopportunam festinationem et impatientiam scandalum inferentem. Summus enim in eo consistit honor noster quod — praeter officia nostra circa munus evangelizationis — exercemus talem potestatem arcanam in Redemptoris Corpus; proinde omnia in [141] nobis ad id penitus dirigantur oportet. Meminisse insuper debemus nos semper ad hanc ministerialem potestatem esse sacramento consecratos atque ex hominibus assumptos «pro hominibus». <sup>66</sup> Quae singula constituamus ante oculos necesse est nobis praesertim Ecclesiae Romanae Latinae sacerdotibus, quorum ordinationis ritus progredientibus saeculis addidit consuetudinem sacerdotis manus ungenti.

Quibusdam in regionibus *usus increbuit manu suscipiendae communionis*. A Conferentiis Episcopalibus singillatim hoc expetitur est a Sedeque Apostolica concessum. Nihilominus voces permanent de dolendo defectu, qui hic illic evenit, reverentiae Speciebus eucharisticis debitae, quae quidem offensiones non gravant ipsos solos his de gendi se modis reos sed etiam Ecclesiae Pastores qui minus diligenter vigilaverunt de fidelium agendi ratione erga Eucharistiam. Accidit quoque ut interdum ratio non habeatur liberae optionis voluntatisque eorum qui, tametsi apud eos communionis distributio approbata est per manus, malunt tamen pergere eam ore recipere. In his igitur Litteris Nostris vix facere possumus quin mentionem pariter moveamus tribus de factis, de quibus modo mentionem iniecimus. Quod cum scribimus, nullo omnino modo cogitamus illos qui Dominum Iesum manu suscipientes permoventur affectu altae reverentiae ac pietatis, in regionibus, ubi eiusmodi usus est permissus. 3944

Non autem negligere licet primum sacerdotum munus, qui sua in ordinatione idcirco consecrati sunt, ut Christi Sacerdotis gererent personam; quapropter eorum manus, haud secus ac vox et voluntas, factae sunt proximum Christi instrumentum. Sicut Eucharistiae igitur ministri, implent in Species sacras auctoritatis officium primum, quoniam plenum est: panem namque et vinum offerunt et consecrant et deinde ipsis congregationis participibus, qui suscipere cupiunt, sacras dividunt Species. Diaconis tantum permittitur ut fidelium dona ad altare perferant eaque a sacerdote consecrata distribuant. Quam-

<sup>66</sup> Hebr. 5, 1.

quam non plane est priscus ritus, quam tamen eloquens hinc est in ordinatione nostra Latina unctio manuum, quasi poscatur hisce ipsis manibus peculiaris Sancti Spiritus gratia et vis!

Tangere sacras Species ac *partiri propriis manibus* est ordinatorum privilegium, quod indicat *actuosam participationem ministerii Eucharistiae*. Patet vero posse Ecclesiam tribuere talem potestatem hominibus qui nec sacerdotes sint nec diaconi, cuius generis sunt sive acolythi suum exsequentes ministerium, praesertim si ad futuram ordinationem destinantur, sive alii laici qui facultatem iusta de necessitate acceperunt, sed semper post consentaneam praeparationem.

#### ECCLESIAE BONUM COMMUNE

- 3945 12. Ne paulisper quidem oblivisci possumus Eucharistiam esse peculiare bonum universae Ecclesiae. *Maximum immo donum est*, quod in gratiae Sacramentique ordine Sponsus Divinus suae tradidit traditque continenter Sponsae. Atque propterea omnino, quod de tali agitur tantoque dono, nos profunda moti fide facere debemus, ut vere christiana conscientia officiorum nostrorum ducamur. Etenim donum aliquod magis nos magisque obligat, quoniam compellat nos non tantum vi stricti cuiusdam iuris quantum potius propterea quod alicui nominatim committitur ideoque etiam sine vinculis iuridicialibus postulat *fiduciam animumque gratum*. Eucharistia autem prorsus est huius generis donum, huius generis bonum. Fideles itaque quoad singulas partes oportet nos manere erga ea quae illa in se exprimit necnon ad ea quae a nobis exposcit: gratiarum scilicet actionem.

Bonum totius Ecclesiae commune est Eucharistia tamquam unitatis eius sacramentum. Quam ob rem tenetur arcto officio [143] Ecclesia omnia constituendi quae ipsius respiciunt celebrationem ac participationem. Gerere nos ergo debemus secundum principia a novissimo Concilio praestituta, quod nempe in Constitutione de Sacra Liturgia circumscripsit ac praefinivit auctoritates obligationesque tum Episcoporum in propriis dioecesibus tum Episcopalium Conferentiarum, quandoquidem hae et illi in unitate collegiali cum Apostolica Sede agunt.

- 3946 Accedit quod normae variis a Romanae Curiae Dicasteriis emissae pariter sunt hic servandae: tum in re liturgica — nempe in regulis per liturgicos libros statutis de mysterio eucharistico necnon in eidem mysterio dicatis Instructionibus<sup>67</sup> — tum in iis quae pertinent ad «communicationem in sacris», «Directorio de re oecumenica»<sup>68</sup> et «Instructione de peculiaribus casibus admittendi alios christianos ad communionem eucharisticam in Ecclesia catholica»<sup>69</sup> sancitis. Etsi praesenti

<sup>67</sup> Cf. SRC, *Instructio Eucharisticum mysterium*: AAS 59 (1967) 539-573; *Rituale Romanum, De sacra communione et de cultu Mysterii eucharistici extra Missam*, ed. typica eucharisticis: AAS 65 (1973) 340-347.

<sup>68</sup> Cf. nn. 38-63: AAS 59 (1967) 586-592.

<sup>69</sup> Cf. AAS 64 (1972) 518-525. Cf. etiam «Communicatio» subsequenti anno evulgata, ut eadem Instructio recte applicaretur: AAS 65 (1973) 616-619.

in statu renovationis liturgicae relictus est locus liberae «creatrici» cui-  
dam operae, debet tamen illa districte oboedire postulatis substantialis  
unitatis. Qua in pluralismi via, ut aiunt (qui ceterum iam exortus est  
ex variarum linguarum usu in liturgiam inducto), eatenus tantum pro-  
gredi licet, quatenus necessariae proprietates celebrationis Eucharis-  
tiae non tollantur quatenusque obtemperetur legibus recentiore li-  
turgica renovatione praestitutis.

Necessaria ergo ubique adhiberi debet diligentia, ut intra ipsum cultus  
eucharistici pluralismum, a Concilio Vaticano II propositum, ostenda-  
tur unitas, cuius signum Eucharistia est et causa.

[144] Officium istud, cui ob ipsam rerum necessitatem invigilare de-  
bet Apostolica Sedes, suscipiendum est non solum *Conferentiis Epi-  
scopalibus* singulis, verum etiam cuique sine exceptione ministro Eu-  
charistiae. Reminisci praeterea quisque debet se vere respondere de  
communi universae Ecclesiae bono. *Sacerdos ut minister* et celebrans  
et praeses eucharisticae fidelium congregationis habeat oportet pecu-  
liarem *sensum communis boni Ecclesiae*, quod per ministerium suum  
repraesentat at cui ipse vicissim subesse debet secundum rectam fidei  
disciplinam. Se ipsum arbitrari non licet velut «possessorem» qui libere  
decernat de liturgico textu et ritu sacro quasi de suo peculiari bono, ut  
ritui illi tribuat suum ipsius arbitriumque modum. Id quod subinde  
videri potest maiorem quidem habere effectum magisque satis facere  
subiectivae cuidam pietati, nihilo setius tamen obiective fallitur semper  
communio illa quam potissimum in Sacramento unitatis vere proprie-  
que decet declarari. 3947

Singuli sacerdotes, qui Sanctum offerunt Sacrificium, meminerint 3948  
proinde non se *solos* huius Sacrificii tempore precari cum propria com-  
munitate, verum totam simul precari Ecclesiam, quae sic atque etiam  
per *usum liturgici textus approbati* aperiat hoc in Sacramento unita-  
tem suam spiritalem. Si quis hanc rationem appellat «nimium unifor-  
mitatis studium», ostendit tantummodo se ignorare obiectivas postula-  
tiones germanae unitatis idque signum est nocentis individualismi,  
quem dicunt.

Quod autem minister sive celebrans ita subicitur ipsi «Mysterio», quod  
ab Ecclesia illi concreditum est in commodum totius Populi Dei, id  
elucere debet etiam in observatione liturgicarum normarum ad Sancti  
Sacrificii celebrationem attinentium. Hae regulae referuntur verbi cau-  
sa ad habitum nominatimque ad sacras vestes, quas celebrans induit.  
Accidit, quemadmodum liquet, ut antehac fuerint etiamque nunc  
adiuncta sint, in quibus praescripta illa non urgeant. Intimis sensibus  
[145] commoti iam legimus in libris, quos sacerdotes conscripserunt  
quondam captivi in campis ad homines exterminandos institutis, nar-  
rationes de eucharisticis celebrationibus absque supra dictis normis, id  
est sine altari et sacris vestimentis. Si vero illis in condicionibus id do-  
cumentum fuit animorum heroicorum magnamque aestimationem me-  
retur, nihilominus tamen *communibus in adiunctis* intellegi potest neg-  
legentia praeceptorum liturgicorum velut deminuta erga Eucharis-  
tiam reverentia, quam fortasse genuit singulare studium ipsius cele-

brantis vel mens non valens censuram facere opinionum vulgarum vel etiam quidam *defectus spiritus fidei*.

3949 Nos cunctos, qui ex Dei *gratia* ministri sumus Eucharistiae, obstringit peculiari modo officium curandi de ipsis sensibus seque gerendi rationibus fratrum nostrorum ac sororum sollertiae pastoralis nostrae commissorum. Munus quidem nostrum est, in primis per vitae nostrae exempla, incitare quamlibet sanam significationem cultus erga Christum praesentem operantemque in hoc Sacramento amoris. Ipsi prohibeat Deus, ne aliter agamus neve cultum illum labeficiamus, «desuescentes» signis variis formisque eucharistici cultus, quibus fortasse «tralatitia» at sana indicetur pietas, aut illum «fidei sensum», quem totus possidet Populus Dei, sicut monuit Concilium Vaticanum II.<sup>70</sup>

Extremam vero iam manum imposituri hisce considerationibus Nostris, velimus veniam petere — nomine quidem Nostro omniumque vestrum, Venerabiles ac Dilecti in episcopatu Fratres, — Universarum illarum rerum quae, ob quasvis causas quamlibetque ob humanam debilitatem, impatientiam, negligentiam vel etiam propter executionem interdum imperfectam, singularem, falsam praescriptorum Concilii Vaticani II, ingerere potuerunt scandalum vel difficultatem circa doctrinae interpretationem et venerationem huic excelso Sacramento [146] debitam. Dominum exinde Iesum precamur, ut deinceps pariter nostra in ratione huius mysterii sacri tractandi vitetur id omne quod quocumque modo diluere possit vel confundere reverentiae sensum et amoris inter nostros fideles.

Utinam Christus nos ipse adiuvet, ut per vias renovationis verae procedamus ad illam plenitudinem vitae cultusque eucharistici, unde aedificatur Ecclesia ipsa ea in unitate, quam possidet iam et cupit magis etiam perfici in Dei viventis gloriam hominumque cunctorum salutem.

3950 13. Sinite demum Nos, Venerabiles ac Dilecti Fratres, has iam finire meditationes Nostras, ad nonnullarum dumtaxat quaestionum tractationem plenioribus destinatas. Cum easdem cogitationes Nostras enuclearem, ante oculos nobis obversabatur opus totum a Concilio Vaticano II peractum, atque mentem acriter intendimus in Pauli VI Encyclicas Litteras «Mysterium Fidei», tempore Concilii foras datas, necnon in omnia documenta idem post Concilium edita, quibus liturgica renovatio post Concilium ad effectum adduceretur. Viget enim arctissima et congruens necessitudinis coniunctio *inter liturgiae renovationem ac restaurationem totius vitae Ecclesiae*.

Ecclesia non solum agit sed et ipsa se exprimit in liturgia, ex liturgia vivit deque liturgia consentaneas vitae suae vires haurit. Idcirco liturgica renovatio, recto modo secundum Concilii Vaticani II mentem peracta, certo quodam sensu mensura est et condicio qua eiusdem universalis Synodi doctrina ad usum adducatur, quam quidem amplecti volumus profunda cum fide, habentes scilicet nobis persuasum per ipsum Concilium Spiritum Sanctum «dixisse Ecclesiae» veritates dedisse-

<sup>70</sup> Cf. *Lumen gentium*, n. 12.



que consilia quae muneri eius perficiendo utilia essent coram hominibus huius nostri posteriorisque temporis.

*Aequabiliter nos in posterum etiam singularem adhibebimus curam, ut sequamur ac provehamus Ecclesiae renovationem secundum Concilii Vaticani II doctrinam, spiritu vivae [147] semper Traditionis ducti. Re quidem vera pertinet ad Traditionis recto modo intellectae naturam recta quoque interpretatio rursus instituta «signorum temporum», secundum quae necesse est extrahantur copioso de Evangelii thesauro «nova et vetera». <sup>71</sup> Hoc videlicet animo secundum evangelicam monitionem operans, Concilium Vaticanum II provide est annisum, ut vultus Ecclesiae in liturgia sacra restitueretur, cum saepius se ipsum revocaret ad id quod est «antiquum», ad id quod ex Patrum hereditate prodit exprimitque fidem ac doctrinam Ecclesiae tot iam saecula adunatae.* 3951

Ut autem illa Concilii praescripta in liturgiae provincia futuris quoque temporibus pergere valeant rite impleri, at potissimum in regione eucharistici cultus, *pernecessaria est sedula adiutrix opera* mutua inter Apostolicae Sedis Dicasterium, ad quod res pertinet, singulasque Episcopales Conferentias, adiutrix — inquam — mutua opera, *vigil simul et creatrix*, oculis nempe intentis nunc ad sanctissimi Mysterii magnitudinem nunc ad progredientes motus spirituales socialesque mutationes tanti momenti pro nostra aetate, quoniam non solum difficultates quandoque inferunt, verum etiam homines ad novam rationem communicandi augusti huius Mysterii Fidei praeparant. 3952

Ante omnia vero asseverare Nostra interest quaestiones liturgiae ac nominatim liturgiae eucharisticae nullo modo esse posse occasiones *dividendi catholicos et subruendi Ecclesiae unitatem*. Istud efflagitur iam simplici ex intellectu Sacramenti huius, quod Christus nobis ut spiritalis coniunctionis fontem reliquit. At quo pacto Eucharistia ipsa, quae in Ecclesia est «sacramentum pietatis, signum unitatis, vinculum caritatis», <sup>72</sup> his diebus inter nos erigere possit murum divisionis materiamque praebere dissensionis cogitationum et agendi rationum, cum [148] esse debeat centrum primum et constitutum unitatis ipsius Ecclesiae, quem ad modum ex sua est natura?

Universi nos pariter debitores sumus erga Redemptorem nostrum. Universi nos simul audiamus oportet illum veritatis amorisque Spiritum, quem is pollicitus Ecclesiae est quique in ea operatur. Pro hac igitur veritate et amore, nomine insuper ipsius Christi Crucifixi eiusque Matris, obsecramus vos et obtestamur, ut omnem deserentes contentionem ac partitionem consociemur nos universi ad hoc excelsum salutiferum munus, quod pretium est unaque fructus redemptionis nostrae. Quantum in ipsa profecto situm est, Apostolica Sedes annitetur, ut similiter in posterum instrumenta conquirat, quibus unitas illa as- 3953

<sup>71</sup> Mt. 13, 52.

<sup>72</sup> Cf. S. Augustinus, *In Evangelium Ioannis tract.*, 26. 13: PL. 35, 1612 s.

servetur de qua loquimur. Unusquisque vero diligenter sua caveat agendi ratione «contristare Spiritum Sanctum», 73

Haec ut tandem unitas et continua ordinataque cooperatio, quae ad illam perducit, valeant perseveranter proferri, flexis genibus imploramus singulis nobis lumen Spiritus Sancti per Mariae Sponsae eius sanctae Matrisque Ecclesiae deprecationem. Et dum omnibus benedicimus imo ex pectore, rursus convertimur ad vos, Venerabiles ac Dilecti Nobis Fratres in episcopatu, fraterna cum salutatione ac plena fiducia. Coniuncti nos hac collegiali unitate, cuius sumus participes, omnia suscipiamus, quo magis magisque Eucharistia fiat vitae et lucis fons conscientis fratrum nostrorum ac sororum apud communitates singulas intra unitatem universalem Christi Ecclesiae in terris.

73 Eph. 4, 30.

## De Litanis Lauretanis

Die 13 martii 1980 Sectio pro Cultu Divino SCSCD ad Praesides Conferentiarum Episcoporum Litteras circulares de invocatione «Mater Ecclesiae» in Litanias Lauretanas inserenda misit.

ED. - Lat.: N 16 (1980) 159. Ital.: EV 7, 231. Lus.: LRC 44 (1980) 196.

[159] Marialis titulus «mater Ecclesiae», quem Summus Pontifex Paulus VI rec. mem. sollemni sententia pronuntiavit occasione oblata tertiae exactae Sessionis Concilii Vaticani II, ubique apud populum christianum magis magisque pia devotione recolitur. Insuper et in Missale Romanum (editio typica altera, 1975) nova Missa votiva «De Beata Maria Ecclesiae Matre» est inserta. 3954

Summus Pontifex Ioannes Paulus II, petitionibus obsequens, quae e diversis mundi regionibus ad Apostolicam Sedem mittuntur, facultatem concedit ut unaquaeque Conferentia Episcopalis, quae id exoptet, in formularium Litaniarum Beatae Mariae Virginis invocationem «Mater Ecclesiae» inserere possit.

Nova haec invocatio «Mater Ecclesiae», in Litanis «Lauretanis» nuncupatis, post invocationem «Mater Christi» et ante illam «Mater divinae Gratiae» est collocanda.

Quae dum Tecum, E.me Domine, in notitiam et normam communicare placet, occasionem nactus libenter sensus venerationis meae erga Te pando atque me profiteor [...]

## De cooperatione Ecclesiarum particularium

Die 25 martii 1980 SCC Notas directivas «de mutua Ecclesiarum particularium cooperatione promovenda ac praesertim de aptiore cleri distributione» edidit. In quibus Notis interdum res liturgicae attinguntur.

ED. - Lat.: AAS 72 (1980) 343-364. Gall.: DC 77 (1980) 982-990. Germ.: VAS 31. Hisp.: E 40 (1980) 987-996. Ital.: EV 7, 233-281; RD 25 (1980) 359-366.

COMM. - Ital.: G. CAPRIE, in: CC 131/IV (1980) 63-67; G. ZANNONI, in: OR 13-VIII-1980, 2.

## II. DE NECESSITATE MANDATUM CHRISTI IMPLENDI

*Universa Ecclesia ad evangelizandum vocatur.*

- 3955 [345] 3. Via ac ratio, qua Ecclesia mandatum Christi adimplere debet, evangelizatio est secundum exemplum ipsius Conditoris, qui primus exstitit Evangelii praeco. [...]  
Nemo, igitur, qui in Ecclesia baptizatus et confirmatus est, ex hoc officio sese eximere potest, quemadmodum a Concilio Vaticano II admonemur: «Cum tota Ecclesia missionaria sit, et opus evangelizationis officium populi Dei fundamentale, S. Synodus omnes ad profundam renovationem interiorem invitat, ut vivam conscientiam propriae responsabilitatis in Evangelii diffusione» habeant.<sup>6</sup>  
Licet omnes christifideles pro sua quisque parte cooperari debeant in Ecclesiae missione exsequenda, attamen, ratione habita diversitatis membrorum quoad munera adimplenda,<sup>7</sup> diversum pariter erit officium quod Episcopi, presbyteri, religiosi necnon laici absolvere debent.

*Munus presbyterorum.*

- 3956 [346] 5. Presbyteri, qui una cum Episcopis «in persona Christi Capitis»<sup>14</sup> agunt, modo eminenti collaborant ad regnum Dei in terris dilatandum, sive officium pastoris animarum obeundo, sive verbum Dei

<sup>6</sup> *Ad gentes*, n. 35.

<sup>7</sup> *Lumen gentium*, n. 13.

<sup>14</sup> *Presbyterorum ordinis*, n. 2.

praedicando, sive Sacramenta Novae Legis fidelibus administrando. <sup>15</sup>  
Ipsi, igitur, per ministerium suum «Ecclesiam universalem in suo loco  
visibilem faciunt». <sup>16</sup>

Ex altera vero parte communitas christiana summopere indiget prae-  
sentia sacerdotum, cum ipsa plene constituta dici nequeat, nisi ope sa-  
crificii Christi, quod «per manus eorum nomine totius Ecclesiae in Eu-  
charistia incruente et sacramentaliter offertur»; <sup>17</sup> quae actio liturgica  
censenda est centrum congregationis fidelium. <sup>18</sup> Iure igitur merito Sy-  
nodus Episcoporum anno 1971, de sacerdotio ministeriali agens, de-  
claravit: «Deficiente praesentia et actione illius (sacerdotis) ministerii,  
quod per manuum impositionem cum oratione recipitur, Ecclesia ple-  
nam certitudinem de sua fidelitate ac de sua visibili continuitate habere  
nequit». <sup>19</sup>

[347] Iamvero huiusmodi spirituale donum, quod presbyteri per sa-  
cram ordinationem recipiunt, «illos non ad limitatam quandam et  
coarctatam missionem praeparat, sed ad amplissimam et universalem  
salutis usque ad ultimum terrae; nam quodlibet sacerdotale ministe-  
rium participat ipsam universalem amplitudinem missionis a Christo  
apostolis concredita». <sup>20</sup> [...]

#### *Laicorum vocatio.*

[348] 7. Laici omnes, vi suscepti Baptismatis et Confirmationis, ab 3957  
ipso Domino deputantur ad apostolatam peragendum: «vocatio enim  
christiana, natura sua, vocatio quoque est ad apostolatam». <sup>26</sup> Qui  
quidem laicorum apostolatus, etsi praecipue in paroeciis exercetur, ex-  
tendatur tamen oportet ad alios quoque campos, scilicet interparoecia-  
les, dioecesanos, nationales et internationales; immo ipsi solliciti esse  
debent «de necessitatibus populi Dei in orbe terratum dispersi»; idque  
facere poterunt adiuvando opera missionalia, scilicet auxilia sive mate-  
rialia sive personalia sacris missionibus ministrando. <sup>27</sup>

Laici praeterea vocari possunt a Hierarchia ad cooperationem magis  
immediatam apostolatu praestandam; ac revera postremis decenniis  
Ecclesia manifesto ostendit, quam multiplicibus modis et quam uberi-  
bus laici auxiliatricem conferre possint operam ad ipsius salutiferam  
missionem. Hoc patet ex Adhortatione Apostolica *Evangelii Nuntian-  
di*, quae in recentioribus experienciis innixa, agit de variis mansioni-  
bus, quarum in numero recensentur catechistae, ii qui ministerio Verbi

<sup>15</sup> *Ibid.*, nn. 4, 5, 6.

<sup>16</sup> *Lumen gentium*, n. 28.

<sup>17</sup> *Presbyterorum ordinis*, n. 2.

<sup>18</sup> *Ibid.*, n. 5.

<sup>19</sup> l. n. 4: AAS 63 (1972) 898 sq.

<sup>20</sup> *Presbyterorum ordinis*, n. 10.

<sup>26</sup> *Apostolicam actuositatem*, n. 2.

<sup>27</sup> *Ibid.*, n. 10.

Dei sunt addicti, operum caritatis ministri, communitatum parvarum praepositi etc. Huiusmodi collaboratio laicorum, ubique utilis, in missionibus censetur utilissima ad Ecclesiam condendam, vivificandam et amplificandam. <sup>28</sup> [...]

#### CONCLUSIO

3958 [364 [...]] Quemadmodum, igitur, per totum historiae Ecclesiae decursum in opere evangelizationis praecipue Spiritum Sanctum agere agnoscimus sive christianos permovendo ad regnum Dei propagandum, sive hominum corda aperiendo verbo Dei, ita pariter sub eiusdem Spiritus ductu futurus Ecclesiae cursus est positus. Interim, proprium nostrum omnium officium hoc est, ut Spiritum Domini instanter precemur, nosmetipsos eius divinis impulsioibus fidentes ac dociles committamus, totis viribus adlaborantes, ut apud christifideles persuasio de natura missionaria Ecclesiae vivida perstet, itemque magis magisque crescat conscientia officiorum, quibus singuli christiani ac praesertim animarum pastores tenentur erga Ecclesiam universalem. [...]

<sup>28</sup> N. 73; cf. *Lumen gentium*, n. 33.

## «Inaestimabile donum»

Die 3 aprilis 1980 Sectio pro Cultu Divino SCSCD Instructionem «de quibusdam normis circa cultum mysterii eucharistici» edidit.

ED. · Lat.: AAS 72 (1980) 331-343; N 16 (1980) 287-296. Gall.: DC 77 (1980) 641-644; BNL 15 (1981) 217-228. Germ.: VAS 16; ÖfKR 31 (1980) 293-297. Hisp.: PLDI nn. 112-113 (1980) 3-12; E 40 (1980) 649-651. Ital.: EV 7, 283-303; RD 25 (1980) 280-292; RL 67 (1980) 661-669; L 14 (1980) 251-286. Lus.: *Instrução «Inaestimabile Donum» sobre algumas normas relativas ao Culto da SS. Eucaristia*, Lisboa 1980. Neer.: AK 35 (1980) 961-969; Analecta voor het bisdom Roermond 61 (1980) n. 3, 12-21; ICLZ-Mededelingen n. 43 (1980) 388-397.

COMM. · Angl.: A.T., in: W 54 (1980) 455-459. Gall.: CNPL, Informations, n. 102 (1980) 3. Hisp.: P. FARNES, in: OH 11 (1980) 155-172; J.M. BERNAL, in: Ph 20 (1980) 429-433. Ital.: S. MARSILI, in: RL 67 (1980) 669-673. Neer.: ICLZ-Mededelingen n. 43 (1980) 386-387.

[331] Inaestimabile donum sanctissimae Eucharistiae postquam Ioannes Paulus Pp. II Epistula, die XXIV mensis Februarii anno MCMLXXX ad Episcopos et per eos ad Sacerdotes data, denuo tractavit, Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino quasdam normas, ad tanti mysterii cultum pertinentes, diligentiae sacrorum Antistitum proponit.

Quae vero subiciuntur, ea non quidem summam efficiunt illarum rerum, quas Apostolica Sedes post Concilium Vaticanum II exactum in documentis ad sanctissimam Eucharistiam spectantibus et adhuc vigentibus edixit, praesertim in Missali [332] Romano, <sup>1</sup> in Rituali *De sacra Communione et de cultu Mysterii eucharistici extra Missam*, <sup>2</sup> in Instructionibus ab hisce incipientibus verbis: *Eucharisticum mysterium*, <sup>3</sup> *Memoriale Domini*, <sup>4</sup> *Immensae caritatis*, <sup>5</sup> *Liturgicae instaurationes*. <sup>6</sup>

<sup>1</sup> Ed. Typica altera, Romae 1975.

<sup>2</sup> Ed. Typica, Romae 1973.

<sup>3</sup> SRC, die 25 Maii 1967: AAS 59 (1967) 539-573.

<sup>4</sup> SCCD, die 29 Maii 1969: AAS 61 (1969) 541-545.

<sup>5</sup> SCDS, die 29 Ianuarii 1973: AAS 65 (1973) 264-271.

<sup>6</sup> SCCD, die 5 Septembris 1970: AAS 62 (1970) 692-704.

Haec Sacra Congregatio fructus permultos et certos instaurationis liturgicae cum gaudio agnoscit, cuius modi sunt fidelium magis actiosa et conscia participatio mysteriorum liturgicorum, res doctrinalis et catechetica adaucta per usum sermonis vulgaris et copiam lectionum biblicarum, altior sensus communitarius vitae liturgicae, incepta feliciter peracta, ut discrepantia tolleretur inter vitam et cultum, inter pietatem liturgicam et pietatem singulorum, inter liturgiam et pietatem popularem.

- 3960 Hae tamen res, praestabiles quidem animumque confirmantes, tacere non sinunt de sollicitudine, quacum perquam multiplices et crebros pravos usus advertimus, qui e variis partibus orbis catholici nuntiantur: confusio munerum, praesertim quod ad ministerium sacerdotale attinet et ad officium laicorum (recitatio precis eucharisticae, quae sine discrimine et coniuncte fit, homiliae a laicis habitae, laici sacram communionem distribuentes, dum sacerdotes ea dispertienda se abstinere); augescens defectus sensus illius, quo sacrum percipiatur (derelictus usus vestium liturgicarum, sacrae celebrationes pro more extra ecclesias sine vera necessitate habitae, deficiens reverentia et observantia sanctissimi Sacramenti hisque similia); neglectio indolis ecclesialis, quae liturgiae est propria (usus textuum privatorum, amplificata inductio precum eucharisticarum non approbatarum, detorta adhibitio textuum liturgicorum quatenus finibus socialibus-politicis servire iubentur). Huiusmodi in casibus vera deprehenditur adulteratio liturgiae catholicae: «vitium falsitatis incurrit qui ex parte Ecclesiae cultum exhibet Deo contra modum divina auctoritate ab Ecclesia constitutum et in Ecclesia consuetum». <sup>7</sup>

Haec autem omnia bonos fructus edere nequeunt. Inde consequuntur — ac quidem non consequi nequeunt — laesura unitatis fidei et cultus in Ecclesia, incertitudo quoad doctrinam, scandalum et dubitatio Populi Dei atque, paene necessitate fatali, repugnationes violentae.

- 3961 Fideles iure fruuntur veram habendi liturgiam, quae talis est, cum eo modo peragitur, quem Ecclesia voluit et statuit, quae etiam facultates, quae fieri possint, praevideat eam adiunctis aptandi, prout necessitates pastorales variis in locis aut diversi hominum coetus postulant. Experimenta, mutationes, opera «creatrix» non legitima fideles confundunt. Praeterea usus textuum non approbatorum eo perducit, ut necessarius ille nexus inter *legem orandi* et *legem credendi* evanescat. Ad haec quod spectat, in memoriam est revocanda hortatio Concilii Vaticani II: «nemo omnino alius, etiamsi sit sacerdos, quidquam proprio Marte in Liturgia addat, demat, aut mutet». <sup>8</sup> Paulus vero VI rec. mem. monuit: «Qui renovatione (liturgica) abutitur, ut experimenta suo arbitratu faciat, vires disperdit et sensum ecclesiale offendit». <sup>9</sup>

<sup>7</sup> S. Thomas, *Summa Theologica*, 2-2, q. 93, a. 1.

<sup>8</sup> *Sacrosanctum Concilium*, n. 22, § 3.

<sup>9</sup> Cf. Allocutio die 22 Augusti 1973 habita: *L'Osservatore Romano*, 23 Augusti 1973.



A) De sancta Missa

1. «Duae partes e quibus Missa quodammodo constat, liturgia nempe verbi et eucharistica, tam arcte inter se coniunguntur, ut unum actum cultus efficiant». <sup>10</sup> Ad mensam panis Domini non accedatur, nisi postquam quis ad mensam verbi [334] eius constiterit. <sup>11</sup> Est ergo maximum momentum Sacrae Scripturae in Missa celebranda. Quam ob rem neglegi non licet, quod Ecclesia statuit: «In celebrationibus sacris abundantior, varior et aptior lectio sacrae Scripturae instauretur». <sup>12</sup> Normae in Lectionario constitutae observentur, quod attinet sive ad numerum lectionum sive ad ea quae circa peculiaria adiuncta proponuntur. Gravis abusus admitteretur, si pro verbo Dei verbum hominis, quicumque is est, substitueretur. <sup>13</sup> 3962
2. Lectio pericopes evangelicae ministro ordinato, id est diacono aut sacerdote, reservatur. Ceterae lectiones, cum fieri potest, lectori ad hoc instituto aut aliis laicis, spirituali ratione et arte praeparatis, committantur. Post primam lectionem psalmus responsorius sequitur, qui est pars integralis liturgiae verbi. <sup>14</sup> 3963
3. Homiliae propositum est Dei verbum in lectionibus prolatum fidelibus explanare atque eiusmodi nuntium ad aetatis nostrae sensum accommodare. Homilia ergo munus est sacerdotis aut diaconi. <sup>15</sup> 3964
4. Eucharisticae precis pronuntiatio, ipsa sua natura quasi culmen totius celebrationis, sacerdotis est propria vi eius ordinationis. Itaque abusus est id agere, ut quaedam partes precis eucharisticae a diacono, a ministro inferiore vel fidelibus recitentur. <sup>16</sup> Coetus tamen interest neque segnis neque iners: sacerdoti enim in fide et cum silentio sociatur atque in eucharisticae precis cursu nonnullis interventibus statutis suam assensionem profitetur. Qui sunt: responsiones in dialogo Praefatio[335]nis, *Sanctus*, acclamatio post consecrationem et ultimum *Amen* post *Per ipsum*, quod proprium est sacerdotis. Hoc praesertim *Amen* cantu est ditandum, utpote *Amen* in tota Missa praecipuum. 3965
5. Solum illae preces eucharisticae adhibeantur, quae in Missali Romano inveniuntur, vel ab Apostolica Sede legitime probatae sunt iuxta modos terminosque ab ea definitos. Abusus gravissimus est eucharisticas preces ab Ecclesiae probatas mutare vel alias a privatis compositas inducere. 3966
6. Oportet meminisse alias orationes vel cantus non esse eucharisticis precibus superponendas. <sup>17</sup> In prece eucharistica proferenda sacerdos 3967

<sup>10</sup> Sacrosanctum Concilium, n. 56.

<sup>11</sup> Cf. *ibid.*, n. 56; cf. *Dei Verbum*, n. 21.

<sup>12</sup> Sacrosanctum Concilium, n. 35, § 1.

<sup>13</sup> Cf. SCCD, Instr. *Liturgicae instaurationes*, n. 2, a.

<sup>14</sup> Cf. Institutio Generalis Missalis Romani, n. 36.

<sup>15</sup> Cf. SCCD, Instr. *Liturgicae instaurationes*, n. 2, a.

<sup>16</sup> Cf. SCCD, Litt. circ. *Eucharistiae participationem*, die 27 Aprilis 1973: AAS 65 (1973)

340-347, n. 8; Instr. *Liturgicae instaurationes*, n. 4.

<sup>17</sup> Cf. Institutio Generalis Missalis Romani, n. 12.

tam clare textus verba pronuntiet, quo facilius et fideles ea comprehendant et verus coetus formetur, Memorialis Domini celebrationi plane deditus.

- 3968 7. *Concelebratio*. Concelebratio, in Occidentis liturgia restituta, modo singulari sacerdotii manifestat unitatem. Qua de causa concelebrantes signa, quae hanc unitatem illustrant, observent: exempli gratia, iam ab initio celebrationis praesentes adsint, praescriptis sacris vestibus induantur, locum obtineant, qui eorum ministerio ut concelebrantium competit, atque ceteras normas fideliter observent, ut ritus decore peragatur. <sup>18</sup>
- 3969 8. *Eucharistiae materia*. Exemplo Christi obsecuta, Ecclesia ad Cenam Dominicam celebrandam panem et vinum cum aqua constanter adhibuit. Panis quidem, ad Eucharistiae celebrationem destinatus, secundum totius Ecclesiae traditionem esse debet tantummodo triticeus atque, iuxta traditionem Ecclesiae Latinae, azymus. Materia celebrationis eucharisticae, ratione signi, «oportet revera ut cibus appareat». Quod intellegendum est ad panis soliditatem spectare, non ad formam, quae, ut traditus fert mos, ita debet manere. Neque licet farinae [336] tritici et aquae res extraneas addere. Eius confectio attentum animi postulat curam ita ut compositio nihil detrimenti afferat dignitati, quae eucharistico pani debetur, eius fractio digne fieri possit, neque nimia fragmenta oriri, neque in manducatione sensum religiosum fidelium offendi contingat. Vinum autem in celebratione eucharistica adhibendum promi debet «de generatione vitis» (Lc, 22, 18) sitque naturale et merum, id est extraneis substantiis non admixtum. <sup>19</sup>
- 3970 9. *Communio eucharistica*. Communio donum est Domini, quod fidelibus a ministro traditur ad eiusmodi officium destinato. Non licet ipsis fidelibus panem consecratum sumere neque calicem sacrum tantoque minus de manu in manum inter se ea transmittere.
- 3971 10. Religiosus vel laicus fidelis, qui extraordinarius constitutus est Eucharistiae minister, poterit communionem impertire solummodo, cum sacerdos vel diaconus vel acolythus desunt, cum sacerdos debilitate propectave aetate impeditur, vel cum fidelium ad communionem accedentium numerus tantus est, ut ipsa Missa celebratio nimis protrahatur. <sup>20</sup> Reprobatus ideo mos est eorum sacerdotum, qui, licet celebrationi ipsi intersint, a communione tamen distribuenda se abstinere, laicis id munus committentes.
- 3972 11. A fidelibus semper Ecclesia flagitavit reverentiam et pietatem erga Eucharistiam, quo tempore eam recipiunt. Quod vero spectat ad modum accedendi ad suscipiendam communionem, ea quidem recipi potest a fidelibus sive genuflexis sive stantibus

<sup>18</sup> Cf. Institutio Generalis Missalis Romani, nn. 156, 161-163.

<sup>19</sup> Cf. *ibid.*, nn. 281-284; SCCD, Instr. *Liturgicae instaurationes*, n. 5; Notitiae 6 (1970) 37.

<sup>20</sup> Cf. SCDS, Instr. *Immensae caritatis*, n. 1.

secundum normas a Conferentia Episcopali edictas. «Cum fideles communicant genuflexi, non exigitur ab eis aliud signum reverentiae erga sanctissimum Sacramentum, quia ipsa genuflexio adorationem exprimit. Cum autem [337] communicant stantes, enixe commendatur ut, processionaliter accedentes, debitam reverentiam faciant ante susceptionem Sacramenti, loco et tempore opportuno, ne accessus et recessus fidelium perturbetur». <sup>21</sup>

Verbum «Amen», quod fideles proferunt communionem suscipientes, actus fidei ipsorum est in Christi praesentiam.

12. Ad communionem vero sub utraque specie quod attinet, serventur ea quae statuit Ecclesia, sive afficientia ipsam venerationem eidem Sacramento debitam sive tangentia utilitatem eorum qui Eucharistiam suscipiunt, pro rerum, temporum et locorum varietate. <sup>22</sup> 3973

Neque Conferentiae Episcopales nec Ordinarii ipsi ultra ea procedant, quae hodierna disciplina statuuntur: concessio communionis sub utraque specie ne fiat sine discrimine et sacrae celebrationes bene definiantur; hominum vero coetus, qui hac fruuntur facultate, accurate circumscripti sint, ordinati et eiusdem naturae. <sup>23</sup>

13. Etiam post communionem Dominus sub speciebus praesens manet. Idcirco, communionem impertita, particulae sacrae, quae superfuerunt, aut consumantur aut ab idoneo ministro deferantur ad locum Eucharistiae asservandae destinatum. 3974

14. Vinum consecratum ex contrario statim post communionem sumi debet neque asservari licet. Attendatur autem, ut sola consecretur vini copia ad communionem necessaria. 3975

15. Normae pariter observentur attinentes ad purificationem calicis aliorumque vasorum sacrorum, quae eucharisticas continuerunt species. <sup>24</sup> 3976

[338] 16. Peculiaris honor et cura vasis sacris impendantur, sive calici et patenae ad Eucharistiae celebrationem aptis, sive pyxidibus in sacra communione adhibendis. Forma autem vasorum sacrorum ad usum liturgicum, cui destinantur, idonea sit oportet. Materia esse debet nobilis, durabilis et usui sacro utique accommodata. De qua re Conferentiae Episcopalis cuiusque regionis est iudicare. 3977

Non licet adhibere simplicia canistra vel alia vasa, quae extra sacras celebrationes communi usui destinantur aut viliora sunt, ad qualitatem quod attinet, aut omni artificio carent.

Calices et patenae, antequam adhibeantur, oportet ab Episcopo vel presbytero benedicantur. <sup>25</sup>

<sup>21</sup> SRC, Instr. *Eucharisticum mysterium*, n. 34; cf. Institutio Generalis Missalis Romani, nn. 244, c; 246, b; 247, b.

<sup>22</sup> Cf. Institutio Generalis Missalis Romani, nn. 241-242.

<sup>23</sup> Cf. *ibid.*, n. 242 in fine.

<sup>24</sup> Cf. *ibid.*, n. 238.

<sup>25</sup> Cf. *ibid.*, nn. 288, 289, 292, 295; SCCD, Instr. *Liturgicae instaurationes*, n. 8; *Pontificale Romanum, Ordo dedicationis ecclesiae et altaris*, p. 125, n. 3.

- 3978 17. Fideles moneantur, ne post communionem iustam et consentaneam gratiarum actionem omittant, sive in ipsa celebratione silentii spatium interponendo vel hymnum, psalmum aliudve laudis canticum concinendo,<sup>26</sup> sive post celebrationem per congruum tempus in oratione, ut fieri potest, immorando.
- 3979 18. Quemadmodum notum est, variae sunt partes, quas mulier in coetu liturgico potest implere: cuius generis sunt lectio verbi Dei et pronuntiatio intentionum orationis universalis. Non tamen mulieribus licet munera obire acolythi seu ad altare ministrantis.<sup>27</sup>
- 3980 19. Peculiaris vigilantia et specialis cura inculcantur, cum agitur de sanctis Missis, quae ope instrumentorum audivisi[339]corum transmittuntur. Etenim, cum latissime diffundantur, ita eas peragi oportet, ut sint exemplo.<sup>28</sup>  
Quod ad celebrationes attinet, quae in domibus privatis fiunt, normae Instructionis, a verbis *Actio pastoralis* incipientis ac die XV mensis Maii anno MCMLXIX editae, observentur.<sup>29</sup>

B) *De cultu eucharistico extra Missam*

- 3981 20. Pietas tum publica tum privata erga sanctissimam Eucharistiam etiam extra Missam vehementer inculcatur: etenim praesentia Christi, qui a fidelibus in Sacramento adoratur, a sacrificio manat tenditque ad communionem sacramentalem et spiritualem.
- 3982 21. Cum pia disponuntur exercitia eucharistica, ratio habeatur temporum liturgicorum ita ut eadem exercitia congruant liturgiae, ab ea quodammodo deriventur et ad eam populum manuducant.<sup>30</sup>
- 3983 22. Quod autem attinet ad sanctissimae Eucharistiae expositionem, sive brevem sive protractam, ad processiones eucharisticas, ad conventus eucharisticos, ad totam denique pietatis eucharisticae temperationem, observentur pastorales praescriptiones ac normae, quae in Rituali Romano continentur.<sup>31</sup>
- 3984 23. Hoc non est obliviscendum: «ante benedictionem cum sanctissimo Sacramento congruum tempus tribuatur lectionibus verbi Dei, canticis, precibus et orationi aliquamdiu in silentio protractae». <sup>32</sup> Sub finem adorationis canitur hym[340]nus et recitatur vel canitur una ex orationibus, ex pluribus deligenda, quae in Rituali Romano exhibentur.<sup>33</sup>

<sup>26</sup> Cf. Institutio Generalis Missalis Romani, n. 56 j.

<sup>27</sup> Cf. SCCD, Instr. *Liturgicae instaurationes*, n. 7.

<sup>28</sup> Cf. Sacrosanctum Concilium, n. 20; Pont. Consilium Instrumentis Communicationis socialis praepositum, Instr. *Communio et progressio*, die 23 Martii 1971: AAS 63 (1971) 593-656, n. 151.

<sup>29</sup> AAS 61 (1969) 806-811.

<sup>30</sup> Cf. *Rituale Romanum, De sacra communione et de cultu mysterii eucharistici extra Missam*, n. 79-80.

<sup>31</sup> Cf. *ibid.*, n. 82-112.

<sup>32</sup> *Ibid.*, n. 89.

<sup>33</sup> Cf. *ibid.*, n. 97.

24. *Tabernaculum*, in quo Eucharistia asservatur, collocari potest in altari vel etiam extra illud, in loco ecclesiae admodum conspicuo, revera nobili et convenienter exornato, aut in sacello ad privatam fidelium precationem et adorationem idoneo. <sup>34</sup> 3985

25. *Tabernaculum* esse debet solidum, inviolabile, non translucidum. <sup>35</sup> Iuxta illud, quo videlicet loco Eucharistiae praesentia significatur conopeo aliove apto instrumento a competenti auctoritate definito, lampas, ut signum honoris qui Domino adhibetur, perenniter ardeat. <sup>36</sup> 3986

26. Coram sanctissimo Sacramento, sive in tabernaculo asservato sive publice exposito, venerandus usus genua flectendi, signum scilicet adorationis, servetur. <sup>37</sup> Qui actus poscit, ut quasi spiritu vivificetur; quocirca, ut cor ex intima veneratione ante Deum flectatur, genuum flexio ne fiat festinanter neque neglegenter. 3987

27. Quodsi quidquam inductum fuerit his normis contrarium, debet emendari. 3988

Maxima pars difficultatum, quae in exsequenda renovatione liturgiae, praesertim Missae, inveniebantur, ex eo profluit quod nonnulli sacerdotes et fideles non satis sibi exploratas et cognitatas habuerunt ipsas rationes theologicas et spirituales, ob quas res secundum principia a Concilio statuta sunt mutatae. 3989

[341] Sacerdotes oportet altius percipiant sincerum modum Ecclesiam considerandi, <sup>38</sup> cuius vivum quasi documentum est celebratio liturgica, potissimum vero Missa. Sine congruenti institutione biblica sacerdotes fidelibus explicare non valebunt significationem liturgiae ut repraesentationis, per signa factae, historiae salutis. Etiam cognitio historiae liturgiae conferet ad inductas mutationes comprehendendas, non ut novitates sed ut redintegrationem atque accommodationem verae sincerataeque traditionis.

Liturgia praeterea magnam postulat aequilibratam, quoniam, ut Constitutio *Sacrosanctum Concilium* docet, illa «summe eo confert ut fideles vivendo exprimant et aliis manifestent mysterium Christi et genuinam verae Ecclesiae naturam, cuius proprium est esse humanam simul ac divinam, visibilem invisibilibus praeditam, actione ferventem et contemplationi vacantem, in mundo praesentem et tamen peregrinam; et ita quidem ut in ea quod humanum est ordinetur ad divinum eique subordinetur, quod visibile ad invisibile, quod actionis ad contemplationem, et quod praesens ad futuram civitatem quam inquirimus». <sup>39</sup> Sine hac aequilibrata verus vultus christianae liturgiae deformatur. 3990

<sup>34</sup> Cf. *Institutio Generalis Missalis Romani*, n. 276.

<sup>35</sup> Cf. *Rituale Romanum, De sacra communione et de cultu mysterii eucharistici extra Missam*, n. 10.

<sup>36</sup> Cf. SRC, *Instr. Eucharisticum mysterium*, n. 57.

<sup>37</sup> Cf. *Rituale Romanum, De sacra communione et de cultu mysterii eucharistici extra Missam*, n. 84.

<sup>38</sup> Cf. *Lumen gentium*.

<sup>39</sup> *Sacrosanctum Concilium*, n. 2.

3991 Quo facilius haec praeclara ad effectum deducantur, necesse erit liturgica formatio in seminariis et altioris doctrinae facultatibus provehatur<sup>40</sup> necnon participatio sacerdotum in cursibus, conventibus, congressionibus vel coetibus per hebdomadam de re liturgica habitis, ubi studium et consideratio sacris celebrationibus vim exempli praefertentibus valide compleantur. Hoc enim modo sacerdotes actioni pastoralis usque efficaciori se dedere poterunt in liturgica fidelium catechesi, in componendis lectorum manipulis, in formatione sive spiri- [342]tuali sive practica ad altare ministrantium, in erudiendis coetuum animatoribus, in paulatim augenda cantuum copia, in omnibus denique inceptis, quae altiorem usque cognitionem liturgiae possint adiu- vare.

3992 In renovatione liturgica exsequenda magnum in se recipiunt officium Commissiones nationales ac dioecesanae, Instituta et Sedes liturgiae excolendae, maxime quod attinet ad opus textus liturgicos in linguas vertendi et ad clerum ac populum secundum spiritum renovationis, a Concilio statuta, formandos.

Horum autem collegiorum opus Auctoritati ecclesiasticae oportet inserviat, unde fiat ut haec confidere possit cooperationi fideli in praecptiones normasque directorias Ecclesiae atque alienae ab inceptis ad arbitrium initis et a particularitatis studio, quibus fructus instaurationis liturgicae pessumdari possint.

3993 Hoc Documentum traditur sacrorum administris decimo anno expleto ex quo Missale Romanum a Paulo PP. VI, secundum praescriptiones Concilii confectum, est promulgatum.

Expedire videtur, ut quaedam verba, ab eodem Pontifice Maximo circa fidelitatem normis celebrationis servandam prolata, in memoriam revocentur: «gravius censendum est, quod illuc divisio inducitur, ubi congregavit nos in unum Christi amor, scilicet in Liturgiam atque in Eucharisticum Sacrificium, cum denegetur obsequium normis de re liturgica statutis. At vero, nomine ipsius Traditionis Nos ab omnibus filiis Nostris atque ab omnibus catholicis communitatibus postulamus, ut cum dignitate pietatisque fervore renovatae Liturgiae ritus celebrentur».<sup>41</sup>

Episcopi, ut «moderatores, promotores atque custodes vitae liturgicae in Ecclesiis sibi commissis»,<sup>42</sup> maxime idoneos qui[343]dem modos invenient, quibus sollerter ac firmiter ad effectum adducantur hae normae ad Dei gloriam et bonum Ecclesiae.

Romae, die III mensis Aprilis, Feria V in Cena Domini, anno MCMLXXX.<sup>a</sup>

<sup>40</sup> Cf. SCIC, Instr. De institutione liturgica in seminariis, *In ecclesiasticam futurorum sacerdotum formationem*, die 3 Iunii 1979.

<sup>41</sup> Allocutio in Consistorio Secreto habita, die 24 Maii 1976: AAS 68 (1976) 374.

<sup>42</sup> *Christus Dominus*, n. 15.

<sup>a</sup> Haec Instructio revera edita est, priusquam Summus Pontifex eam approbavit.

*Haec Instructio, a Sacra Congregatione pro Sacramentis et Cultu Divi-  
no confecta, a Summo Pontifice Ioanne Paulo II die XVII mensis Apri-  
lis eodem hoc anno approbata est, qui Sua eam auctoritate confirmans  
foras dari iussit et ab universis, ad quos pertineret, observari.*

## De ratione contemplativa vitae religiosae

Die 12 augusti 1980 SCRIS Notas directivas circa rationem contemplativam vitae religiosae edidit, in quibus pluries de rebus liturgicis et de pietate agitur. Textus lingua italica publici iuris factus est.

ED. - Ital.: *Informationes SCRIS 1980, Supplemento 33-50; OR 12-XI-1980, Supplemento A, VI-VIII; Vita religiosa. La sua dimensione contemplativa = Vita consacrata 9, Leumann (Torino) 1981. Germ.: Ordenskorrespondenz 22 (1981) 276-292. Lus.: LRC 45 (1981) 210-219. Neer.: AK 36 (1981) 981-994.*

COMM. - Ital.: G. CAPRILE, in: CC 132/I (1981) 72-76.

## INTRODUZIONE

3994 [33] La Plenaria della Sacra Congregazione per i Religiosi e gli Istituti secolari svoltasi dal 4 al 7 marzo 1980 ha considerato, sulla base di un'ampia documentazione, la dimensione contemplativa nella vita religiosa.

[...] La scelta di questo tema, approvata poi dal Santo Padre, coincide anche con un fenomeno di ripresa di tante forme di preghiera e di nuove forme di vita contemplativa, in atto nel popolo di Dio e in molte comunità religiose, e con la tendenza a voler superare la nociva dicotomia tra interiorità e attività nella vita personale e comunitaria dei Religiosi e delle Religiose, in reazione ad un certo periodo di svalutazione della preghiera e del raccogliemento, non del tutto ancora superato. [...]

## I. DESCRIZIONE DELLA DIMENSIONE CONTEMPLATIVA

3995 [34] 1. [...] Come atto unificante dello slancio dell'uomo verso Dio, la dimensione contemplativa si esprime nell'ascolto e nella meditazione della Parola di Dio; nella comunione della vita divina che ci viene trasmessa nei sacramenti e in modo speciale nell'Eucaristia; nella preghiera liturgica e personale; nel costante desiderio e ricerca di Dio e della sua volontà negli eventi e nelle persone; nella partecipazione cosciente alla sua missione salvifica; nel dono di sé agli altri per l'avvento del Regno. [...]



## II. ORIENTAMENTI PER GLI ISTITUTI DI VITA ATTIVA

### A) COMPENETRAZIONE MUTUA TRA AZIONE E CONTEMPLAZIONE

#### 5. La preghiera rinnovata

[36] La preghiera è il respiro indispensabile di ogni dimensione contemplativa: «in questi tempi di apostolato rinnovato, come sempre in qualsiasi impegno missionario, il posto di privilegio va dato alla contemplazione di Dio, alla meditazione del suo piano di salvezza e alla riflessione sui segni dei tempi alla luce del Vangelo, affinché la preghiera possa alimentarsi e crescere in qualità e frequenza» (MR 16).<sup>a</sup> 3996

[37] Così la preghiera, aperta alle realtà della creazione e della storia, diviene riconoscimento, adorazione e lode costante della presenza di Dio nel mondo e nella sua storia; eco di una vita solidale con i fratelli, soprattutto con i poveri e i sofferenti.

Ma tale preghiera, personale e comunitaria, viene evidenziata soltanto se il cuore del religioso e della religiosa raggiunge un grado elevato di vitalità e di intensità nel dialogo con Dio e nella comunione con Cristo, Redentore dell'uomo (cfr. PC 8; ET 10 e 42).<sup>b</sup>

Perciò, nel ritmo talora spossante degli impegni apostolici, la preghiera personale e comunitaria dovrà avere momenti quotidiani e settimanali ben curati e sufficientemente prolungati. Essi saranno completati da esperienze più forti di raccoglimento e di preghiera, ogni mese e durante il corso dell'anno (cfr. Sinodo dei Vescovi '71: AAS 63 [1971] 913-914).

### B) CURA RINNOVATA DELLA VITA NELLO SPIRITO SANTO

#### 8. La Parola di Dio

[38] L'ascolto e la meditazione della Parola di Dio sono il quotidiano incontro con «la sovremenente scienza di Gesù Cristo» (PC 6; ES II, 16 § 1).<sup>c</sup> 3997

Il Concilio «esorta con ardore e insistenza tutti i fedeli, soprattutto i religiosi, ad apprendere questa sublime scienza» (DV 25).

Ma tale impegno, personale e comunitario, per nutrire più abbondantemente la vita spirituale con un maggior tempo dedicato all'orazione mentale (cfr. ES II, 21), acquisterà efficacia e attualità, anche apostolica, se la Parola verrà accolta oltre che nella sua ricchezza obiettiva anche dentro la concretezza della storia che viviamo e alla luce del magistero della Chiesa.

#### 9. La centralità dell'Eucaristia

La celebrazione dell'Eucaristia e l'intensa partecipazione ad essa, quale 3998

<sup>a</sup> MR = *Mutuae relationes* (cf. nn. 3649-3669 huius voluminis).

<sup>b</sup> ET = *Evangelica testificatio* (cf. vol. I, nn. 2582-2590).

<sup>c</sup> ES = *Ecclesiae sanctae* (cf. vol. I, 669-674).

«fonte e apice di tutta la vita cristiana» (LG 11), formano il centro insostituibile e animatore della dimensione contemplativa di ogni comunità religiosa (cfr. PC 6; ET 47-48).

— I religiosi sacerdoti daranno, perciò, posto preminente alla celebrazione quotidiana del Sacrificio Eucaristico.

— Ogni religioso e religiosa vi prenderà parte attiva (cfr. SC 48) tutti i giorni, tenuto conto delle situazioni concrete in cui vivono e operano le loro comunità.

«Si raccomanda molto quella partecipazione più perfetta, per la quale i fedeli, dopo la Comunione del Sacerdote, ricevono il Corpo del Signore dal medesimo Sacrificio» (SC 55; cfr. ET 47; Sinodo dei Vescovi 1971).

«L'impegno di prendere parte quotidianamente (al Sacrificio [39] eucaristico) aiuterà i religiosi a rinnovare ogni giorno l'offerta di se stessi al Signore.

Riunite nel nome del Signore, le comunità religiose hanno come loro centro naturale l'Eucaristia. È normale, perciò, che esse siano visibilmente raccolte attorno ad un oratorio, nel quale la presenza del Santissimo Sacramento esprime e realizza ciò che deve essere la missione principale di ogni Famiglia religiosa» (cfr. ET 48) (*Messaggio del Papa alla Plenaria, n. 2*).<sup>2</sup>

#### 10. Celebrazione rinnovata del Sacramento della Penitenza

3999 Il Sacramento della Penitenza, che «restauro e rinvigorisce il dono fondamentale della metanoia ricevuto nel Battesimo» (Cost. *Paenitemini*: AAS 68 [1966] 180) riveste una funzione particolarmente intensa nella crescita della vita spirituale. Non c'è dimensione contemplativa senza coscienza personale e comunitaria di conversione.

Con il decreto dell'8 dicembre 1970, questa Sacra Congregazione lo richiamava attirando l'attenzione dei religiosi e, in particolare, dei superiori, sulle modalità necessarie per un'adeguata valorizzazione di questo Sacramento (cfr. AAS 63 [1971] 318-319).

I Padri della Plenaria richiamano nuovamente:

- una conveniente, regolare frequenza personale;
- la dimensione ecclesiale e fraterna che la celebrazione di questo sacramento mette maggiormente in rilievo quando viene attuata con rito comunitario (cfr. LG 11; Cost. *Paenitemini*, I, 1.c), rimanendo tuttavia la Confessione un atto sempre personale.

<sup>2</sup> Tornerà a vantaggio di tutti i religiosi e religiose, per una più profonda comprensione e valorizzazione del «mistero e culto della SS. Eucaristia», conoscere e meditare la Lettera inviata da Giovanni Paolo II a tutti Vescovi della Chiesa, per il Giovedì Santo 1980. Come pure, specialmente sotto il profilo formativo, sarà necessario tenere in seria considerazione l'Istruzione sulla formazione liturgica nei seminari, emanata dalla Sacra Congregazione per l'Educazione Cattolica il 3 giugno 1979, e la Lettera circolare del medesimo Sacro Dicastero, in data 6 gennaio 1980, «su alcuni aspetti della formazione spirituale nei seminari».

Cfr. anche l'Istruzione della Sacra Congregazione per i Sacramenti e il Culto Divino, «Inestimabile donum», su alcune norme circa il culto del Mistero eucaristico (3 aprile 1980).

## 12. Liturgia delle Ore

[40] «L'Ufficio divino, in quanto preghiera pubblica della Chiesa è fonte di pietà e nutrimento della preghiera personale» (SC 90). Esso «è ordinato a santificare tutto il corso della giornata» (SC 84). 4000

L'accoglienza con la quale le comunità religiose hanno già risposto alla esortazione della Chiesa perché anche i fedeli d'ogni stato si unissero nella celebrazione della Lode divina, mostra quanto abbiano compreso l'importanza di partecipare, così, più intimamente alla vita della Chiesa (ES II, 20).

Dalla cura e dalla fedeltà che tutti i religiosi vi dedicheranno, anche la dimensione contemplativa della loro vita troverà costanti motivi di ispirazione e di alimento.

A questo scopo potrebbe essere maggiormente valorizzata la ricchezza spirituale contenuta nell'Ufficio delle Letture.

## 13. La Vergine Maria

[...] [41] Ravvivando il culto verso di Lei, secondo l'insegnamento e la tradizione della Chiesa (LG 66-67; *Marialis Cultus* 2<sup>a</sup> e 3<sup>a</sup> parte), i religiosi e le religiose trovano il cammino sicuro che illumina e corrobora la dimensione contemplativa di tutta la loro vita. 4001

«La vita contemplativa dei religiosi sarebbe incompleta se non si orientasse verso un amore filiale nei confronti di Colei che è la Madre della Chiesa e delle anime consacrate. Tale amore per la Vergine si manifesterà con la celebrazione delle sue feste, e in particolare con le preghiere quotidiane in suo onore, soprattutto con il Rosario. È una tradizione secolare per i religiosi quella della recita giornaliera del Rosario e non è perciò inutile ricordare l'opportunità, la fragranza, l'efficacia di una tale preghiera, che propone alla nostra meditazione i misteri della vita del Signore» (*Messaggio del Papa alla Plenaria*, n. 2).

## 14. Indispensabilità dell'ascesi personale e comunitaria

Un'ascesi generosa è costantemente richiesta per la quotidiana «conversione al Vangelo» (cfr. *Cost. Paenitemini*, II-III, 1.c; *Mc.* 1, 15). Essa appare dunque indispensabile anche per la dimensione contemplativa di ogni vita religiosa. 4002

Per questo le comunità religiose devono presentarsi nella Chiesa quali comunità oranti e, insieme, penitenti (cfr. *ES* II, 22), ricordando l'orientamento conciliare che la penitenza «non sia soltanto interna e individuale, ma anche esterna e sociale» (SC 110). [...]

## C) ANIMAZIONE COMUNITARIA

### 15. La comunità religiosa

[42] [...] Proprio per questo i religiosi hanno bisogno di un «luogo di preghiera» all'interno delle loro stesse case, dove la quotidiana tensione verso l'incontro con Dio, fonte di comunione nella carità, trova costante motivo di richiamo e di sostegno. 4003

La presenza reale del Signore Gesù nell'Eucaristia, devotamente custodita e adorata, sarà per loro segno vivente di una comunione che si costruisce ogni giorno nella carità.

#### D) LA DIMENSIONE CONTEMPLATIVA NELLA FORMAZIONE

##### 19. Una solida formazione intellettuale

- 4004 [44] Una solida formazione intellettuale, che risponda alle finalità della vocazione e missione del proprio Istituto, è pure a base di una equilibrata e ricca vita di preghiera e di contemplazione [...]

##### 20. L'esigenza di adeguate qualità nei formatori

- 4005 L'esigenza di qualità adeguate risulta, quindi, evidente per coloro che assumono responsabilità di formazione:
- capacità umane d'intuito e di accoglienza;
  - esperienza sviluppata di Dio e della preghiera;
  - sapienza che deriva dall'attento e prolungato ascolto della Parola di Dio;
  - amore della Liturgia e comprensione del suo ruolo nella educazione spirituale ed ecclesiale;
  - competenza culturale necessaria;
- [45] — disponibilità di tempo e di buona volontà per dedicarsi alla cura personale, e non soltanto di gruppo, dei singoli candidati.

#### E) PROMOZIONE DELLA DIMENSIONE CONTEMPLATIVA NELLE CHIESE LOCALI

##### 21. Il Vescovo come «perfezionatore del suo gregge»

- 4006 Il ministero pastorale del Vescovo, primariamente rivolto alla santificazione della Chiesa a lui confidata, pone in evidenza la missione che gli compete «di perfezionare il (suo) gregge, studiandosi di far progredire sulla via della santità i sacerdoti, i religiosi e i laici, secondo la particolare vocazione di ciascuno» (CD 15; cfr. MR 7). Per questa ragione i Pastori delle Chiese locali si riterranno, soprattutto nella promozione della vita di preghiera e della dimensione contemplativa, sia «perfezionatori» dei fratelli (MR 7.28) secondo la vocazione di ciascuno, sia testimoni della propria personale santificazione (MR 9 d). [...]

##### 22. L'inserzione ecclesiale dei Religiosi

- 4007 [46] I Religiosi e le Religiose, da parte loro, devono testimoniare la loro effettiva e cordiale appartenenza «alla famiglia diocesana» (CD 34).
- E questo, non soltanto rendendosi disponibili, secondo il loro carisma, alle esigenze della Chiesa locale (CD 35; cfr. doc. MR passim), ma ancor più offrendo la loro esperienza spirituale ai sacerdoti diocesani e facilitando, per tutti i fedeli, incontri di preghiera. [...]

— Inoltre, la loro partecipazione alle iniziative di preghiera promosse dalla stessa Chiesa locale potrà contribuire a incrementare e arricchire la vita spirituale di tutta la comunità cristiana (cfr. MR 24, 25).

### III. ORIENTAMENTI PER GLI ISTITUTI SPECIFICAMENTE CONTEMPLATIVI

#### 25. Attualità della vita specificamente contemplativa

[47] Coloro che sono chiamati alla vita specificamente contemplativa, sono riconosciuti «uno dei tesori più preziosi della Chiesa». Essi, grazie ad uno speciale carisma, «hanno scelto la parte migliore (cfr. Lc. 10, 12), quella cioè della preghiera, del silenzio, della contemplazione, dell'amore esclusivo di Dio e della dedizione totale al suo servizio... La Chiesa conta moltissimo sul loro contributo spirituale» (*Messaggio del Papa alla Plenaria, n. 3*). [...]

4008

#### 26. Il «mistero apostolico» di tali Istituti

[48] La vita di questi Istituti, «maniera particolare di vivere e di esprimere il mistero pasquale di Cristo, che è una morte per la vita» (*Venite Seorsum, I*) è uno speciale mistero di grazia che esprime il volto più santo della Chiesa, «comunità orante» che col suo Sposo Gesù Cristo s'immola per amore, per la gloria del Padre e la salvezza del mondo.

4009

La loro vita contemplativa, perciò, è il loro primo e fondamentale apostolato, perché è il loro modo tipico e caratteristico, secondo uno speciale disegno di Dio, di essere Chiesa, di vivere nella Chiesa, di realizzare la comunione con la Chiesa, di compiere una missione nella Chiesa. È in tale prospettiva, nel pieno rispetto alla funzione apostolica primaria della stessa vita, in virtù della quale devono «soli Deo vacare» (PC 7), che, salve le leggi della clausura e le norme stabilite al riguardo, possono — nella fedeltà al proprio spirito e alle tradizioni di ciascuna famiglia — aprirsi ad esperienze di aiuto e di partecipazione per la preghiera e la vita spirituale nei riguardi di chi vive al di fuori (cfr. MR 25).

#### 27. Necessità di un'appropriata formazione

Si insiste sulla necessità di una formazione iniziale e permanente adeguata alla loro vocazione e vita di ricerca contemplativa di Dio «nella solitudine e nel silenzio, nella preghiera continua e nell'intensa penitenza» (PC 7), nell'impegno serio di fondare tale formazione su basi bibliche, patristiche, liturgiche, teologiche, spirituali e di preparare formatrici e formatori idonei a tale funzione. [...]

4010

#### 28. Stima e delicatezza nei rapporti

[49] [...] La «Plenaria» è pure del parere che i Vescovi cerchino di promuovere tra i sacerdoti (fin dalla preparazione del Seminario) (cfr. OT 19; MR 30 b) e tra i fedeli la conoscenza e la stima della vita speci-

4011

ticamente contemplativa. Questa non rende coloro che vi sono chiamati «stranieri all'umanità... Nella solitudine, nella quale attendono alla preghiera, i contemplativi non dimenticano mai i loro fratelli. Se si sono strappati dal loro frequente contatto non l'hanno fatto in vista di una comoda tranquillità personale, ma per partecipare più universalmente ai loro lavori, ai loro dolori, alle loro speranze» (*Venite Secorsum*, III).

## De Baptismo parvulorum

Die 20 octobris 1980 SCDF Instructionem de Baptismo parvulorum edidit.

ED. - Lat.: AAS 72 (1980) 1137-1156; N 17 (1981) 7-22. Angl.: *Instruction on Infant Baptism*, Washington 1980. Gall.: DC 77 (1980) 1107-1113. Germ.: VAS 24. Hisp.: Ph 21 (1981) 145-161; E 40 (1980) 1545-1549. Ital.: EV 7, 596-603; RD 26 (1981) 33-38; RL 68 (1981) 95-108; L 14 (1980) 621-634; *Il Battesimo dei bambini = Servizio dell'Unità* 30, Leumann (Torino) 1981. Lus.: LRC 44 (1980) 468-477; Neer.: AK 36 (1981) 719-731; *Analecta voor het bisdom Roermond* 61 (1980) n. 3, 27-42.

COMM. - Gall.: CL 63 (1981) n. 1, 82-84. Germ.: U. RUH, in: HK 35 (1981) 8-9. Hisp.: P. TENA, in: Ph 21 (1981) 137-143. Ital.: A CAPRIOLI, in: RL 68 (1981) 109-111; D. GRASSO, in: *Rivista del Clero italiano* 62 (1981) 138-145; G. CAPRILE, in: CC 132/I (1981) 68-72; *ibid.*, 105-115; AA.VV., in: RPL 19 (1981) 2-77; OR 22-XI-1980, 1-2.

## PROOEMIUM

[1137] 1. Pastoralis actio ad parvulorum baptismum spectans magnum adiumentum accepit a promulgatione Libri Ritualis qui apparatus est secundum normas directorias Concilii Oecumenici Vaticani II. <sup>1</sup> Non tamen penitus dispulsae sunt difficultates, quibus christiani parentes atque pastores afficiuntur ob illam rapidam societatis mutationem, quae fidei educationem atque perseverantiam iuvenum arduas reddit. 4012

2. Multi enim parentes animo anguntur cum filios fidem et sacramentorum susceptionem deserere vident, quamquam eis christianam educationem tradere conati sunt; nonnulli vero pastores ex se quaerunt, num severiores esse debeant, antequam parvulos ad baptismum admittant. Sunt qui optabilius existiment ut parvulorum baptismus differatur, donec compleatur plus minusve protractus catechumenatus; alii vero postulant ut doctrina de necessitate baptismi — saltem 4013

<sup>1</sup> *Ordo baptismi parvulorum*, ed. typica, Romae, 15 maii 1969.

quod ad parvulos attinet — iterum expendatur atque exoptant ut baptismi celebratio differatur ad eam aetatem, qua quis per se sponsonem facere possit, immo etiam ad ineuntem adultam aetatem.

Attamen haec nova instituta quaestio de tradita pastoralis disciplina sacramentali legitimum nimirum timorem in Ecclesia suscitatur, ne in discrimen adducatur doctrina tam capitalis momenti, qualis est doctrina de necessitate baptismi; multi autem parentes scandalizantur cum recusari vel differri cernant baptismum, quem ipsi, sui officii plene consci, pro suis infantibus petant.

- 4014 3. Quae cum ita sint, utque responsum detur multis ad se directis petitionibus, S. Congregatio pro Doctrina Fidei, consultis nonnullis Episcoporum Conferentiis hanc Instructionem praeparavit. Per eam sibi proponit in mentem revocare primaria de hac re doctrinae capita, quibus tam firma per saecula Ecclesiae praxis legitima probetur atque non obstantibus hodie exortis difficultatibus, eius perpetua vis ostendatur. Indicabit denique nonnulla summa lineamenta actionis pastoralis.

PARS PRIMA  
DE BAPTISMO PARVULORUM DOCTRINA  
A TRADITIONE ACCEPTA

*Baptizandi parvulos usus immemorabilis*

- 4015 [1139] 4. Tam in Oriente quam in Occidente, parvulos baptizandi usus pro immemorabilis traditionis norma habetur. Quem quidem usum Origenes ac deinde sanctus Augustinus tamquam «ab Apostolis traditionem» susceptam<sup>2</sup> censebant. Cum vero saeculo secundo produnt prima aperta testimonia, nullum eorum exhibet baptismum parvulorum tamquam aliquid novi. Sanctus Irenaeus praeter ceteros obvium solitumque putat «infantes et parvulos» inter baptizatos recenseri una cum pueris et iuvenibus et senioribus.<sup>3</sup> Rituale omnium antiquissimum, quod ineunte saeculo tertio Traditionem apostolicam describit, hanc praescriptionem habet: «Baptizate primum parvulos: omnes autem qui possunt loqui pro se, loquantur; qui autem non possunt loqui pro se, parentes eorum loquantur pro eis, vel aliquis ex eorum genere».<sup>4</sup> Sanctus vero Cyprianus, Synodum agens cum Africanis episcopis, asseverat «nulli homini nato misericordiam Dei et gratiam de-

<sup>2</sup> Origenes, *In Romanos* lib. 5, 9: PG 14, 1047; - cf. S. Augustinus, *De Genesi ad litteram* 10, 23, 39: PL 34, 426; *De peccatorum meritis et remissione et de baptismo parvulorum ad Marcellinum* 1, 26, 39: PL 44, 131. Revera, iam tribus in locis Actuum Apostolorum legitur baptizatam esse «domus eius» (16, 15), «omnis domus eius» (16, 33), «cum omni domo sua» (18, 8).

<sup>3</sup> *Adv. Haereses* 2, 22, 4: PG 7, 784; Harvey 1, 330. - In multis inscriptionibus nonnulli parvuli, iam a saeculo II, appellantur «Dei filius», qui titulus solis baptizatis concedebatur, vel de eorum baptismo aperta legitur mentio; cf. exempli gratia, *Corpus inscriptionum graecarum* III, nn. 9727, 9801, 9817; E. Diehl, *Inscriptiones Latinae Christianae Veteres*, Berlin 1961, nn. 1523 (3), 4429 A.

<sup>4</sup> Retroversio latina ex ed. B. Botte, *La Tradition apostolique de saint Hippolyte*, Münster 1963 (LQF 39), 44.



negandam», ideoque eadem Synodus commonefaciens «pares atque aequales» esse «omnes homines» quaecumque est eorum mensura vel aetas, [1140] legitimum decrevit «intra secundum vel tertium diem quo nati sint constitutos baptizari». <sup>5</sup>

5. Aliquem sane regressum, decursu quarti saeculi, praxis parvulos baptizandi passa est. Illa enim aetate, cum ipsi adulti suam christianam initiationem prolatarent, futuras praemetuentes culpas publicamque reformidantes paenitentiam, multi parentes iisdem rationibus moti suorum liberorum baptismum remorabantur. At simul compertum est fuisse Patres ac Doctores, ut Basilium, Gregorium Nyssenum, Ambrosium, Ioannem Chrysostomum, Hieronymum, Augustinum qui, quamvis adulta tantum aetate ob easdem rationes baptizati essent, strenue tamen adversus huiusmodi negligentiam repugnarent, adultos obsecrantes ne baptismi, utpote ad salutem necessarii, celebrationem differrent; <sup>6</sup> plures ex eis infantium etiam baptismum urgebant. <sup>7</sup> 4016

#### *Magisterii doctrina*

6. Saepe pariter Romani Pontifices et Concilia intervenerunt, ut christianorum mentibus inculcarent officium procurandi filiis baptismum. Exeunte enim saeculo quarto, Pelagianorum placitis opponitur mos antiquus tam parvulos quam adultos baptizandi «in remissionem peccatorum». Qui mos — ut Ori[1141]genes et sanctus Cyprianus iam animadverterant ante sanctum Augustinum <sup>8</sup> — confirmabat fidem Ecclesiae in originale peccatum et sic consequenter necessitas baptizandi parvulos clarius eluxit. Hoc sensu ducti intervenerunt Romani Pontifices Siricius <sup>9</sup> et Innocentius I; <sup>10</sup> deinde a Concilio Carthagi- 4017

<sup>5</sup> Epist. 59, Cyprianus et ceteri collegae qui in Concilio adfuerunt numero LXVI Fido fracti: PL 3, 1013-1019; CSEL 3, 717-721. Apud Ecclesiam Africae, haec praxis peculiari modo firma erat, non obstante opinione Tertulliani, qui consilium dabat differendi baptismum parvulorum ob innocentiam eorum aetatis et ob timorem defectionum quae forte in iuventute accidere possent. Cf. *De baptismo*, XVIII, 3-XIX, 1: PL 1, 1220-1222; *De anima*, 39-41: PL 2, 719 ss.

<sup>6</sup> Cf. S. Basilius, *Homilia XIII exhortatoria ad sanctum baptisma*: PG 31, 424-436; S. Gregorius Nyssenus, *Adversus eos qui differunt baptismum oratio*: PG 46, 424; S. Augustinus, *In Ioannem Tractatus* 13, 7: PL 35, 1496; CCL 36, 134.

<sup>7</sup> Cf. S. Ambrosius, *De Abraham* II, 11, 81-84: PL 14, 495-497; CSEL 32, 1, 632-635; S. Ioannes Chrysostomus, *Catechesis* III, 5, 6: SCh 50, 153-154; S. Hieronymus, *Epist.* 107, 6: PL 22, 873; ed. Labourt (coll. Budé), t. 5, 151-152. Attamen Gregorius Nazianzenus, quamvis matres impellat ut earum filii baptizentur aetate tenerrima, satis habet statuere aetatem trium annorum. Cf. *Oratio XI. in sanctum baptisma*, 17 et 28: PG 36, 380 et 399.

<sup>8</sup> Origenes, *In Leviticum hom.* 8, 3: PG 12, 496; *In Lucam hom.* 14, 5: PG 13, 1835; S. Cyprianus, *Epist.* 59, 5: PL 3, 1018 B; CSEL 3, 720; S. Augustinus, *De peccatorum meritis et remissione et de baptismo parvulorum* 1, 17-19, 22-24: PL 44, 121-122; *De gratia Christi et de peccato originali* lib. 1, 32, 35: *ibid.*, 377; *De praedestinatione sanctorum* 13, 25: *ibid.*, 978; *Opus imperfectum contra Iulianum*, lib. 5, 9: *ibid.*, 1439.

<sup>9</sup> *Epist. «Directa ad decessorem» ad Himerium episc. Tarraconensem*, 10 febr. 385, n. 2: DS 184.

<sup>10</sup> *Epist. «Inter ceteras Ecclesiae Romanae» ad Silvanum et ceteros Synodi Milevitanae Patres*, 27 ian. 417, §5: DS 219.

niensi anno 418 damnatur «quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat», atque haec docentur: «propter ... regulam fidei» quam tenet Ecclesia de peccato originali, «etiam parvuli, qui nihil peccatorum in seipsis adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt». <sup>11</sup>

- 4018 7. Haec doctrina constanter inculcata et vindicata est decursu Medii Aevi. Viennense praesertim Concilium, anno 1312, clara in luce posuit «tam parvulis quam adultis conferri in baptismo informantem gratiam et virtutes» et non solum culpam remitti. <sup>12</sup> Florentinum vero Concilium, anno 1442, eos reprehendit qui hoc sacramentum differendum contendunt, admonetque infantibus «quamprimum commode fieri potest, debere conferri» baptisma «per quod eripiuntur a diaboli dominatu et in Dei filios adoptantur». <sup>13</sup>

Tridentinum autem Concilium damnationem a Carthaginiensi Concilio latam iterat, <sup>14</sup> atque argumentum sumens ex [1142] verbis a Iesu Nicodemo dictis, declarat neminem «post Evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis aut eius voto» iustificari posse. <sup>15</sup> Inter errores, qui a Concilio anathemate plectuntur, notatur opinio Anabaptistarum asseverantium «praestare omitti eorum (parvulorum) baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiae». <sup>16</sup>

- 4019 8. Varia Concilia regionalia et Synodi, quae post Tridentinum Concilium celebrata sunt, pari firmitate docuerunt necessitatem parvulos baptizandi. Etiam Paulus VI perantiquam de hac re doctrinam sollemniter revocavit, declarans «baptismum etiam parvulis esse conferendum, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerint, ita ut gratia supernaturali in ortu privati, renascantur ex aqua et Spiritu Sancto ad vitam divinam in Christo Iesu». <sup>17</sup>

- 4020 9. Documenta Magisterii quae supra relata sunt ad repellendos errores praecipue spectabant; longe tamen abest ut divitias exhaustiant doctrinae de baptismo, qualis exponitur in Novo Testamento, in SS. Patrum catechesibus et in Ecclesiae doctorum institutione: baptismus enim praevientem amorem Patris manifestat, Filii paschalis mysterii participes facit homines, novam in Spiritu vitam cum ipsis communicat, eosdem in Dei hereditatem introducit, atque Corpori Christi aggregat, quod est Ecclesia.

- 4021 10. Quae cum ita se habeant, verba quibus Christus in Evangelio secundum Iohannem nos admonet: «Nisi quis natus fuerit ex aqua et Spi-

<sup>11</sup> Can. 2, Mansi 3, 811-814 et 4, 327 AB: DS 223.

<sup>12</sup> Viennense Concilium, Mansi 25, 411 CD: DS 903-904.

<sup>13</sup> Florentinum Concilium, sess. 11: DS 1349.

<sup>14</sup> Sess. 5, can. 4: DS 1514. Cf. Carthaginiense Concilium anno 418, v. supra, 11.

<sup>15</sup> Sess. 6, cap. 6: DS 1524.

<sup>16</sup> Sess. 7, can. 13: DS 1626.

<sup>17</sup> Sollemnis professio fidei, n. 18: AAS 60 (1968) 440.

ritu, non potest introire in regnum Dei», <sup>18</sup> accipienda sunt tamquam universalis et infiniti amoris invitatio; verba sunt Patris qui filios universos vocat eisque maximum [1143] bonum exoptat. Qua irrevocabili vocatione instanter premente, homo nequit se indifferentem habere vel neutrius partis esse. Quia non nisi eam accipiendo destinatum sibi finem adipisci valet.

#### *Ecclesiae missio*

11. Ecclesia officium habet illi missioni respondendi quam Christus post resurrectionem suam Apostolis concredidit, quaeque modo peculiariter sollemni in Evangelio secundum Matthaeum refertur: «Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra; euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti». <sup>19</sup> Fidei transmissio atque baptismi administratio, quae ex hoc Christi mandato arcte inter se colligantur, necessariae partes habendae sunt Ecclesiae missionis, quae universalis est nec umquam poterit desinere esse talis. 4022

12. Quam quidem missionem Ecclesia iam inde a primaeva aetate ita intellexit, et quidem non solum quoad adultos. Verba enim quae Iesus Nicodemo dixerat, Ecclesia semper ita intellexit scilicet «parvulos baptismate non esse privandos». <sup>20</sup> Haec verba revera habebant formam adeo universalem atque absolutam ut a Patribus apta retinerentur ad necessitatem baptismi statuendam et a Magisterio expresse ad parvulos applicarentur: <sup>21</sup> pro eis quoque hoc sacramentum habendum est introitus in populum Dei <sup>22</sup> et propriae salutis ianua. 4023

13. Sua itaque docendi et agendi ratione Ecclesia ostendit se nullam aliam novisse viam, praeter baptismum, ad certo [1144] procurandum parvulis ingressum in aeternam beatitudinem; quapropter ipsa cavet ne acceptam a Domino missionem neglegat praebendi omnibus qui baptizari possunt regenerationem «ex aqua et Spiritu Sancto». Quod autem attinet ad illos infantes qui decesserunt sine baptismate, Ecclesia nihil aliud agere potest nisi eos misericordiae Dei committere, ut reapse facit in ritu funerum pro iis condito. <sup>23</sup> 4024

14. Quod infantes fidem suam nondum per se profiteri queunt, minime impedit quominus Ecclesia eis hoc sacramentum conferat, cum revera in sua ipsius fide eos baptizet. Istud doctrinae caput iam a sancto 4025

<sup>18</sup> Io. 3, 5.

<sup>19</sup> Mt. 28, 19; Mc. 16, 15-16

<sup>20</sup> *Ordo baptismi parvulorum*, Praenotanda, n. 2, 15.

<sup>21</sup> Cf. *supra*, n. 8, laudatos Patrum locos, nn. 9-13, Conciliorum. Addi potest Professio fidei patriarchae Dosithaei Hierosolymitani (an. 1672), Mansi 34, 1746.

<sup>22</sup> «Nihil agitur aliud, cum parvuli baptizantur, nisi ut incorporentur Ecclesiae, id est, Christi corpori membrisque socientur», scribit S. Augustinus (*De peccatorum meritis et remissione et de baptismo parvulorum*, lib. 3, c. 4, n. 7: PL. 44, 189; - cf. lib. 1, c. 26, n. 38: *ibid.*, 131).

<sup>23</sup> *Ordo exsequiarum*, ed. typica, Romae, 15 augusti 1969, nn. 82, 231-237.

Augustino clare definitum est; scribebat enim: «Offeruntur quippe parvuli ad percipiendam spiritualem gratiam, non tam ab eis quorum gestantur manibus (quamvis et ab ipsis, si et ipsi boni fideles sunt), quam ab universa societate sanctorum atque fidelium ... Tota hoc ergo mater Ecclesia, quae in sanctis est, facit, quia tota omnes, tota singulos parit». <sup>24</sup> Quam doctrinam sanctus Thomas Aquinas ac post illum omnes theologi resumunt: infans qui baptizatur non per se ipsum seu per proprium actum sed per alios credit, «per fidem Ecclesiae quae ei communicatur». <sup>25</sup> Eadem doctrina proponitur etiam in instaurato baptismi Rituali, cum celebrans parentes et patrinum ac matrinam rogat ut fidem Ecclesiae profiteantur in qua parvuli baptizantur. <sup>26</sup>

- 4026 15. Quamvis vero conscia sit Ecclesia de efficacitate suae fidei, quae in baptismo infantium operatur, necnon de validitate sacramenti quod eis confert, quosdam tamen in sua praxi limites agnoscit, cum infantem, extra periculum mortis, non admittat ad sacramentum nisi de parentum consensu et seria [1145] cautione accepta ut baptizato institutio catholica tradatur: <sup>27</sup> ipsi enim cura est sive de naturalibus parentum iuribus, sive de exigentiis fidei progressus in parvulo.

#### PARS SECUNDA

#### RESPONSA AD DIFFICULTATES HOC TEMPORE EXORTAS

- 4027 16. Ratione habita doctrinae supra memoratae, iudicandae sunt nonnullae opiniones quae hoc tempore de parvulorum baptismo proferuntur, quibus legitimitas huius usus qua regulae generalis in controversiam adducitur.

#### *Baptismi cum actu fidei connexio*

- 4028 17. Nonnulli, cum animadvertant in scriptis Novi Testamenti baptismum praedicationem Evangelii consequi, praeviam animi conversionem exigere atque cum fidei professione coniungi, ac praeterea gratiae effectus (videlicet remissionem peccatorum, iustificationem, regenerationem, vitae divinae participationem) plerumque e fide potiusquam e sacramento pendere, <sup>28</sup> proponunt ut hic ordo: praedicatio, fides, sacramentum, vim normae accipiat atque, extra mortis periculum, ad parvulos extendatur et pro eis obligatorius instituaturs catechumenatus.
- 4029 18. Sine dubio Apostolorum praedicatio ordinarie ad adultos dirigebatur atque primi baptizati fuerunt homines ad christianam fidem con-

<sup>24</sup> Epist. 98, 5: PL 33, 362; CSEL 34, 526; cf. Sermo 176, c. 2, n. 2: PL 38, 950.

<sup>25</sup> Summa theologica, III<sup>a</sup> pars, q. 68, a. 6, ad 3; cf. q. 68, a. 9, ad 3.

<sup>26</sup> Ordo baptismi parvulorum, Praenotanda, n. 2; cf. n. 56.

<sup>27</sup> Diuturna enim exstat traditio, ad cuius auctoritatem appellarunt S. Thomas Aquinas, II<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 10, a. 11 corp. et Benedictus XIV (Instr. Postremo mense data 28 febr. 1747, nn. 4-5: DS 2552-2553) iuxta quam haud baptizandus est infans e parentibus infidelibus vel hebraeis ortus, extra mortis periculum (CIC., can. 750. § 2), invitis iisdem parentibus; id est nisi ipsi hoc petierint et cautiones praebuerint.

<sup>28</sup> Cf. Mt. 28, 19; Mc. 16, 16; Act. 2, 37-41; 8, 35-38; Rom. 3, 22, 26; Gal. 3, 26.

versi. Cum autem haec facta referantur in libris Novi Testamenti id opinionem ingerere potest illic non nisi in fidem adultorum considerationem intendi. At consue[1146]tudo parvulos baptizandi ut supra memoratum est innititur in traditione immemorabili quae ex Apostolis originem ducit, cuiusque momentum recusari nequit; praeterea nunquam confertur baptismus sine fide, quae pro parvulis est fides Ecclesiae.

Insuper, iuxta doctrinam Concilii Tridentini de sacramentis, baptismus non est mere signum fidei, sed etiam eius causa. <sup>29</sup> In baptizatis operatur «internam illuminationem», ideoque recte liturgia byzantina illud nuncupat «sacramentum illuminationis» vel simpliciter «illuminationem», videlicet fidem receptam, quae animos invadit ut caecitatis velamen coram Christi splendore tollatur. <sup>30</sup>

#### *Baptismi convenientia cum gratia personaliter suscipienda*

19. Affirmatur praeterea quamlibet gratiam, utpote quae alicui personae destinatur, ab eo, qui eandem recipit, conscio modo accipi atque fieri propriam debere; cui rei efficiendae infans prorsus impar est. 4030

20. At infans est revera persona, multo antea quam id significare valeat per actus conscientiae et libertatis; et qua talis, ipse iam fieri potest per sacramentum baptismi filius Dei et coheres Christi. Postea, ubi primum conscientiae et libertatis exercitium haberi poterit, tunc his facultatibus praesto erunt vires quae per gratiam baptismi animo inditae fuerunt. 4031

#### *Baptismi convenientia cum parvuli libertate*

21. Obicitur praeterea parvulorum baptismum ipsorum libertati officere. Etenim contra personae dignitatem est ut iisdem imponantur religiosae obligationes in futurum tempus servandae, quas ipsi fortasse repudiaturi sunt. Melius igitur [1147] est si ea tantum aetate sacramentum conferatur, qua ipsi liberare sponsionis capaces facti erunt. Interea parentes atque educatores se caute gerere et a quavis sollicitatione abstinere debent. 4032

22. At huiusmodi agendi ratio prorsus fallax censenda est: nulla libertas humana tam pura existit, ut a quovis influxu immunis esse possit. Si ipse rerum naturalium ordo consideretur, animadvertimus parentes pro filiis optiones facere circa ea quae ipsorum vitae necessaria sunt et ad veros valores eosdem dirigunt. Agendi ratio familiae quae se profiteatur neutrius esse partis circa religiosam pueri vitam, fit reapse damnosa optio, quippe quae essentiali quodam bono eum privet. Praesertim, qui contendunt per sacramentum baptismi vim inferri parvuli libertati, ii non animadvertunt omnes homines, etiam non baptizatos, qua creaturas adstringi erga Deum officiis quae praetermitti non possunt, quaeque baptismus confirmat et in filiali adoptione effert. Pa-

<sup>29</sup> Concilium Tridentinum, sess. 7, *Decr. de sacramentis*, can. 6: DS 1606.

<sup>30</sup> Cf. 2 Cor. 3, 15-16.

riter non animadvertunt in Novo Testamento ingressum in christianam vitam nobis exhiberi non veluti quandam formam servitutis vel coercionis, sed tamquam aditum ad veram libertatem. <sup>31</sup>

Accidere quidem poterit, ut puer, cum adoleverit, obligationes a baptismo suo manantes respuat. Attamen eius parentes, quamvis hac de causa dolore affici possint, nihil certe habebunt quod eos paeniteat, si, ut ipsorum ius et officium erat, baptismum et christianam educationem filio procuraverint. <sup>32</sup> Nam, secus ac res se habere videantur, fidei germina in eius animo condita fortasse aliquando reviviscent, parentibus etiam adiuvantibus patientia et amore, oratione et genuino fidei testimonio.

#### *Baptismus in societatis adiunctis consideratus*

4034 [1148] 23. Sunt praeterea qui, ad illum nexum advertentes quo persona coniungitur cum societate, existiment expedire quidem ut infantes baptizentur in societate quae formam homogeneam exhibeat, in qua scilicet valores, iudicia et mores quoddam efficiant cohaerens systema; esse tamen haud opportunum in hodiernis societatibus quae pluralisticae dicuntur, quae scilicet instabili valorum aestimatione et opinionum conflictatione distinguuntur. Quibus in adiunctis, dicunt expedire ut differatur baptismus, donec satis maturuerit candidati personalitas.

4035 24. Sine dubio Ecclesia non ignorat sibi debitam rationem habendam esse realitatis socialis. Homogeneitatis tamen et pluralismi criteria vim tantum indicativam habent, neque accipienda sunt pro normativis principiis, cum imparia sint ad solvendam quaestionem proprie religiosam, quae suapte natura ad Ecclesiam et ad christianam familiam pertinet.

Criterion enim «homogeneae societatis» permittit quidem legitimum haberi parvulorum baptismum, si societas est christiana; idem tamen criterium conducere potest etiam ad hanc legitimitatem negandam, cum christianae familiae numero pauciores sunt, quia in societate maiore ex parte adhuc pagana degunt vel in republica quae atheismum militantem propugnat; quod quidem, ut patet, minime admitti potest. Criterium vero «pluralisticae societatis» haud plus valet quam criterium supra memoratum, quia in huiusmodi societate familia et Ecclesia libertate agendi fruuntur, ac proinde christianam institutionem procurare possunt.

Ceterum, qui historiam perpendat, probe noverit quantopere cohibita esset missionalis Ecclesiae dilatatio primis saeculis, si tunc temporis criteria ista «sociologica» observata essent. Accedit quod nostro tempore nimium saepe appellatio fit ad «pluralismum», ut inopinato sane modo imponantur fidelibus agendi rationes, quae reapse eos in suo libertatis christianae iure impediunt.

<sup>31</sup> Io. 8, 36; Rom. 6, 17-22; 8, 21; Gal. 4, 31; 5, 1, 13; 1 Petr. 2, 16, etc.

<sup>32</sup> Hoc officium et ius, explanatum a Concilio Vaticano II in sua Declar. *Dignitatis humanae*, n. 5, inter nationes agnoscitur: *Universa Declaratio hominis iurium*, art. 26, n. 3.

[1149] In societate igitur, cuius mentis habitus, mores ac leges, iam non amplius ab Evangelio normas sumunt, maxime interest ut in perpendendis quaestionibus, quae a baptismo parvulorum oriuntur, in primis ratio habeatur naturae et missionis propriae Ecclesiae. Populus Dei, etsi societati humanae admisceatur atque ex diversis gentibus diversisque culturis constet, nihilominus suam habet «identitatem», quae fidei et sacramentorum unitate distinguitur. Eodem spiritu eademque spe animatus, ipse quandam efficit organicam compaginem, quae apud varios hominum coetus apta est ad gignendas structuras sibi ad crescendo necessarias. Pastoralis Ecclesiae actio circa sacramenta, peculiarique modo circa parvulorum baptisma, aptanda est huic rerum statui, minime vero e criteriis, quae unice e scientiis humanis hauriuntur, pendere debet.

*Infantium baptismus in pastoralis actione circa sacramenta*

25. Alia denique additur obiectio contra infantes baptizandi morem, quasi procedat e pastoralis ratione, quae missionali afflatu careat, cuique maiori curae sit sacramentum ministrare quam fidem excitare et Evangelii actuositatem promovere. Quem morem retinendo, Ecclesiam cedere dicunt tentationi ad numerum respiciendi et socialem statum stabiliendi; incitare ad magicum quemdam sacramentorum conceptum servandum, cum contra eius munus sit ad activitatem missionalem attendere, christianorum fidem adducere ad maturitatem, eorum promovere liberam et consciam sponsonem ideoque quosdam itineris gradus in sua pastoralis ratione circa sacramenta admittere. 4036

26. Profecto Ecclesiae apostolatus eo tendere debet, ut vivida fides suscitetur atque genuina christiana vita foveatur; at ea quae ratio pastoralis erga adultos requirit in sacramentorum administratione, nequeunt parvulis simpliciter applicari, qui, ut supra memoratum est, «in fide Ecclesiae» baptizantur. Praeterea haud parvi pendenda est sacramenti necessitas, quae [1150] totum suum momentum et vim urgentem servat, praecipue cum parvulo procurandum sit infinitum vitae aeternae bonum. 4037

Quod autem attinet ad sollicitudinem respiciendi numerum, id, si recte intellegatur, tantum abest ut habeatur pro Ecclesia tentatio vel malum, ut sit revera eius officium et bonum. Ecclesia, enim, quae a sancto Paulo ut Christi «corpus» et «plenitudo» definitur,<sup>33</sup> visibile est in mundo Christi sacramentum; eius missio est ad omnes homines extendere sacramentale vinculum, quo Domino suo glorificato coniungitur. Ideoque non potest facere quin optet ut primum et fundamentale sacramentum, hoc est baptismus, omnibus, parvulis aequae ac adultis, conferatur.

Si ita intellegatur, praxis administrandi baptismum parvulis vere evangelica est, quippe quae vim testimonii prae se ferat; patefacit enim nos a Deo praeveniri, eiusque gratuito amore vitam nostram circumfundi:

<sup>33</sup> Eph. 1, 23.

«non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse dilexit nos ... Nos diligimus, quia Ipse prior dilexit nos». <sup>34</sup> Quae autem etiam ab adultis ab baptismum suscipiendum postulantur, <sup>35</sup> obliterari non sinunt id quod scriptum est: «Non ex operibus iustitiae quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti». <sup>36</sup>

#### PARS TERTIA

#### NONNULLAE PASTORALES NORMAE DIRECTORIAE

- 4038 27. Etsi impossibile est quasdam hodiernas admittere sententias, quales eae sunt quae contendunt prorsus esse tollendum usum parvulos baptizandi, vel arbitrio relinquendum, certis de causis, utrum baptismus statim conferatur an prola[1151]tetur, non potest tamen negari necessitas pastoralis laboris profundioris atque aliqua ex parte renovati cuius principia et summa lineamenta nunc expedit indicare.

#### *Principia huius pastoralis navitatis*

- 4039 28. Magni interest in primis in memoriam revocare baptismum parvulorum habendum esse grave officium; quaestiones quae de eo pastoribus ponuntur, non aliter solvendae sunt nisi fideliter attendendo ad doctrinam et perpetuam praxim Ecclesiae.

Actio pastoralis circa parvulorum baptismum concrete regenda est duobus principiis, quorum alterum priori subicitur.

1) Baptismus, ad salutem necessarius, signum est et instrumentum praeventis amoris Dei, qui ab originali peccato liberat, atque vitae divinae consortium communicat: ex se, horum bonorum donum pro parvulis differendum non est.

2) Cautiones praestandae sunt, ut hoc donum per genuinam fidei et vitae christianae educationem ita crescere possit, ut sacramentum totam suam «veritatem» attingat. <sup>37</sup> Istaes cautiones regulariter praestantur a parentibus vel propinquis, etsi suppleri possunt variis modis in christiana communitate. Si tamen istae cautiones revera seriae non sunt, id causa esse poterit cur sacramentum differatur; si denique certo nullae sunt, sacramentum denegandum est.

#### *Dialogus pastorum cum familiis fidem habentibus*

- 4040 29. Ratione habita horum duorum principiorum, realis singulorum casuum condicio expendenda erit per colloquium pastorale inter sacerdotem et familiam. Quoad modum instituendi colloquium cum christianis parentibus qui religiosa officia assidue observant, normae traditionis sunt in Praenotandis Ritualis Romani, quorum hic duas res significantiores memorare satis sit.

<sup>34</sup> Ho. 4, 10, 19.

<sup>35</sup> Cf. Concilium Tridentinum, sess. VI, *De iustificatione*, cap. 5-6, can. 4 et 9: DS 1525-1526, 1554, 1559.

<sup>36</sup> Tit. 3, 5.

<sup>37</sup> Cf. *Ordo baptismi parvulorum*, Praenotanda, n. 3, 15.



[1152] Imprimis, magnum momentum tribuendum est praesentiae atque activae parentum participationi in celebratione; ipsi iam priores agunt partes, respectu habito patrinorum et matrinarum, quorum praesentia tamen etiam requiritur, cum eorum auxiliatrix opera in educatione pretiosa sit atque interdum necessaria.

Deinde, magnum momentum tribuendum est baptismi praeparationi. Parentes debent de eo sollicitudinem habere, pastores suos de expectato partu certiores facere, suum animum spiritualiter praeparare. Pastores autem familias visitabunt, immo plures simul adunabunt eisque catechesim atque opportuna monita praebebunt; ad orandum denique eas incitabunt pro filiis, quos mox accepturae sint.<sup>38</sup>

Quod autem attinet ad tempus baptismi celebrandi, standum erit hic Ritualis monitis: «Ratio habeatur in primis salutis parvuli, ne hic beneficio sacramenti privetur; deinde valetudinis matris, ut, quantum fieri possit, et ipsa adesse possit; demum, dummodo hoc praestantiori bono infantis non obsit, necessitatis pastoralis, id est temporis sufficientis ad praeparandos parentes et ad ipsam celebrationem congrue ordinandam, ut indoles ritus apte manifestetur». Itaque baptismus celebrabitur, «si parvulus in periculo mortis versatur, sine mora», secus regulariter, «infra priores hebdomadas post nativitatem parvuli». <sup>39</sup>

*Dialogus pastorum cum familiis parum credentibus vel non christianis*

30. Fieri potest ut pastores adeantur a parentibus modicae fidei atque religionem per occasionem tantum observantibus, vel etiam a parentibus non christianis, qui ex rationibus consideratione dignis baptismum pro filio petunt.

4041

[1153] Quo in casu, colloquio perspicaci necnon benevolentiae pleno pastores conabuntur eorum studium suscitare in sacramentum quod petunt atque eos monere de obligatione quam contrahunt.

Ecclesia enim huiusmodi parentum desiderio satisfacere non potest, nisi data ab eis cautione, baptizatum parvulum postea institutione christiana donatum iri, quam sacramentum requirit, itemque spem fundatam habere debet baptismum fructus suos esse daturum.<sup>40</sup>

Si sufficientes sunt cautiones allatae — cuiusmodi sunt electio patrinorum seu matrinarum, qui sincero animo curam suscipiant parvuli, vel auxilium fidelium communitatis, — tunc sacerdos non poterit recusare quominus baptismum sine mora celebret, eodem modo quo ipse se gerit erga christianarum familiarum filios. Si contra cautiones insufficientes erunt, baptismus prudenter differatur; pastores tamen cum parentibus commercium servare debent, ita ut si fieri potest, condiciones ab ipsis ponendae obtineantur, quae necessariae sunt ad sacramentum celebrandum. Denique, si ne id quidem fieri poterit, proponi potest tamquam extrema ratio adscriptio parvuli alicui catechumenatui, tempore scholarum frequentando.

<sup>38</sup> Cf. *ibid.*, n. 8, § 2, 17; n. 5, §§ 1 et 5, 16.

<sup>39</sup> *Ibid.*, n. 8, § 1, 17.

<sup>40</sup> Cf. *ibid.*, n. 3, 15.

4042 31. Hae normae, quae iam latae sunt et vigent, <sup>41</sup> adhuc nonnullis explanationibus indigent.

Imprimis manifestum est huiusmodi baptismi denegationem nullo modo habendam esse formam quandam coercionis. Ceterum nec de denegatione hic agitur, nec multo minus de personarum acceptione, sed de paedagogica dilatione, quae eo spectat, ut familia pro sua conditione vel in fide progrediatur vel magis conscia fiat suarum obligationum.

[1154] Quod ad cautiones attinet, sufficiens existimanda est ea promissio, ex qua spes fundata habeatur pueros in christiana religione institutum iri.

Inscriptio, quae forte fiat, ut in futurum catechumenatus frequentetur, nullo ritu ad id condito celebrari debet, qui facile sacramenti ipsius instar aestimari possit. Manifestum etiam esto, huiusmodi inscriptionem non esse revera ingressum in catechumenatum, neque parvulos, qui sic inscribantur, pro catechumenis habendos esse cum omnibus huic statui adnexis praerogativis. Posteriore tempore praesentandi erunt ad aptum aetati suae catechumenatum. Ad rem quod attinet, expresse declarandum est, si in *Ordine initiationis christianae adultorum* exstet *Ordo initiationis puerorum qui aetatem catechetica adepti sunt*, <sup>42</sup> hoc nullatenus significare Ecclesiam malle aut considerare tamquam ordinariam baptismi dilationem ad illam aetatem.

Denique, in iis regionibus ubi parum credentes vel non christianae familiae constituunt maiorem incolarum partem, adeo ut ibidem iure conferentiae Episcopales introduxerint communem normam pastorem de servando temporis intervallo longiore quam in lege generali ante baptismi celebrationem, <sup>43</sup> christianae familiae ibi degentes integrum suum ius retinent citius suos filios baptizandi. His ergo sacramentum conferendum est, uti Ecclesia exoptat et istarum familiarum fides atque animi magnitudo merentur.

*Munus familiae necnon communitatis paroecialis*

4043 32. Pastoralis opera, quae parvulorum baptismi occasione peragitur, inserenda est in latiore navitate quae extendatur ad familias necnon ad totam christianam communitatem.

[1155] Quam ad rem magni momenti est impensior pastoralis actio, quae dirigatur ad sponso qui matrimonii praeparandi causa conveniunt, ac deinde ad coniuges recenter matrimonio iunctos. Pro adiunctis, tota sollicitanda erit ecclesialis communitas, ac praecipue educatores, christiani coniuges, consociationes actionis familiaris, religiosae

<sup>41</sup> Edictae primum per Litteras huius Congregationis pro Doctrina Fidei ad respondendum petitioni Exc. DD. Bartholomaei Hanrion, episc. Dapangensis in Togo, hae normae (1971) 64-70.

<sup>42</sup> Cf. *Ordo initiationis christianae adultorum*, Romae, ed. typica, 6 ian. 1972, cap. 5, 125-149.

<sup>43</sup> Cf. *Ordo baptismi parvulorum*, Praenotanda n. 8, §§ 3-4, 17.

congregationes atque saecularia instituta. Huic apostolatui sacerdotes magnas tribuant partes. Parentes praecipue de ipsorum officio excitandae et educandae filiorum fidei commoneant. His enim cum demandatur ut religiosam parvuli initiationem inchoent, eum doceant Christum tamquam propinquum amicum diligere, eius denique conscientiam efforment. Hoc opus eo fecundius faciliusque evadet, quo magis innitetur in baptismi gratia, in animo parvuli infusa.

33. Ut clare indicat Rituale, paroecialis communitas et praesertim christianorum coetus qui necessitudine atque vicinitate cum hac familia coniuncti sunt, partem habere debent in hoc pastoralis baptismi opere. Etenim «ad populum Dei, hoc est Ecclesiam, quae fidem ab Apostolis acceptam tradit et nutrit, praeparatio baptismi et christiana institutio summopere pertinet». <sup>44</sup> Quae actiosa populi christiani participatio, iam in praxim adducta cum de adultis agitur, pariter exigitur in parvulorum baptismo, ubi «populus Dei, hoc est Ecclesia, communitate locali repraesentata ... magnas partes habet». <sup>45</sup> Ceterum communitas ipsa magnum spirituale et apostolicum beneficium percipiet e baptismi celebratione. Denique, post liturgicam celebrationem, opus communitatis adhuc continuabitur, cum adulti conspirabunt ad fidem iuvenum educandam tum suae vitae christianae testimonio, tum participatione in variis catecheseos operibus. 4044

#### CONCLUSIO

[1156] Congregatio pro Doctrina Fidei ad Episcopos sese dirigens, plene confidit ut ipsi, in exercitio muneris a Domino accepti, curae sibi habeant Ecclesiae doctrinam de baptismi parvulorum necessitate in mentem revocare, aptam rationem pastoraalem promovere, atque ad traditam disciplinam eos reducere qui, pastoralibus sollicitudinibus consideratione dignis fortasse compulsi, ab illa discesserint. Exoptat etiam, ut de huius Instructionis doctrina atque normis directoriis certiores fiant omnes pastores, christiani parentes et Ecclesiae communitates, ita ut omnes conscii evadant suarum obligationum, et per parvulorum baptismum atque eorum christianam educationem ad profectum Ecclesiae, quae est Corpus Christi, sociam operam conferant. 4045

*Hanc Instructionem in Conventu ordinario huius Sacrae Congregationis deliberatam, Summus Pontifex Ioannes Paulus P.P. II, in Audientia infrascripto Cardinali Praefecto concessa, adprobavit et publici iuris fieri iussit.*

<sup>44</sup> *Ibid.*, De initiatione christiana Praenotanda generalia, n. 7, 9.

<sup>45</sup> *Ibid.*, Praenotanda n. 4, 15.

## «Dives in misericordia»

Die 30 novembris 1980 Ioannes Paulus II Litteras encyclicas «de divina misericordia» dedit, in quibus nonnumquam de rebus ad Liturgiam pertinentibus loquitur. <sup>a</sup>

ED. - Lat.: AAS 72 (1980) 1177-1232. Gall.: DC 77 (1980) 1083-1099. Germ.: VAS 26; *Der bedrohte Mensch und die Kraft des Erbarmens*, Freiburg i.Br. 1981, 7-87; HK 35 (1981) 75-93. Hisp.: *Dives in Misericordia* (ed. PPC), Madrid 1980; E 40 (1980) 1572-1587. Ital.: EV 7, 781-883; RD 26 (1981) 2-16; *Dio ricco di misericordia* = Servizio dell'Unità 31, Leumann (Torino) 1980. Lus.: *Dives in Misericordia - Rico em Misericórdia*, Braga 1981. Neer.: AK 36 (1981) 69-102; BTD 6; WKD 9.

COMM. - Germ.: K. LEHMANN, in: *Der bedrohte Mensch und die Kraft des Erbarmens*, Freiburg i.Br. 1981, 90-118. Hisp.: A. BARRIALES, in: E 40 (1980) 1563. Ital.: OR 4-I-1981, 7; 5/6-I-1981, 7; 15-I-1981, 5; 21-I-1981, 7; 12-II-1981, 6; 19-IV-1981, 6; 15/16-VI-1981, 7; G. CONCETTI (ed.), *Dio ricco di misericordia*, Roma 1981; G. SORGI, in: OR 7-XII-1980, 1; R. COSTE, in: OR 1-I-1981, 5; P. LAPIDE, in: OR 8-II-1981, 1-2; P. POUPARD, in: OR 12-II-1982, 14; AA.VV., *Dives in misericordia*, Brescia 1981.

<sup>a</sup> Iam die 15 aprilis 1978 SCDF Notificationem de devotione Divinae Misericordiae exhibenda emiserat: AAS 70 (1978) 350:

Da diverse parti, specialmente dalla Polonia, anche autorevolmente, è stato chiesto se le proibizioni contenute nella «Notificazione» della S. Congregazione del S. Offizio, pubblicata sugli AAS, anno 1959, p. 271, riguardanti la devozione alla Divina Misericordia nelle forme proposte da Suor Faustina Kowalska, si debbano ritenere ancora in vigore.

Questa S. Congregazione, tenuti presenti i molti documenti originali, non conosciuti nel 1959; considerate le circostanze profondamente mutate, e tenuto conto del parere di molti Ordinari Polacchi, dichiarò «Notificazione».

[1218] 13. Debet itaque profiteri Ecclesia et proclamare divinam misericordiam omni ex ipsius veritate, prout eam nobis revelatio tradidit. Prioribus in huiusce documenti paginis conati sumus lineamenta saltem adumbrare figurae istius veritatis, quae adeo copiose totam per Sacram Scripturam ac Traditionem illuminatur. Cotidiana in Ecclesiae vita haec veritas Dei misericordiae in Bibliis Sacris nuntiata resonat tamquam perpetua vocis imago ex pluribus lectionibus Liturgiae Sacrae. Verus insuper fidei sensus Populi Dei percipit illam, perinde ac variae testantur significationes pietatis nunc singulorum nunc communitatum. [...]

4046

[1219] Veram ducit Ecclesia vitam, cum misericordiam confitetur et divulgat — summe mirandam Creatoris Redemptorisque proprietatem — necnon cum homines pertrahit ad fontes misericordiae Servatoris, quam ipsa apud se custodit ac distribuit. Hac in re permultum iuvat perpetua Verbi Dei meditatio at in primis conscia maturaque perceptio Eucharistiae et Sacramenti Paenitentiae seu Reconciliationis. Semper enim provehit Eucharistia nos illum ad amorem, qui morte validior est: «Quotiescumque manducamus panem hunc et calicem bibimus», non solum mortem Redemptoris annuntiamus, verum Resurrectionem etiam proclamamus, «donec veniat» in gloria.<sup>114</sup> Idem praeterea ritus eucharisticus ad ipsius recordationem celebratur, qui pro messianico munere suo Patrem nobis per verbum crucemque ostendit, inexhaustum testificatur eum amorem, vi cuius semper nobiscum se iungere cupit, quin immo nos ingredi, dum progreditur obviam cunctis cordibus humanis. Sacramentum autem Paenitentiae seu Reconciliationis viam cuique complanat, etiam quoties gravibus oneratur culpis. Illo quidem in Sacramento omnis potest homo misericordiam singulariter experiri, illum nominatim amorem, qui quam peccatum ipse potentior est. Hac de re iam factus sermo est in Litteris Encyclicis *Redemptor Hominis*; decebit tamen praecipuum illud attingere argumentum. [...]

4047

[1220] Velut Dei infiniti perfectio est in se misericordia pariter infinita. Quapropter infinita inexhaustaque Patris est prompta voluntas suscipiendorum etiam prodigorum domum ipsius redeuntium filiorum. Item sunt infinitae alacritas potestasque remissionis, quae perpetuo profluunt ex mirabili pretio sacrificii Filii. Nullum hominis delictum vincit potentiam illam nedum coarctet. In homine tamen circumscribere eam potest sola deficiens bona voluntas, nulla videlicet conversionis ac paenitentiae voluntas, id est perseverantia in obstinatione ac repugnantia tum gratiae tum veritati, repudiato praesertim testimonio crucis Christique resurrectionis. [...]

14. [...] [1225] Quam ob rem censere Ecclesia debet unum esse praecipuorum munerum suorum — quavis historiae aetate ac praesertim hac nostra — praedicandi importandique in vitam ipsum misericordiae mysterium summo quidem gradu patefactum in Iesu [1226] Chris-

4048

<sup>114</sup> Cf. 1 Cor. 11, 26; acclamatio in Canone «Missalis Romani».

to. Non soli tamen Ecclesiae, velut credentium communitati, verum hominibus certo sensu cunctis mysterium hoc fons est alterius vitae quam istius, quae construi ab homine potest exposito viribus potentibus triplicis concupiscentiae in illo operantis.<sup>128</sup> Huius profecto mysterii virtute Christus nobis praecipit, ut semper ignoscamus. Quoties verba orationis dictitamus quam ipse nos docuit exorantes: «dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris», eis videlicet, qui culpam aliquam in nos admiserunt!<sup>129</sup> Difficillimum vere quidem est declarare singularem excellentiam affectionis, quam designant inculcantque eadem verba. Quot res dicunt hi sermones cuique homini de altero ei simili deque illo ipso! Etenim conscientia omnes esse inter se debitores procedit aequo gradu cum vocatione ipsa ad communitatem fraternam, quae a Sancto Paulo significata est, cum clare hortaretur, ut fideles se supportarent «invicem in caritate».<sup>130</sup> Quae institutio hic continetur ad humilitatem erga hominem simulque erga proximum ac se ipsum! Quae schola hic bonae voluntatis invenitur ad cotidianum convictum variisque in vitae nostrae adiunctis! Quam si praetermiserimus doctrinam, quidnam supererit ulla ex *humanistica* dispositione vitae et educationis? [...]

## VIII

4049 [1228] 15. In crucifixo resuscitatoque Christo revelatam misericordiae Dei veritatem proloquitur Ecclesia variisque profitetur modis. Ceterum ipsa contendit, ut erga homines misericordiam impleat per homines, cum in illo collocari intellegat pernecessariam sane conditionem curae suae de mundo meliore atque «humaniore», tam nunc quam in posterum. Verum nullo tamen tempore, nulla historica aetate — ac praesertim tanto in rerum discrimine, quantum nostris est diebus — potest oblivisci Ecclesia obsecrationis implorantis misericordiam Dei adversus multiplices formas malorum, quae premunt hominum genus eique minantur. Hoc ipsum principale demum ius et officium est Ecclesiae in Christo Iesu viventis: est ius et officium erga Deum atque homines. Quanto magis enim humana conscientia saecularium motuum appulsum subiens perdit ipsius significationis sensum verbi «misericordiae» quantoque longius a Deo recedens etiam a misericordiae distrahitur mysterio, tanto certius habet ius Ecclesia et officium Dei misericordiam compellendi «cum clamore valido».<sup>135</sup> Hic porro validus clamor proprie ad nostri temporis Ecclesiam pertinet dirigiturque ad Deum, ut ipsius invocetur misericordia, cuius solidam demonstrationem iam contigisse fatetur edicitque Ecclesia in Christo cruci affixo et a mortuis exsuscitato, videlicet in paschali mysterio. Complectitur praeterea in se idem mysterium [1229] plenissimam misericordiae re-

<sup>128</sup> Cf. 1 Io. 2, 16.

<sup>129</sup> Mt. 6, 12.

<sup>130</sup> Eph. 4, 2; cf. Gal. 6, 2.

<sup>135</sup> Cf. Heb. 5, 7.

velationem, illius nempe amoris, qui morte efficacior est peccatoque et quovis malo potentior, amoris demum qui hominem sublevat ex praecipitibus maxime lapsibus, dum gravissimis simul liberat a periculis.

Persentiunt quidem nostrae aetatis homines minantia pericula ista. Id vero, quod supra dictum hac de re est, simplex fuit condicionum adumbratio. Saepe enim hodiernus interrogat se homo permagna cum anxietate quomodo terrificae resolvi possint contentiones, quae mundo superiectae sunt quaeque inter homines implicantur. Atque interdum si vocabulum «misericordiae» pronuntiare is non audet sive propria in conscientia religioso affectu privata non reperit vocem idem valentem, eo plus Ecclesiam oportet hoc eloqui nomen neque suo solius nomine, verum etiam pro cunctis aetatis nostrae hominibus. 4050

Necesse propterea est denique tandem omnia a nobis de misericordia hisce in paginis explicata transeant ferventem in precessionem: usque transeant in clamorem scilicet, qui secundum necessitatem hominum in mundo hodierno misericordiam appellet. Repleatur autem clamor ille universa veritate super misericordia, quam adeo abundanter Sacrae Litterae et Traditio necnon vera vita fidei tot saeculorum Populi Dei expresserunt. Tali quidem clamore nos sicut prophetae Deum invocemus, qui nihil odisse potest eorum quae fecit,<sup>136</sup> Deum nominatim, qui sibi fidelis est suae paternitati suoque amori. Et perinde ac vates illi advocemus eum amorem, qui prae se ferens proprietates maternas consequitur matri similis unumquemque filiorum propriorum et ovem quamque perditam, etiamsi centena fuerint milia milium ita perditorum, etiamsi iniquitas in mundo bonitatem superaverit, etiamsi hominum genus temporis nostri sua propter peccata novum «diluvium» meruerit, quem ad modum Noe saeculum id olim meruit. Ad illum decurramus amorem paternum, qui a Christo nobis prolatus est [1230] per messianicum ipsius opus quique summam attigit in cruce morte et eius resurrectione! Ad Deum confugiamus per Christum memores eloquiorum cantus Mariae «Magnificat», quae misericordiam extollunt «in progenies et progenies». Divinam imploremus misericordiam huius saeculi nostri hominibus! Ecclesia vero, quae ad Mariae exemplar in Deo hominum studet esse mater, efferat eadem hac prece maternam sollicitudinem suam fidentemque simul amorem, unde profecto nascitur gravissima precandi necessitas. 4051

Supplicationes ergo attollamus nostras fide spe caritate promoti, quas Christus nostris indidit animis. Talis insuper mentis habitus item amor erga Deum est, quem dierum istorum homo procul nonnumquam removet a se, immo et abalienavit, cum multiplici ratione sibi eum «superfluum» asseveraret. Hic est igitur amor in Deum, cuius offensionem ac repudiationem ab hominibus saeculi nostri altissime percipientes nos exclamare volumus cum Christo in cruce: «Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt».<sup>137</sup> Eodem hic tempore amor in homines 4052

<sup>136</sup> Cf. *Sap.* 11, 24; *Ps.* 145 (144), 9; *Gen.* 1, 31.

<sup>137</sup> *Lc.* 23, 34.

est, et quidem omnes sine exceptione aut divisione ulla: sine discrimine stirpis et culturae, linguae et opinionis de mundo, sine amicorum inimicorumve differentia. Amor est hic erga homines — ac vera omnia bona exoptat pro eorum unoquoque, pro singulis communitatibus humanis ac familiis, pro singulis nationibus coetibusque socialibus, pro adolescentibus et adultis, pro parentibus et senibus atque aegrotis — in universos nempe sine condicione. Hic tandem amor est sive potius sollicita cura nunc praestandi cuique omne verum bonum, nunc quodvis propulsandi et deprecandi malum.

4053 Et si quis aequalium hominum non fidem et spem participat, quae nos Christi servos mysteriorumque Dei dispensatores <sup>138</sup> adducunt, ut hac historiae aetate misericordiam Dei cuncto adprecemur generi humano, nitatur saltem intellegere [1231] sollicitudinis huius nostrae causam. Etenim ipsa imperatur ex amore erga hominem inque omnia, quae humana sunt quaeque, iudicantibus plerisque temporis nostri hominibus, ingenti exponuntur periculo. Christi mysterium, quod reserans nobis excelsam hominis vocationem impulit nos ad incomparabilem ipsius dignitatem in Litteris Encyclicis *Redemptor Hominis* rursus inculcandam, simul obstringit nos, ut misericordiam proclamemus tamquam miserantem Dei amorem in eodem Christi mysterio illustratum. Aequabiliter nos mysterium illud invitat, ut eandem ad misericordiam convertamur eamque difficili et decretoria hac historiae aetate Ecclesiae ac mundi efflagitemus, dum nempe ad alterius iam vergimus mille annorum spatii finem.

In Iesu Christi crucifixi resuscitatieque nomine, in operis messianici eius spiritu, quod in generis humani permanet historia, vocem nostram precemque attollimus, ut hoc in tempore historiae rursus adhuc ille reveletur amor, qui in Patre est, per Filiumque ac Spiritum Sanctum praesens demonstratur in mundo hodierno et potentior omni malo: peccato videlicet potentior ac morte. Interveniente ipsa nos precamur, quae proclamare non cessat «misericordiam in progenies et progenies»; precamur etiam illis intercedentibus, in quibus verba Sermonis Montani denique tandem completa sunt: «Beati misericordes, quia ipsi misericordiam consequentur». <sup>139</sup> [...]

<sup>138</sup> Cf. 1 Cor. 4, 1.

<sup>139</sup> Mt. 5, 7.



## De Precibus eucharisticis

Die 15 decembris 1980 Sectio pro Cultu Divino SCSCD ad Praesides Conferentiarum Episcoporum Litteras circulares de Precibus eucharisticis pro Missis cum pueris et «De reconciliatione» misit.

ED. - Lat.: N 17 (1981) 23. Gall.: DC 78 (1981) 125. Ital.: EV 7, 885; RL 68 (1981) 558-559; L 15 (1981) 63-64.

[23] Officium mihi est Tecum communicare ea quae Summus Pontifex disposuit quoad usum Precum eucharisticarum pro Missis cum pueris et de reconciliatione. 4054

Uti, notum est, concessio adhibendi praedictas Peces eucharisticas finem habet anno 1980 exeunte (cf. Notitiae 13 [1977] 555-556).

Beatissimus Pater Ioannes Paulus II in Audientia, die 13 decembris 1980 Iacobo R. Card. Knox, Congregationis pro Sacramentis et Cultu Divino Praefecto, concessa, benigne indulisit ut usus Precum eucharisticarum pro Missis cum pueris et de reconciliatione prorogaretur, iisdem quae antea servatis condicionibus, sive pro illis Conferentiis Episcopalibus, quae facultate a Sancta Sede concessa iam fruuntur, sive pro ceteris Conferentiis, quae Sancta Sede approbante usum Precum in propriam Nationem introducere vellent.

Quae facultas vigere perget donec aliter a Sede Apostolica provideatur.

## Ordo lectionum Missae

Die 21 ianuarii 1981 Sectio pro Cultu Divino SCSCD Editionem typicam alteram Ordinis lectionum Missae promulgavit.

ED. DECRETI - Lat.: N 17 (1981) 358-359. Germ.: VAS 43, 7-8. Ital.: EV 7, 923-925; L 15 (1981) 597-598. Neer.: TvL 66 (1982) 188-189.

- 4055 [358] *Ordo lectionum Missae*, cuius prima impressio in editione typica anno 1969 facta est, die 25 maii eiusdem anni promulgatus fuerat de speciali mandato Summi Pontificis Pauli VI, secundum normam Constitutionis de sacra Liturgia, ut Conferentiis Episcopalibus indicationes praeberentur pro singulis lectionibus biblicis in celebratione Missae, ad Lectionaria linguis popularibus exarata diversis in regionibus apparanda.
- In illa editione deerant indicationes biblicae lectionum pro «Ordinibus» sacramentorum necnon rituum, qui post mensem maium 1969 fuerunt evulgati. Praeterea, Bibliorum sacrorum Nova Vulgata editione peracta, per Constitutionem Apostolicam «Scripturarum thesaurus» die 25 aprilis 1979 datam statutum est textum Novae Vulgatae editionis tamquam typicum ad usum liturgicum in posterum assumi debere.
- 4056 Cum vero editio typica prior iam non prostet, opportunum visum est alteram parare editionem, quae relatione habita ad priorem sequentia praebet elementa peculiariter:
1. Textus «Praenotandorum» auctus est.
  2. Ad normam Constitutionis Apostolicae «Scripturarum thesaurus», in textibus biblicis referendis adhibita est Bibliorum sacrorum editio Nova Vulgata.
  3. Insertae sunt omnes indicationes biblicae, quae inveniuntur in Lectionariis «Ordinum» sacramentorum atque sacramentalium post editionem priorem «Ordinis lectionum Missae» evulgatis.
  4. Adiunctae sunt quoque indicationes biblicae, pro lectionibus in quibusdam Missis «pro variis necessitatibus» necnon pro lectionibus in ceteris Missis, quae in editionem alteram Missalis Romani anno 1975 prima vice sunt insertae.
  5. Ad celebrationes Sanctae Familiae, Baptismatis Domini, Ascensionis et Pentecostes quod attinet, adiunctae sunt indicationes lectio[359]num «ad libitum», ut biblici textus earundem celebrationum, per cyclos A, B, C in Lectionario pro dominicis et festis distributi, prorsus completerentur.

Hanc editionem alteram Ordinis lectionum Missae Summus Pontifex Ioannes Paulus II auctoritate sua approbavit et Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu divino nunc promulgat et typicam esse declarat. Curae erit Conferentiarum Episcopaliū variationes, quae in hac editione altera inveniuntur, in editiones linguis vernaculis apparandas inducere.

---

ED. TYP. VOLUMINIS: *Missale Romanum ex decreto Sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani II instauratum auctoritate Pauli Pp. VI promulgatum, Ordo lectionum Missae, Editio typica altera*, Typis Polyglottis Vaticanis 1981.

---

Quia Praenotanda relate ad ed. typ. anni 1969 (cf. vol. I nn. 1860-1887) ex integro refecti sunt, hic iterum referuntur iuxta ipsam ed. typ. alteram, excepto eo loco (n. 4081), quem ad normam CIC anni 1983 mutare necesse fuit.

---

ED. - Lat.: N 17 (1981) 361-404. Angl.: ICEL (ed.), *Lectionary for Mass. Introduction* (Liturgy Documentary Series 1), Washington 1982. Gall.: BNL 17 (1983) 265-283 et 18 (1984) 61-78. Germ.: VAS 43, 9-56. Hisp.: PLDI nn. 124-126 (1982) 3-52. Ital.: EV 7, 925-1024; RL 70 (1983) 720-757; L 15 (1981) 599-843. Neer.: TvL 66 (1982) 190-234.

COMM. - Ital.: L. DELLA TORRE, in: RPL 21 (1983) (Inserto del n. 118); M. SODI, in: RL 70 (1983) 704-719; L.D.T., in: RPL 19 (1981) 41-45 et 46-50. Neer.: A. HOLLAARDT, in: TvL 66 (1982) 185-187 et 306-309.

---

## PROOEMIUM

### Caput I. DE GENERALIORIBUS PRINCIPIIS PRO VERBI DEI LITURGICA CELEBRATIONE

#### 1. De quibusdam praemissis

##### a) DE VERBI DEI MOMENTO IN LITURGICA CELEBRATIONE

[XIII] (1) \* De verbi Dei momento necnon de sacrae Scripturae usu in quavis celebratione liturgica instaurando multa et praeclara iam dicta sunt tum in Concilio Vaticano II,<sup>1</sup> tum in Magisterio Summorum

4057

<sup>1</sup> Cf. praesertim *Sacrosanctum Concilium*, nn. 7, 24, 33, 35, 48, 51, 52, 56; *Dei Verbum*, nn. 1, 21, 25, 26; *Ad gentes*, n. 6; *Presbyterorum ordinis*, n. 18.

\* Numeri uncis rotundis inclusi in margine ipsius editionis typicae inscripti sunt.

Pontificum,<sup>2</sup> tum in variis documentis quae post ipsum Concilium Sanctae Sedis Dicasteria promulgaverunt.<sup>3</sup> Nonnulla insuper maioris momenti principia in Praenotandis Ordinis lectionum Missae, anno 1969 editi, opportune proposita sunt et breviter illustrata.<sup>4</sup> Cum autem, occasione data huius novae editionis ipsius Ordinis lectionum Missae, hinc et illinc peteretur ut pressius eadem principia exhiberentur, haec amplior eaque congruentior Praenotandorum dispositio curata est, in qua, necessitudine prius inter verbum Dei et actionem liturgica generatim affirmata,<sup>5</sup> peculiarius de verbo Dei in Missae celebratione tractabitur, et definita tandem structura Ordinis lectionum exponetur.

b) DE VOCABULIS QUAE AD VERBUM DEI SIGNIFICANDUM USURPANTUR

- 4058 (2) Etsi quaedam verborum circumscriptio in hac re iure videtur urgenda, ut sermo vere clarus sit atque perspicuus, in his tamen Praenotandis iisdem utemur vocabulis quae in documentis sive in ipso Concilio sive post Concilium editis adhibentur, et libros Spiritu Sancto afflante conscriptos, tum sacram Scripturam tum verbum Dei passim et aequo sermone vocabimus, quavis nominum vel rerum permixtione vitata.<sup>6</sup>

c) DE VERBI DEI LITURGICA SIGNIFICATIONE

- 4059 (3) Unius verbi Dei multiplices thesauri in variis celebrationibus necnon in diversis fidelium coetibus, qui ipsas celebrationes participant, mirabiliter exhibentur dum vel per anni circulum mysterium Christi in sua evolutione recolitur, vel Ecclesiae sacramenta et sacramentalia ce-

<sup>2</sup> Cf. inter ea quae a Summis Pontificibus prolata sunt ore tenus vel scripto, praesertim: Paulus VI, Litt. Apost. *Ministeria quaedam*, 15 augusti 1972, n. V: AAS 64 (1972) 532; Id., Adh. Apost. *Marialis cultus*, 2 februarii 1974, n. 12: AAS 66 (1974) 125-126; Id., Adh. Apost. *Evangelii nuntiandi*, 8 decembris 1975, n. 28: AAS 68 (1976) 24-25; n. 43: *ibid.*, 33-34; n. 47: *ibid.*, 36-37; Ioannes Paulus II, Const. Apost. *Scripturarum thesaurus*, 25 aprilis 1979; in *Nova Vulgata Bibliorum Sacrorum* editione, Typ. Polyglottis Vaticanis 1979, V-VIII; Id., Adh. Apost. *Catechesi tradendae*, 16 octobris 1979, n. 23: AAS 71 (1979) 1296-1297; n. 27: *ibid.*, 1298-1299; n. 48: *ibid.*, 1316; Id., Epist. *Dominicae Cenaе*, 24 februarii 1980, n. 10: AAS 72 (1980) 134-137.

<sup>3</sup> Cf. v. gr. SRC, Instr. *Eucharisticum mysterium*, 25 maii 1967, n. 10: AAS 59 (1967) 547-548; SCCD, Instr. *Liturgicae instaurationes*, 5 sept. 1970, n. 2: AAS 62 (1970) 695-696; SCC, Directorium catechisticum generale, 11 aprilis 1971: AAS 64 (1972) 106-107; n. 25: *ibid.*, 114; SCCD, Institutio Generalis Missalis Romani, nn. 9, 11, 24, 33, 60, 62, 316, 320; SCIC, Instr. de Institutione liturgica in seminariis, *In ecclesiasticam*, 3 iunii 1979, nn. 11, 52; *ibid.*, Appendix n. 15; SCSCD, Instr. *Inaestimabile donum*, 3 aprilis 1980, nn. 1, 2, 3: AAS 72 (1980) 333-334.

<sup>4</sup> Cf. Missale Romanum ex Decreto Sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani II instauratum auctoritate Pauli VI promulgatum. *Ordo lectionum Missae* (Typis Polyglottis Vaticanis 1969) IX-XII (Praenotanda); Decretum promulgationis: AAS 61 (1969) 548-549.

<sup>5</sup> Cf. *Sacrosanctum Concilium*, nn. 35, 56; Paulus VI, Adh. Apost. *Evangelii nuntiandi*, 8 decembris 1975, nn. 28, 47: AAS 68 (1976) 24-25 et 36-37; Ioannes Paulus II, Epist. *Dominicae Cenaе*, 24 februarii 1980, nn. 10, 11, 12: AAS 72 (1980) 134-146.

<sup>6</sup> Sic. v. g. *verbum Dei, sacra Scriptura, Vetus et Novum Testamentum, Lectio (Lectiones) verbi Dei, Lectio (Lectiones) sacrae Scripturae, Celebratio (Celebrationes) verbi Dei, etc.*

lebrantur, vel intimae Spiritus Sancti actioni a singulis fidelibus respondetur.<sup>7</sup> Tunc enim ipsa liturgica celebratio, quae verbo Dei apprimè innititur atque fulcitur, novus fit eventus et nova ipsum verbum interpretatione ditat atque efficacia. Sic in Liturgia Ecclesia fideliter sequitur modum legendi et interpretandi Scripturas sacras, quo ipse Christus, qui ab «hodie» eventus sui, ad Scripturas omnes perscrutandas adhortatur, usus est.<sup>8</sup>

## 2. De liturgica verbi Dei celebratione

### a) DE VERBI DEI PROPRIA NOTA IN ACTIONE LITURGICA

(4) Non uno tantum modo verbum Dei in celebratione liturgica pronuntiatur,<sup>9</sup> nec eadem semper efficacitate audientium corda percellit: semper [XV] vero in verbo suo Christus praesens adest,<sup>10</sup> qui salutis exsequens mysterium, homines sanctificat et Patri cultum tribuit perfectum.<sup>11</sup> 4060

Quinimmo dispensatio salutis, quam verbum Dei indesinenter recolit atque propagat, plenam in actione liturgica significationem attingit, ita ut liturgica celebratio fiat ipsius verbi Dei continua, plena et efficax propositio.

Verbum itaque Dei in Liturgia perpetuo propositum, vivum et efficax<sup>12</sup> iugiter est per Spiritus Sancti potentiam, ac operantem manifestat Patris dilectionem in sua quoad homines efficacitate indeficientem.

### b) DE VERBO DEI IN DISPENSATIONE SALUTIS

(5) Unum idemque Ecclesia annuntiat Christi mysterium cum et Vetus et Novum Testamentum in liturgica celebratione proclamat. 4061

<sup>7</sup> Unus idemque textus, propterea, legi et adhiberi potest diversis sub aspectibus et diversis quidem liturgicis Ecclesiae anni occasionibus et celebrationibus. Quod recolendum est in homilia, in exegesi pastorali et in catechesi. Ut ex indicibus in isto volumine positus, omnibus patet usus v.g. cap. Rom. 6 vel cap. Rom. 8 in diversis temporibus anni liturgicis et diversis sacramentorum et sacramentalium celebrationibus.

<sup>8</sup> Cf. *Lc.* 4, 16-21; 24, 25-35. 44-49.

<sup>9</sup> Sic v. g. *Proclamatio* vel *Lectio* etc. in Missae celebratione (Cf. *Institutio Generalis Missalis Romani*, nn. 21, 23, 95, 131, 146, 234, 235); sic insuper verbi Dei celebrationes in *Pontificali*, *Rituale Romano* et *Liturgia Horarum*, ex Decreto Sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani II instauratis.

<sup>10</sup> Cf. *Sacrosanctum Concilium*, nn. 7, 33; *Mc.* 16, 19-20; *Mt.* 28, 20; S. Augustinus, *Sermo* 85, 1: «Os Christi Evangelium est. In caelo sedet sed in terra loqui non cessat» (PL 38, 520; cf. etiam *In Io. Ev. Tract.* XXX, 1: PL 35, 1632; CCL 36, 289) et e *Pontificali Romano Germanico* illud: «Evangelium autem legitur, in quo Christus ore suo loquitur populo ut... evangelium in ecclesia revocet, ac si populo ipse Christus loquatur» (Cf. V. Vogel-R. Elze [ed.], *Le Pontifical Romano-germanique du dixième siècle. Le Texte*, I. Città del Vaticano 1963/XCIV, 18, 334) vel «Accedente enim ipso Christo, id est evangelio, baculos dimittimus, quia humano auxilio non egemus» (o.c., XCIV, 23, 335).

<sup>11</sup> Cf. *Sacrosanctum Concilium*, n. 7.

<sup>12</sup> Cf. *Hebr.* 4, 12.

In Vetere enim Testamento Novum latet, et in Novo Testamento Vetus patet. <sup>13</sup> Totius vero Scripturae, sicut et totius liturgicae celebrationis Christus centrum est et plenitudo: <sup>14</sup> quare de fontibus eius hauriant oportet quicumque salutem quaerunt et vitam.

Quo autem profundius liturgica celebratio percipitur, eo etiam altius verbi Dei momentum aestimatur, quod vero de altera dicitur, de altero rursus affirmari potest, cum utroque Christi mysterium recolatur et proprio utrique modo perpetuetur.

### c) DE VERBO DEI IN LITURGICA FIDELIUM PARTICIPATIONE

- 4062 (6) Ecclesia in actione liturgica idipsum «Amen» fideliter respondet quod semel in omne aevum Christus, Dei et hominum Mediator, effuso sanguine, adhibuit ad novum in Spiritu Sancto foedus divinitus sancendum. <sup>15</sup>

Cum ergo Deus suum communicat verbum responsionem semper expectat quae quidem auditio est et adoratio «in Spiritu et veritate» (Io. 4, 23). Spiritus enim Sanctus ipsam responsionem reddit efficacem ut [XVI] quae in actione liturgica audiantur in vita quoque explicentur iuxta illud «estote factores verbi et non auditores tantum» (Iac. 1, 22). Corporis habitus, gestus et verba, quibus actio liturgica exprimitur et fidelium participatio manifestatur, non tantum ex experientia humana, unde trahuntur, sed ex Dei verbo et ex oeconomia salutis, ad quam referuntur, significationem accipiunt, quare eo magis actionem liturgicam fideles participant, quo intimius, dum verbum Dei in ipsa proclamatum auscultant, ipsi Dei Verbo in Christo incarnato adhaerere nituntur, ut quae in Liturgia celebraverint, moribus et vita tenere studeant, rursus vero quae in vita sua egerint, in liturgicam celebrationem transferre conentur. <sup>16</sup>

### 3. De Dei verbo in vita populi «foederis»

#### a) DE VERBO DEI IN ECCLESIAE VITA

- 4063 (7) In verbo Dei audiendo aedificatur et crescit Ecclesia, et mirabilia quae multis olim modis Deus in salutis historia patravit, in celebrationis liturgicae signis mystica veritate repraesentantur; rursus vero Deus ipsum adhibet fidelium coetum, qui Liturgiam celebrat, ut eius sermo currat et clarificetur et nomen eius extollatur in gentibus. <sup>17</sup> Quoties ergo Ecclesia, a Spiritu Sancto in liturgica celebratione con-

<sup>13</sup> Cf. S. Augustinus, in: *Quaestionum in Heptateuchum liber 2*, 73; PL. 34, 623; CCL 33, 106; *Dei Verbum*, n. 16.

<sup>14</sup> Cf. S. Hieronymus «Si enim iuxta Apostolum Paulum (1 Cor. 1, 24), Christus Dei virtus est, Deique sapientia, et qui nescit Scripturas, nescit Dei virtutem eiusque sapientiam. Ignoratio enim Scripturarum, ignoratio Christi est» (*Commentarii in Isaiam prophetam. Prologus*. in: PL 24, 17A; CCL, 73, 1); *Dei Verbum*, n. 25.

<sup>15</sup> Cf. 2 Cor. 1, 20-22.

<sup>16</sup> Cf. *Sacrosanctum Concilium*, n. 10.

<sup>17</sup> Cf. 2 Th. 3, 1.

gregata, <sup>18</sup> verbum Dei annuntiat atque proclamat, se novum populum esse pernoscit, in quo foedus antiquitus sancitum, perfectum tandem fit et absolutum. Omnes autem christifideles baptisate et confirmatione in Spiritu nuntii verbi Dei facti, gratia auditionis percepta, idem verbum Dei in Ecclesia et mundo annuntiare debent, saltem testimonio vitae.

Ipsam vero Dei verbum, quod in divinarum mysteriorum celebratione proclamatur, non solum praesentem rerum condicionem attingit sed et praeterita respicit et prospicit futura, eaque spei nostrae tanto desiderio exhibet expectanda, ut inter mundanas varietates ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gaudia. <sup>19</sup>

b) DE VERBO DEI IN ECCLESIAE EXPOSITIONE

(8) Cum ex ipsius Christi voluntate novus Dei populus mirabili sit membrorum varietate distinctus, varia etiam sunt officia et munera quae competunt cuique quoad verbum Dei, ita ut ipsum verbum fideles auscultent atque meditentur, illi vero soli exponant ad quos ex sacra ordinatione magisterii munus spectat, vel quibus idem ministerium committitur exercendum. 4064

[XVII] Sic in doctrina, vita et cultu, Ecclesia perpetuat cunctisque generationibus transmittit omne quod ipsa est, omne quod credit, ita ut, volentibus saeculis, ad plenitudinem divinae veritatis iugiter tendat, donec in ipsa consummetur verbum Dei. <sup>20</sup>

c) DE NECESSITUDINE INTER VERBUM DEI PROCLAMATUM ET ACTIONEM SPIRITUS SANCTI

(9) Ut autem Verbum Dei id revera in cordibus operetur quod in auribus sonat, actio requiritur Spiritus Sancti, quo inspirante et adiuvante, verum Dei actionis liturgicae fit fundamentum et totius vitae norma atque subsidium. 4065

Ipsius ergo Spiritus operatio totam actionem liturgicam non tantum praevenit, comitatur atque subsequitur, sed cuiusque cordi ea omnia suggerit <sup>21</sup> quae in verbi Dei proclamatione pro universo fidelium coetu pronuntiantur, et dum omnium coagmentat unitatem, charismatum quoque diversitatem refovet et multiplicem operationem extollit.

d) DE INTIMA VERBI DEI CUM EUCHARISTICO MYSTERIO COHAERENTIA

(10) Dei verbum et eucharisticum mysterium eadem veneratione etsi non eodem cultu, Ecclesia prosecuta est atque semper et ubique prosequi voluit atque sancivit, cum, exemplo Conditoris impulsa, ab eius 4066

<sup>18</sup> Cf. *Collectas, Pro Sancta Ecclesia*, in *Missali Romano ex Decreto Sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani II instaurato, auctoritate Pauli PP. VI promulgato* (Typis Polyglottis Vaticanis 1975), 786, 787, 790; S. Cyprianus, *De oratione dominica* 23: PL 4, 553; CSEL 3/2, 285; CCL 3 A, 105. S. Augustinus, *Sermo* 71, 20, 33: PL 38, 463 s.

<sup>19</sup> Cf. *Collectam Dominicae XXI «per annum»* in *Missali Romano o.c.*, 360.

<sup>20</sup> Cf. *Dei Verbum*, n. 8.

<sup>21</sup> Cf. *Io.* 14, 15-17. 25-26; 15, 26-16, 15.

paschali mysterio celebrando numquam cessaverit, in unum conveniens ut legeret «in omnibus Scripturis, quae de ipso erant» (Lc. 24, 27) et opus salutis per memoriale Domini et sacramenta exerceret. Nam «verbi praedicatio requiritur ad ipsum ministerium sacramentorum quippe quae sint sacramenta fidei, quae de verbo nascitur et nutritur». <sup>22</sup>

Utraque mensa spiritualiter nutrita, <sup>23</sup> hinc Ecclesia magis eruditur, inde vero plenius sanctificatur. In Dei quidem verbo foedus divinum annuntiatur, in Eucharistia vero ipsum foedus novum et aeternum renovatur. Ibi historia salutis in verborum sonitu evocatur, hic eadem historia in Liturgiae signis sacramentalibus exhibetur.

Proinde prae oculis semper habeatur oportet verbum divinum in Liturgia ab Ecclesia lectum et annuntiatum velut ad foederis sacrificium et gratiae convivium, scilicet ad Eucharistiam, tamquam ad finem suum ducere. Missae ergo celebratio, in qua et verbum auditur et Eucharistia offertur atque percipitur, unum divini cultus actum constituit, <sup>24</sup> quo et Deo sacrificium laudis exhibetur, et homini redemptionis plenitudo praestatur.

## PARS PRIOR. DE VERBO DEI IN MISSAE CELEBRATIONE

### Caput II. DE CELEBRATIONE LITURGIAE VERBI IN MISSA

#### 1. De elementis liturgiae verbi eorumque ritibus

4067 [XVIII] (11) «Partem praecipuam liturgiae verbi constituunt lectiones e sacra Scriptura desumptae cum cantibus inter eas occurrentibus; homilia autem, professio fidei et oratio universalis seu oratio fidelium illam evolvunt et concludunt». <sup>25</sup>

#### a) DE LECTIONIBUS BIBLICIS

4068 (12) Lectiones biblicas, in celebratione Missae una cum cantibus ex sacra Scriptura desumptis, nec deesse, nec minui, nec quod gravius esset, commutari licet cum aliis lectionibus quae biblicae non sint. <sup>26</sup> Ex ipso enim verbo Dei in scriptis tradito adhuc «Deus ad populum suum loquitur» <sup>27</sup> et ex diuturno sacrae Scripturae usu populus Dei, sub lumine fidei Spiritui Sancto docilis effectus, vita moribusque suam Christo testificationem coram mundo praebere poterit.

<sup>22</sup> *Presbyterorum ordinis*, n. 4.

<sup>23</sup> Cf. *Sacrosanctum Concilium*, n. 51; *Presbyterorum ordinis*, n. 18; et etiam *Dei Verbum*, n. 21; *Ad gentes*, n. 6. Cf. *Institutio Generalis Missalis Romani*, n. 8.

<sup>24</sup> *Sacrosanctum Concilium*, n. 56.

<sup>25</sup> *Institutio Generalis Missalis Romani*, n. 33.

<sup>26</sup> Cf. SCCD, *Instr. Liturgicae instaurationes*, 5 sept. 1970, n. 2: AAS 62 (1970) 695-696; Ioannes Paulus II, *Epist. Dominicae Cenaе*, 24 februarii 1980, n. 10: AAS 72 (1980) 134-137; SCSCD, *Instr. Inestimabile donum*, 3 aprilis 1980, n. 1: AAS 72 (1980) 333.

<sup>27</sup> *Sacrosanctum Concilium*, n. 33.



(13) Lectio Evangelii culmen constituit ipsius liturgiae verbi, ad quod aliae lectiones ordine tradito, scilicet ex Vetere Testamento ad Novum transeunte, coetum congregatum praeparant. 4069

(14) Ipsa proferendi forma lectorum qui elata voce, clare et sapienter legunt ad Dei verbum recte per lectiones coetui communicandum in primis conducit. Lectiones, ex editionibus probatis sumptae, <sup>28</sup> secundum indolem diversarum linguarum, cantari possunt ita tamen ut cantus verba non opprimat, sed potius extollat. Cum contingat eas lingua Latina proferri servetur modus in Ordine cantus Missae notatus. <sup>29</sup> 4070

[XIX] (15) Monitiones breves concinnaeque in verbi liturgia ante lectiones, praesertim primam haberi possunt. Attente considerandum est genus litterarium harum monitionum. Ista enim simplices, textui fideles, breves, diligenter paratae, et vario modo ad quem textum introducere debent, aptatae sint oportet. <sup>30</sup> 4071

(16) Lectiones semper ex ambone in celebratione Missae cum populo proferantur. <sup>31</sup> 4072

(17) Inter ritus liturgiae verbi attendendum est venerationi quae evangelicae lectioni debetur. <sup>32</sup> Ubi Evangeliarium habetur quod in ritibus initialibus processionaliter a diacono vel lectore delatum est, <sup>33</sup> valde convenit ut liber Evangeliorum ex altari <sup>34</sup> a diacono vel, eo absente, presbytero accipiatur et praecedentibus ministris cum cereis et incenso vel aliis venerationis signis, si usus ferat, ad ambonem deferatur. Fideles stant et Domino acclamantes Evangeliorum librum venerantur. Diaconus, Evangelium prolaturus, ante eum qui praest inclinat benedictionem petit et accipit. Presbyter vero, cum diaconus non adest, ante altare inclinat secreto orat dicens: *Munda cor meum...* <sup>35</sup> 4073  
In ambone ille qui Evangelium proclamat populum stantem salutatur, titulum lectionis nuntiat, signans se in fronte, ore et pectore, deinde librum, si incensum adhibetur, turificat denique Evangelium profert. Finito autem Evangelio, librum osculatur, praescripta verba secreto dicens.

Salutatio, nuntius *Lectio sancti Evangelii et Verbum Domini* in fine convenienter cantu proferuntur ut coetus eodem modo acclamare possit, etsi Evangelium tantum legitur. Hoc modo et momentum lectionis evangelicae indicatur et fides audientium excitatur.

<sup>28</sup> Cf. *infra*, Praenotanda, n. 111, XLVII.

<sup>29</sup> Cf. *Missale Romanum* ex Decreto Sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani II instauratum, auctoritate Pauli PP. VI promulgatum, *Ordo Cantus Missae*, ed, typ. 1972, Praenotanda, nn. 4, 6, 10.

<sup>30</sup> Cf. *Institutio Generalis Missalis Romani*, n. 11.

<sup>31</sup> Cf. *ibid.*, n. 272; et *infra*, Praenotanda, nn. 32-34, XXIII.

<sup>32</sup> Cf. *Institutio Generalis Missalis Romani*, nn. 35, 95.

<sup>33</sup> Cf. *ibid.*, nn. 82-84.

<sup>34</sup> Cf. *ibid.*, nn. 94, 131.

<sup>35</sup> Cf. *Ordo Missae cum populo*, 11, in: *Missali Romano* ex Decreto Sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani II instaurato, auctoritate Pauli PP. VI promulgato (Typis Polyglottis Vaticanis, 1975), 388.

4074 (18) In fine lectionum conclusio *Verbum Domini* cantari potest etiam a cantore qui alius sit ac lector qui lectionem pronuntiavit, omnibus deinde acclamantibus. Hoc modo coetus congregatus honorem tribuit verbo Dei fide et spiritu gratiarum actionis recepto.

b) DE PSALMO RESPONSORIO

4075 (19) Psalmus responsorius, qui et graduale vocatur, cum sit «pars integralis liturgiae verbi»,<sup>36</sup> magnum sane momentum liturgicum et pastorale prae se fert. Quapropter fideles constanter edocendi sunt de modo perci[XX]piendi verbum Dei in psalmis loquens, et in Ecclesiae orationem eosdem psalmos vertendi. Quod certe «facilius eveniet, si psalmorum altior intellectus, secundum eum sensum, quo in sacra Liturgia canuntur, diligentius apud clerum promovebitur et apta catechesi omnibus fidelibus impertietur».<sup>37</sup>

Aliquod adiutorium afferre possunt breves monitiones quibus electio ac congruentia psalmi et responsi cum lectionibus indicetur.

4076 (20) Psalmus responsorius de more cantu proferatur. Duo autem modi cantandi psalmum post primam lectionem recensendi sunt: modus responsorialis et modus directus. Modo responsoriali, qui, quantum fieri potest, praefendus est, psalmista, seu cantor psalmi, profert versus psalmi, tota congregatione per responsum participante. Modo directo psalmus canitur sine responso a communitate interposito, aut a solo psalmista seu cantore psalmi, congregatione tantum auscultante, aut ab omnibus simul.

4077 (21) Cantus psalmi vel etiam solius responsi multum iuvat ut spiritalis psalmi sensus percipiatur eiusque meditatio foveatur. In unaquaque cultura ea omnia adhibenda sunt quae possunt fovere cantum ipsius coetus, et praesertim usus facultatum ad hoc praevisarum in Ordine lectionum Missae<sup>38</sup> quoad responsa pro variis temporibus liturgicis adhibenda.

4078 (22) Psalmus post lectionem occurrens, si non cantatur, recitetur modo aptiore ad ipsam meditationem verbi Dei.<sup>39</sup> Psalmus responsorius in ambone a psalmista vel cantore cantatur vel recitatur.<sup>40</sup>

c) DE ACCLAMATIONE ANTE LECTIONEM EVANGELII

4079 (23) Etiam 'Alleluia' vel, secundum tempus liturgicum, versus ante

<sup>36</sup> Institutio Generalis Missalis Romani, n. 36.

<sup>37</sup> Paulus VI, Const. Apost. *Laudis canticum*, in *Liturgia Horarum* ex Decreto Sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani II instaurata, auctoritate Pauli PP. VI promulgata (Typis Polyglottis Vaticanis 1971); cf. etiam *Sacrosanctum Concilium*, nn. 24, 90; SRC., Instr. de musica in sacra Liturgia, *Musicam Sacram*, 5 martii 1967, n. 39; AAS 59 (1967) 311; *Liturgia Horarum*, Institutio generalis, nn. 23 et 109; SCIC, Ratio fundamentalis, n. 53.

<sup>38</sup> Cf. *infra*, Praenotanda, nn. 89-90, XXXIX.

<sup>39</sup> Cf. Institutio Generalis Missalis Romani, nn. 18 et 39.

<sup>40</sup> Cf. *ibid.*, nn. 272 et *infra*, Praenotanda, nn. 32 ss., XXXIII.

Evangelium «ritum seu actum per se stantem»<sup>41</sup> constituit, quo fidelium coetus Dominum sibi locuturum excipit atque salutem fidemque suam cantu profitetur.

[XXI] 'Alleluia' et versus ante Evangelium cantari debent, omnibus stantibus, ita tamen ut non solus cantor qui inchoat vel etiam schola sed totus populus unanimiter concinat.<sup>42</sup>

#### d) DE HOMILIA

(24) Homilia, qua per anni liturgici cursum ex textu sacro fidei mysteria et normae vitae christianae exponuntur, ut pars liturgiae verbi<sup>43</sup> saepius et inde a Constitutione liturgica Concilii Vaticani II potissimum est commendata, immo pro aliquibus casibus praescribitur. Ab ipso praeest de more habenda,<sup>44</sup> homilia in Missae celebratione extendit ut nuntiatum Dei Verbum una cum liturgia eucharistica fiat «quasi annuntiatio mirabilium Dei in historia salutis seu mysterio Christi». <sup>45</sup> Etenim mysterium paschale Christi quod lectionibus et homilia nuntiatur, per Missae sacrificium exercetur. <sup>46</sup> Christus autem in Ecclesiae suae praedicatione praesens semper adest et operatur. <sup>47</sup> Homilia igitur sive verbum Scripturae sacrae nuntiatur sive alium liturgicum textum explicet, <sup>48</sup> communitatem fidelium ad Eucharistiam actuose celebrandam ducere debet, ut «vivendo teneant quod fide perceperunt». <sup>49</sup> Hac viva expositione Dei verbum, quod legitur, et celebrationes Ecclesiae, quae peraguntur, maiorem efficacitatem acquirere possunt, si homilia revera sit fructus meditationis, apte parata, non nimis protracta nec nimis brevis, et si in ea ad omnes praesentes, etiam pueros et incultos, attendatur. <sup>50</sup>

In concelebratione homiliam habet de more celebrans principalis, vel unus e concelebrantibus. <sup>51</sup>

(25) Diebus praescriptis, dominicis nempe et festis de praecepto servandis, etiam in Missis quae vespere diei praecedentis celebrantur, ho-

4080

4081

<sup>41</sup> Cf. Institutio Generalis Missalis Romani, n. 39.

<sup>42</sup> Cf. etiam *ibid.*, nn. 37-39; *Missale Romanum* ex Decreto Sacrosancti Concilii Oecumenici Vaticani II instauratum, auctoritate Pauli PP. VI promulgatum, *Ordo cantus Missae*, Praenotanda, nn. 7-9; *Graduale Romanum*, 1974, Praenotanda, n. 7; *Graduale simplex*, ed. typ. altera 1975, Praenotanda, n. 16.

<sup>43</sup> *Sacrosanctum Concilium*, n. 52; cf. SRC, Instr. *Inter Oecumenici*, 26 sept. 1964, n. 54: AAS 56 (1964) 890.

<sup>44</sup> Cf. Institutio Generalis Missalis Romani, n. 42.

<sup>45</sup> *Sacrosanctum Concilium*, n. 35, 2.

<sup>46</sup> Cf. *ibid.*, nn. 6 et 47.

<sup>47</sup> Cf. Paulus VI, Litt. Enc. *Mysterium Fidei*, 3 sept. 1965: AAS 57 (1965) 753; *Ad gentes*, n. 9; Paulus VI, Adh. Apost. *Evangelii nuntiandi*, 8 decembris 1975, n. 43: AAS 69 (1976) 33-34.

<sup>48</sup> Cf. *Sacrosanctum Concilium*, n. 35, 2; Institutio Generalis Missalis Romani, n. 41.

<sup>49</sup> *Sacrosanctum Concilium*, n. 10.

<sup>50</sup> Cf. Ioannes Paulus II, Adh. Apost. *Catechesi tradendae*, 16 octobris 1979, n. 48: AAS 71 (1979) 1316.

<sup>51</sup> Cf. Institutio Generalis Missalis Romani, n. 165.

milia haberi debet nec omitti potest nisi gravi de causa<sup>a</sup> in omnibus Missis, quae concurrente populo celebrantur. <sup>52</sup>

[XXII] Etiam in Missis cum pueris et cum coetibus particularibus habenda est homilia. <sup>53</sup>

Homilia valde commendatur in feriis Adventus, Quadragesimae et temporis paschalis pro fidelibus qui modo regulari celebrationem Missae participant, necnon in aliis festis et occasionibus in quibus populus frequentior ad ecclesiam convenit. <sup>54</sup>

4082 (26) Sacerdos celebrans homiliam profert ad sedem, stans vel sedens vel in ipso ambone. <sup>55</sup>

4083 (27) Ab homilia sane secernendae sunt breves annuntiationes populo forte faciendae, quae locum habere debent dicta oratione post communionem. <sup>56</sup>

e) DE SILENTIO

4084 (28) Liturgia verbi ita celebranda est ut faveat meditationi, ideo plane vitanda est omnis forma festinationis quae recollectionem impediat. Dialogus inter Deum et homines, Spiritu Sancto fovente, requirit brevissima momenta silentii, coetui congregato accommodata, quibus Dei Verbum corde percipiatur, ac responsio per orationem praeparetur. Quae momenta silentii in liturgia verbi opportune servari possunt exempli gratia ante quam inchoetur ipsa verbi liturgia, post primam et secundam lectionem, peracta denique homilia. <sup>57</sup>

f) DE FIDEI PROFESSIONE

4085 (29) Symbolum seu professio fidei iuxta rubricas dicendum, in celebratione Missae eo tendit ut coetus congregatus verbo Dei, in lectionibus et in homilia audito, assentiat et respondeat et regulam fidei, formula ab Ecclesia probata, in mentem revocet antequam mysterium fidei in Eucharistia celebrare incipiat. <sup>58</sup>

<sup>52</sup> Cf. Institutio Generalis Missalis Romani, n. 42, et etiam SRC, Instr. *Eucharisticum mysterium*, 25 maii 1967, n. 28: AAS 59 (1967) 556-557.

<sup>53</sup> Cf. SCCD, Instr. *Actio pastoralis*, 15 maii 1969, n. 6 g: AAS 61 (1969) 809; Directorium de Missis cum pueris, 1 novembris 1973, n. 48: AAS 66 (1974) 44.

<sup>54</sup> Cf. Institutio Generalis Missalis Romani, nn. 42, 338; *Rituale Romanum* ex Decreto Sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani II instauratum, auctoritate Pauli PP. VI promulgatum, *Ordo celebrandi Matrimonium* (Typis Polyglottis Vaticanis 1969), nn. 22, 42, 57; *Ordo Exsequiarum* (Typis Polyglottis Vaticanis 1969) nn. 41, 64.

<sup>55</sup> Cf. Institutio generalis Missalis Romani, n. 97.

<sup>56</sup> Cf. *ibid.*, n. 139.

<sup>57</sup> Cf. *ibid.*, n. 23.

<sup>58</sup> Cf. *ibid.*, n. 43.

---

<sup>a</sup> In ed. typ. altera verba «nec omitti potest nisi gravi de causa» desunt, quae ex CIC can. 767 § 2 desumpta sunt (cf. N 20 [1983] 543).

g) DE ORATIONE UNIVERSALI SEU ORATIONE FIDELIUM

(30) In oratione universali fidelium coetus in lumine verbi Dei, cui 4086  
quodammodo respondet, de more orat pro totius Ecclesiae et localis  
communitatis necessitatibus, pro mundi salute et quacumque oppres-  
sis difficultate, pro certis hominum coetibus.

Sub ductu ipsius celebrantis opportune coetui a diacono vel ministro  
vel ab aliquibus fidelibus proponuntur breves et sapienti libertate com-  
po[XXIII]sitae petitiones, quibus «populus, sui sacerdotii munus exer-  
cens, deprecatur pro omnibus hominibus»,<sup>59</sup> ita ut fructus liturgiae  
verbi in seipso complens aptius ad liturgiam eucharisticam transire  
possit.

(31) Orationem universalem moderatur celebrans a sede, intentiones 4087  
vero ex ambone proferuntur.<sup>60</sup>

Coetus congregatus stans orationem participat dicens vel cantans invo-  
cationem communem post intentiones prolatas aut sub silentio  
orans.<sup>61</sup>

2. De iis quae ad verbi liturgiam rite celebrandam conducunt

a) DE LOCO AD VERBUM DEI PROCLAMANDUM

(32) In aula ecclesiae haberi debet locus elevatus, stabilis, congrue dis- 4088  
positus et convenienter nobilis, qui simul respondeat dignitati verbi  
Dei, clare fidelibus in memoriam revocet in Missa mensam tum verbi  
Dei tum Corporis Christi parari,<sup>62</sup> optime denique ad fidelium audi-  
tionem et attentionem, inter liturgiam verbi, adiuvandam. Ideo stu-  
dendum est pro cuiusque ecclesiae structura, congruentiae ac coniunc-  
tioni ambonis cum altare.

(33) Qui ambo convenienter pro sua structura modo stabili vel occa- 4089  
sionaliter, saltem diebus sollemnibus, sobrie decoretur.  
Cum ambo locus sit ex quo verbum Dei per ministros annuntiatur, lec-  
tionibus, psalmo responsorio et praeconio paschali sua natura reserva-  
ri debet. Homilia tamen et oratio fidelium ex ambone proferri possunt  
ex intima conexione harum partium cum tota liturgia verbi. Minus ve-  
ro congruit ad ambonem alios ascendere, v.g. commentatorem, canto-  
rem aut moderatorem cantus.<sup>63</sup>

(34) Ut ambo celebrationibus apto modo inserviat amplus sit, cum 4090  
aliquando super eum sistere debeant plures ministri. Insuper curan-  
dum est ut lectores in ambone sufficienti illuminatione ad textum le-  
gendum gaudeant et, pro opportunitate, hodierna instrumenta techni-  
ca adhibere possint ut a fidelibus commode audiri valeant.

<sup>59</sup> Cf. *ibid.*, n. 45.

<sup>60</sup> Cf. *ibid.*, n. 99.

<sup>61</sup> Cf. *ibid.*, n. 47.

<sup>62</sup> Cf. *supra*, nota 23.

<sup>63</sup> Cf. *Institutio Generalis Missalis Romani*, n. 272.

b) DE LIBRIS AD VERBUM DEI IN CELEBRATIONIBUS NUNTIANDUM

- 4091 (35 ) Libri, e quibus sumuntur lectiones verbi Dei, simul cum ministris, actionibus, locis et aliis rebus, excitant audientibus memoriam praesentiae Dei populo suo loquentis. Curandum igitur est ut etiam libri, cum sint in actione liturgica rerum supernarum signa et symbola, sint vere digni, decori et pulchri. <sup>64</sup>
- 4092 [XXIV] (36) Cum Evangelii nuntius ipsius verbi liturgiae apex semper existat, inter libros lectionum aliquam distinctionem utraque traditio liturgica, Occidentis nempe et Orientis, constanter induxit. Liber enim Evangeliorum maxima cura conficiebatur, ornabatur et in veneratione habebatur prae alio vel aliis lectionum libris. Valde igitur convenit ut nostra quoque aetate in cathedralibus et maioribus ac magis frequentatis saltem paroeciis et ecclesiis Evangeliarium pulchre ornatum habeatur distinctum ab alio lectionum libro. Qui liber iure diacono in ordinatione traditur, et super caput electi in episcopali ordinatione imponitur ac sustinetur. <sup>65</sup>
- 4093 (37) Libri lectionum denique qui in celebratione adhibentur, ex dignitate verbi Dei, ne commutentur cum aliis subsidiis pastoralibus, v. gr. foliis pro fidelibus ad lectiones praeparandas vel personaliter meditando confectis.

Caput III. DE OFFICIIS ET MINISTERIIS IN CELEBRATIONE  
LITURGIAE VERBI INTRA MISSAM

1. De munere praesidis in liturgia verbi

- 4094 [XV] (38) Qui liturgiae verbi praest, intimum quod continet nutrimentum cum fidelibus, praesertim in homilia communicans, etsi auscultans et ipse verbum Dei ab aliis proclamatum, manet semper primus cui munus est traditum verbum annuntiandi. Cum per se vel per alios curaverit ut apto modo verbum Dei proclametur, sibi de more relinquit aliquas monitiones contexere ad attentioem fidelium auditionem reddendam et, praecipue, homiliam ad fecundioem verbi Dei perceptionem in iisdem fovendam, facere.
- 4095 (39) Necessarium est ut et in primis qui praeesse debet celebrationi, optime cognoscat Ordinis lectionum structuram ut sciat fructus in fidelium cordibus elicere et insuper, oratione et studio, plene percipiat convenientiam et connexionem inter varios textus liturgiae verbi ut ex Ordine lectionum Christi mysterium et opus eius salutiferum recte intellegantur.

<sup>64</sup> Cf. *Sacrosanctum Concilium*, n. 122.

<sup>65</sup> Cf. *Pontificale Romanum* ex Decreto Sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani II restauratum, auctoritate Pauli PP. VI promulgatum, *De Ordinatione Diaconi, Presbyteri et Episcopi* (Typis Polyglottis Vaticanis 1968), 28, n. 24; 58, n. 21; 85, n. 24; 70, n. 25.

(40) Is qui praest variis facultatibus libenter utatur in Lectionario propositis quoad lectiones, responsa, psalmos responsorios, acclamationes ad Evangelium, <sup>66</sup> sed concordī animo <sup>67</sup> inter omnes quorum interest, auditis quoque fidelibus in iis quae ad ipsos pertinent. <sup>68</sup> 4096

(41) Munus proprium et ministerium verbi Dei praeses exercet etiam cum homiliam pronuntiat. <sup>69</sup> Ipsa enim fratres suos ad sapidam intelligentiam Scripturae sacrae ducit, fidelium animos gratiarum actioni aperit circa Dei mirabilia, praesentium fidem circa verbum quod in celebratione per Spiritum Sanctum fit sacramentum alit, eos denique ad communionem fructuosam praeparat, eosdem ad postulata vitae christianae assumenda invitat. 4097

(42) Ad praesidem pertinet aliquando monitionibus introducere fideles in verbi liturgiam antequam lectiones proclamantur. <sup>70</sup> Quae monitiones sane [XXVI] iuvare coetum congregatum poterunt quo melius auscultent Dei verbum, cum suscitent fidei et bonae voluntatis habitum. Quod munus exercere potest etiam per alios, v. gr. diaconum vel commentatorem. <sup>71</sup> 4098

(43) Praeses orationem universalem moderans, et ad illius celebrationis lectiones et homiliam, si fieri potest, monitione et conclusionis oratione conectens, fideles ad liturgiam eucharisticam conducit. <sup>72</sup> 4099

## 2. De officio fidelium in liturgia verbi

(44) Verbo Christi populus Dei coadunatur, augetur, nutritur, «quod praecipue valet pro liturgia verbi in Missarum celebratione, in qua inseparabiliter uniuntur annuntiatio mortis et resurrectionis Domini, responsum populi audientis et oblatio ipsa qua Christus Novum Foedus confirmavit in Sanguine suo, cui oblationi fideles, et votis et sacramenti perceptione, communicant». <sup>73</sup> Etenim, «non solum quando leguntur 'quae ad nostram doctrinam scripta sunt' (Rom. 15, 4), sed etiam dum Ecclesia vel orat vel canit vel agit, participantium fides alitur, mentes in Deum excitantur ut rationabile obsequium Ei praestent, gratiamque eius abundantius recipiant». <sup>74</sup> 4100

(45) In liturgia verbi, per auditum fidei hodie etiam christifidelium congregatio verbum foederis a Deo suscipit, cui quidem verbo eadem debet respondere fide ut in dies magis populus novi Foederis fiat. Populus Dei ius habet spiritale verbi Dei thesaurum abunde accipiendi: 4101

<sup>66</sup> Cf. *infra*, Praenotanda, nn. 78-91, XXXV-XXXIX.

<sup>67</sup> Cf. *Institutio Generalis Missalis Romani*, nn. 318-320; 324-325.

<sup>68</sup> Cf. *ibid.*, n. 313.

<sup>69</sup> Cf. *ibid.*, n. 42; SCSCD, *Instr. Inaestimabile donum*, 3 aprilis 1980, n. 3: AAS 72 (1980) 334.

<sup>70</sup> Cf. *Institutio Generalis Missalis Romani*, n. 11.

<sup>71</sup> Cf. *ibid.*, n. 68.

<sup>72</sup> Cf. *ibid.*, nn. 33, 47.

<sup>73</sup> *Presbyterorum ordinis*, n. 4.

<sup>74</sup> *Sacrosanctum Concilium*, n. 33

quod etiam usu Ordinis lectionum Missae, homiliis et pastorali actione ad effectum adducitur.

Fideles autem in Missarum celebratione, Dei verbum illa interiore et exteriori audiant veneratione quae in illos spiritualis vitae incrementa in dies inducat et eos in mysterium quod celebratur arctius inserat.<sup>75</sup>

4102 (46) Ut alacri animo Memoriale Domini celebrare valeant, fideles sentiant unam quidem esse Christi praesentiam, tum in verbo Dei «siquidem ipse loquitur dum sacrae Scripturae in Ecclesia leguntur», tum vero «maxime sub speciebus eucharisticis».<sup>76</sup>

4103 (47) Verbum Dei, ut suscipiatur et in christifidelium vitam inducatur, fidem vivam postulat,<sup>77</sup> quae fides auditu verbi Dei proclamati sine intermissione excitatur.

Sacrae Scripturae enim, prae primis in liturgica proclamatione, fons sunt vitae et virtutis, Apostolo testante Evangelium virtutem esse in salu[XXVII]tem omni credenti;<sup>78</sup> quapropter Scripturarum dilectio totius populi Dei vigor est et renovatio.<sup>79</sup> Oportet itaque ut omnes prorsus christifideles ad Dei verbum cum gaudio audiendum iugiter se disponant.<sup>80</sup> Verbum Dei, cum ab Ecclesia annuntiatur et in vitae proxim inducitur, fideles Spiritu agente illuminat et in totum Domini mysterium ad rem deducendum trahit.<sup>81</sup> Dei enim verbum fideliter perceptum, cor eiusque dispositiones ad conversionem et ad vitam quae fide splendeat, singulari et communitaria, excitat,<sup>82</sup> cum et christianae vitae sit cibus et totius Ecclesiae precationis fons.<sup>83</sup>

4104 (48) Intima autem coniunctio liturgiae verbi cum liturgia eucharistica in Missarum celebratione adducet fideles ut celebrationi inde ab initio intersint<sup>84</sup> necnon ad attentam participationem et, quantum fieri potest, praeparatam auditionem, praesertim per profundiolem sacrae Scripturae cognitionem antea acquisitam; atque insuper desiderium suscitabit liturgicam textuum, qui leguntur, intellegentiam assequendi voluntatemque per cantum respondendi.<sup>85</sup>

Sic etiam verbo Dei audito et meditatione considerato, christifideles actuosam responsionem fide, spe, caritate repletam, oratione et sui ipsius oblatione, non solum intra celebrationem, sed etiam in tota sua vita christiana reddere possunt.

<sup>75</sup> Cf. *Institutio Generalis Missalis Romani*, n. 9.

<sup>76</sup> *Sacrosanctum Concilium*, n. 7.

<sup>77</sup> Cf. *ibid.*, n. 9.

<sup>78</sup> Cf. *Rom.* 1, 16.

<sup>79</sup> Cf. *Dei Verbum*, n. 21.

<sup>80</sup> Cit. in *Dei Verbum*, n. 21.

<sup>81</sup> Cf. *Io.* 14, 15-26; 15, 26 — 16, 4. 5-15.

<sup>82</sup> Cf. *Ad gentes*, nn. 6 et 15; et etiam *Dei Verbum*, n. 26.

<sup>83</sup> Cf. *Sacrosanctum Concilium*, n. 24; et etiam SCC, *Directorium catechisticum generale*, 11 aprilis 1971, n. 25: AAS 64 (1972) 114.

<sup>84</sup> Cf. *Sacrosanctum Concilium*, n. 56; et etiam SCSCD, *Instr. Inaestimabile donum*, 3 aprilis 1980, n. 1: AAS 72 (1980) 333-334.

<sup>85</sup> Cf. *Sacrosanctum Concilium*, nn. 24 et 35.



### 3. De ministeriis in liturgia verbi

- (49) Traditio liturgica munus legendi lectiones biblicas in celebratione Missae tribuit ministris: lectoribus, diacono. Deficiente tamen diacono vel alio sacerdote, ipse sacerdos celebrans Evangelium legat,<sup>86</sup> et, absente etiam lectore, omnes lectiones.<sup>87</sup> 4105
- (50) Ad diaconum in Missae liturgia verbi, pertinet nuntiare Evangelium, homiliam pro opportunitate aliquando habere, et ad populum dirigere intentiones orationis universalis.<sup>88</sup> 4106
- [XXVIII] (51) «Lector proprium munus in celebratione eucharistica habet, quod ipse per se exercere debet, quamvis adsint ministri ordinis superioris». <sup>89</sup> Ministerium lectoris, ritu liturgico collatum, in honore habendum est. Lectores instituti, si adsunt, proprio munere fungantur saltem diebus dominicis et festis praesertim in principali celebratione. Illis concredi poterit etiam officium adiuvandi in ordinanda verbi liturgia, et, quatenus opus sit, praeparationem curandi aliorum fidelium qui ex temporanea deputatione in celebratione Missae lectiones legant.<sup>90</sup> 4107
- (52) Coetus liturgicus indiget lectoribus, etsi non ad hoc munus institutis. Curandum igitur est ut habeantur aliqui laici, magis idonei, qui parati sint ad hoc ministerium implendum.<sup>91</sup> Cum plures lectores habeantur et plures lectiones sint legendae expedit eas inter illos distribuere. 4108
- (53) In Missis sine diacono munus dirigendi intentiones orationis universalis committatur cantori, praesertim quando modulandae sunt, lectori vel alii.<sup>92</sup> 4109
- (54) Alius sacerdos, diaconus et lector ministerio proprio institutus cum ad legendum verbum Dei in celebratione Missae cum populo ambonem ascendunt veste sacra muneri propria uti debent. Illi vero qui ministerium lectoris per modum actus vel etiam ordinarie implent, habitu communi ad ambonem ascendere possunt, servatis tamen consuetudinibus variarum regionum. 4110
- (55) «Ut fideles, ex auditione lectionum divinarum suavem ac vivum sacrae Scripturae affectum in corde concipiant, necesse est ut lectores 4111

<sup>86</sup> Cf. Institutio Generalis Missalis Romani, n. 34.

<sup>87</sup> Cf. *ibid.*, n. 96.

<sup>88</sup> Cf. *ibid.*, nn. 47, 61, 132; SCSCD, Instr. *Inaestimabile donum*, 3 aprilis 1980, n. 3: AAS 72 (1980) 334.

<sup>89</sup> Institutio Generalis Missalis Romani, n. 66.

<sup>90</sup> Cf. Paulus VI, Litt. Apost. *Ministeria quaedam*, 15 augusti 1972, n. V: AAS 64 (1972) 532.

<sup>91</sup> Cf. SCSCD, Instr. *Inaestimabile donum*, 3 aprilis 1980, nn. 2 et 18: AAS 72 (1980) 334; cf. etiam SCCD, Directorium de Missis cum pueris, 1 novembris 1973, nn. 22, 24, 27: AAS 66 (1974) 43.

<sup>92</sup> Cf. Institutio Generalis Missalis Romani, nn. 47, 66, 151; cf. etiam Consilium ad exsequendam Constitutionem de sacra Liturgia, *De oratione communi seu fidelium*, (Città del Vaticano 1966) n. 8.

tale ministerium exercentes, etsi institutionem non receperunt, revera apti sint et sedulo praeparati». <sup>93</sup>

Quae praeparatio in primis spiritalis esse debet, sed necessaria est praeparatio quae technica vocatur. Praeparatio spiritalis supponit saltem duplicem institutionem biblicam et liturgicam. Institutio biblica extendere debet ut lectores possint lectiones in proprio contextu comprehendere, et centrum nuntii revelati lumine fidei intellegere. Liturgica institutio lectoribus praebere debet facultatem aliquam percipiendi sensum et structuram liturgiae verbi ac rationes connexionis inter verbi liturgiam et liturgiam eucharisticam. Praeparatio technica lectores aptiores in dies reddere debet ad artem coram populo legendi sive viva voce, sive ope instrumentorum recentium ad vocem amplificandam.

- 4112 [XXIX] (56) Psalmistae, seu cantoris psalmi, est cantare modo responsoriali vel directo psalmum vel aliud canticum biblicum, graduale et 'Alleluia', vel alium cantum qui inter lectiones inveniuntur. 'Alleluia' et versum, ipse, pro opportunitate, inchoare potest. <sup>94</sup>

Ad hoc munus psalmistae implendum multum expedit habere in unaquaque communitate ecclesiali laicos et arte psallendi et facultate verba recte pronuntiandi ac dicendi praeditos. Quae supra dicta sunt de lectorum formatione valent etiam pro cantoribus psalmi.

- 4113 (57) Etiam commentator coetui fidelium proponens ex apto loco explanationes et admonitiones oportunas, claras, sobrietate perspicuas, admissim praeparatas, de more scriptas et a celebrante antea approbatas, verum ministerium liturgicum exercet. <sup>95</sup>

## PARS ALTERA. DE STRUCTURA ORDINIS LECTIONUM MISSAE

### Caput IV. DE LECTIONUM MISSAE ORDINATIONE GENERALI

#### 1. De fine pastoralis Ordinis lectionum Missae

- 4114 [XXX] (58) Ordo lectionum, quem Missalis Romani Lectionarium praebet, ex ipsa mente Concilii Vaticani II, confectus est imprimis ad finem pastorem. Ad quem attingendum non solum principia quibus novus Ordo innitur, sed ipsi quoque elenchi textuum qui infra ponuntur, iterum iterumque excussa et perpolita sunt cooperantibus ex toto orbe terrarum permultis viris in re exegetica, liturgica, catechetica et pastoralis peritis. Ordo est fructus huius communis laboris. Spes est fore ut diuturna lectio et explanatio sacrae Scripturae populo christiano in celebratione eucharistica ex Ordine lectionum facienda, magna cum efficacia conferat ad finem obtinendum a Concilio Vaticano II iterum atque iterum propositum. <sup>96</sup>

<sup>93</sup> Institutio Generalis Missalis Romani, n. 66.

<sup>94</sup> Cf. *ibid.*, nn. 37a et 67.

<sup>95</sup> Cf. *ibid.*, n. 68.

<sup>96</sup> Cf. v.g. Paulus VI, Const. Apost. *Missale Romanum*: «Quae sane omnia hoc modo ordinata sunt, ut magis ac magis in christifidelibus ea verbi Dei fames exstimuletur, qua, Spi-

(59) Hac in instauratione visum est unicum Ordinem lectionum componere ac conficere, locupletem refertumque, maxime consentaneum Concilii Vaticani II voluntati et praeceptis,<sup>97</sup> at simul qui pro sua forma ad quaedam postulata et usum Ecclesiarum particularium coetuumque celebrantium accommodaretur. Hac ratione, qui operi instaurationis incumbere curaverunt tutelam traditionis liturgicae ritus Romani, plurimi aestimantes vim omnium formarum selectionis, dispositionis ac usus lectionum biblicarum in aliis familiis liturgicis et quibusdam Ecclesiis parti[XXXI]cularibus, utentes iis quae experimento comprobata erant, at simul nitentes quosdam defectus, qui in praecedenti forma traditionis aderant, vitare. 4115

(60) Praesens igitur Ordo lectionum Missae est lectionum biblicarum dispositio, quae christifidelibus praebet cognitionem universi Dei verbi, iuxta congruentem enodationem. Toto anno liturgico, sed praecipue temporibus Paschae, Quadragesimae et Adventus, lectionum selectio et ordo eo tendunt ut christifideles gradatim fidem, quam profitentur, et salutis historiam profundius agnoscant.<sup>98</sup> Hac ratione Ordo lectionum necessitatibus ac studiis populi christiani respondet. 4116

(61) Quamvis autem actio liturgica ex se non sit forma aliqua catecheseos, rationem tamen didacticam continet quae etiam in Missalis Romani Lectionario exprimitur,<sup>99</sup> ita ut iure haberi possit paedagogicum instrumentum ad catechesim fovendam. 4117

Etenim Ordo lectionum Missae gesta verbaque praecipua historiae salutis ex Scriptura sacra congruo modo praebet, ut ipsa historia salutis, quae in compluribus suis momentis et eventibus pedetentim liturgia verbi in memoriam revocantur, fidelibus appareat tamquam id quod actu continuatur in repraesentatione mysterii paschalis Christi, per Eucharistiam celebrati.

(62) Convenienter etiam ex alio capite intellegitur utilitas pastoralis unius Ordinis lectionis Lectionarii Missae in ritu Romano ut fideles omnes, praesertim qui multis ex causis non semper eundem coetum participant, ubique certis diebus et temporibus easdem lectiones auscultent atque concretis adiunctis applicatas meditentur, etiam in locis 4118

ritu Sancto duce, novi foederis populus ad perfectam Ecclesiae unitatem veluti urgeri videatur. Hisce ita compositis, illud etiam vehementer fore confidimus, ut sacerdotes et fideles simul sanctius animum suum ad Cenam Domini praeparent, simul, sacras Scripturas, altius meditati, verbis Domini uberius in dies alantur. Exinde denique sequitur, ut, iuxta Concilii Vaticani II monita, divinae litterae quasi quidam spiritualis vitae fons perennis, sive praecipuum christianae doctrinae tradendae argumentum, sive demum cuiusvis theologiae institutionis medulla ab omnibus habeantur», in *Missali Romano*, ex Decreto Sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani II instaurato, auctoritate Pauli PP. VI promulgato (Typis Polyglottis Vaticanis 1972), 15.

<sup>97</sup> Cf. *Sacrosanctum Concilium*, nn. 35 et 51.

<sup>98</sup> Cf. Paulus VI, Const. Apost. *Missale Romanum*: «enucleatus mysterii salutis continuus processus illustratur, verbis Dei revelatis demonstratus», in *Missali Romano*, o.c. 15.

<sup>99</sup> Cf. *Sacrosanctum Concilium*, nn. 9, 33; SRC, Inst. *Inter Oecumenici*, 26 sept. 1964, n. 7: AAS 56 (1964) 878; Ioannes Paulus II, Adh. Apost. *Catechesi tradendae*, 16 octobris 1979, n. 23: AAS 71 (1979) 1296-1297.

quae sacerdote carent, ubi diaconus vel alius ab Episcopo delegatus celebrationem verbi Dei moderatur. 100

- 4119 (63) Pastores, qui dare volunt quaestionibus propriorum coetuum aliquam peculiarem responsionem ex Dei verbo, memores se esse debere imprimis integri Christi mysterii et Evangelii praecones, convenienter uti possunt optionibus in ipso Ordine lectionum Missae propositis, praesertim data occasione celebrationis alicuius Missae ritualis, votivae, vel in honorem Sanctorum, vel pro diversis circumstantiis. Attentis normis generalibus, facultates particulares conceduntur circa lectiones verbi Dei in celebrationibus Missae pro coetibus particularibus. 101

## 2. De principiis in Ordine lectionum Missae exarando

- 4120 [XXXII] (64) Ad Ordinis lectionum Missae finem attingendum partes ita electae et dispositae sunt ut ratio haberetur sive successione temporum liturgicorum, sive et principiorum hermeneuticorum quae exegetica studia nostrorum temporum deprehendere ac definire siverunt.

Expedire ideo visum est principia, quae in Ordinis lectionum Missae confectione servata sunt, hic referre.

### a) DE ELECTIONE TEXTUUM

- 4121 (65) Cursus lectionum in «Proprio de tempore» sic dispositus est: diebus dominicis et festis proponuntur loci maioris momenti, ut partes praestantiores verbi Dei infra congruum temporis spatium coram fidelium coetu legi possint. Altera deinde series textuum sacrae Scripturae, quibus nuntius salutis diebus festis explanatus quodammodo completur, proponitur pro feriis. Attamen harum praecipuarum partium Ordinis lectionum neutra series, nempe dominicalis-festiva et series ferialis, ex altera pendet. Immo, Ordo lectionum dominicalis-festivus per triennium explicatur, ferialis autem per biennium. Unde Ordo lectionum dominicalis-festivus seiunctus procedit a feriali, et vicissim. Cursus vero propositus lectionum aliarum partium Ordinis lectionum, cuius modi sunt series lectionum pro celebrationibus Sanctorum, pro Missis ritualibus vel pro variis necessitatibus, vel votivis, vel pro Missis defunctorum propriis legibus regitur.

### b) DE ORDINATIONE LECTIONUM PRO DOMINICIS ET FESTIS

- 4122 (66) Notae Ordinis lectionum pro dominicis et festis hae sunt:  
1. Quaelibet Missa tres exhibet lectiones: primam e Vetere Testamento, alteram ex Apostolo (id est aut ex Epistolis, aut ex Apocalypsi, iuxta diversa tempora anni), tertiam ex Evangelio. Hac distributione

100 Cf. *Sacrosanctum Concilium*, n. 35, 4; SRC, Instr. *Inter Oecumenici*, 26 sept. 1964, nn. 37-38: AAS 56 (1964) 884.

101 Cf. SCCD, Instr. *Actio pastoralis*, 15 maii 1969, n. 6: AAS 61 (1969) 809; *Directorium de Missis cum pueris*, 1 novembris 1973, nn. 41-47: AAS 66 (1974) 43; Paulus VI, Adh. Apost. *Marialis Cultus*, 2 februarii 1974, n. 12: AAS 66 (1974) 125-126.

illustratur unitas utriusque Testamenti et historiae salutis, cuius centrum est Christus in suo paschali mysterio recolendus.

2. Varior et abundantior sacrae Scripturae lectio in dominicis et festis ex eo etiam oritur quod pro his diebus cyclus trium annorum proponitur, ita ut iidem textus solummodo quarto quoque anno legantur. <sup>102</sup> [XXXIII] 3. Principia quae regunt Ordinem lectionum pro diebus dominicis et festis ea sunt quae «compositionis harmonicae» vel «lectionis semicontinuae» vocantur. Unum vel aliud principium adhibetur, secundum diversa anni tempora et cuiusque temporis liturgici notas peculiares.

(67) Optima compositio harmonica inter lectiones Veteris et Novi Testamenti tunc habetur, cum eadem ab ipsa Scriptura innuitur, quatenus scilicet doctrina et facta quae exponuntur in textibus Novi Testamenti relationem plus minusve explicitam habent ad doctrinam et facta Veteris Testamenti. In praesenti Ordine lectionum, textus Veteris Testamenti seliguntur imprimis ob eorum congruentiam cum textibus Novi Testamenti, praesertim vero cum Evangelio, qui in eadem Missa leguntur. 4123

Alius generis compositio inter textus lectionum singularum Missarum invenitur tempore Adventus, Quadragesimae et Paschae, id est iis temporibus, quae momento vel nota peculiari pollent.

E contra, in dominicis «per annum», quae notam peculiarem prae se non ferunt, textus tum lectionis apostolicae tum Evangelii iuxta ordinem lectionis semicontinuae disponuntur, cum lectio e Vetere Testamento harmonice componitur cum Evangelio.

(68) Quod autem illis temporibus, de quibus supra, conveniens erat, visum non est extendere ad dies dominicos ita ut in eis haberetur aliqua compositio thematum ad homileticam instructionem faciliorem reddendam. Repugnat enim tali compositioni germana conceptio ipsius actionis liturgicae quae semper celebratio mysterii Christi est et quae ex propria traditione verbo Dei utitur non tantum sollicitudinibus rationalibus vel exterioribus mota, sed cura Evangelii nuntiandi credentesque in omnem veritatem inducendi. 4124

<sup>102</sup> Singuli anni notantur litteris A, B, C. Ad statuendum autem quinam sit annus A, vel B, vel C, hoc modo proceditur. Per litteram C designatur annus cuius numerus in tres partes aequales dividi potest, quasi cyclus ab anno primo computi christiani initium sumpsisset. Sic annus 1 fuisset annus A, annus 2 annus B, annus 3 annus C, et anni 6, 9, 12... iterum annus C. Ita v. g. annus 1980 est annus C, annus vero sequens, scilicet annus 1981, est annus A, annus vero 1982 est annus B, et annus 1983 est iterum annus C. Et sic deinceps. Patet tamen singulos cyclos decurrere iuxta dispositionem anni liturgici, nempe a prima hebdomada Adventus, quae cadit in anno civili praecedente.

Anni uniuscuiusque cycli quodammodo efficiuntur ex praecipua nota illius Evangelii synoptici quod «per annum» lectione semicontinua usurpatur. Sic primus cycli annus dicitur et est annus legendi *Matthaeum*, ceteri vero, secundus nempe et tertius, respective annus legendi *Marcum* et annus legendi *Lucam*.

c) DE ORDINATIONE LECTIONUM PRO FERIIS

- 4125 (69) Lectionum ordinatio pro feriis hac ratione facta est:
1. Quaelibet Missa duas exhibet lectiones: priorem e Vetere Testamento vel ex Apostolo (idest aut ex Epistolis aut ex Apocalypsi), tempore autem paschali ex Actibus Apostolorum, secundam ex Evangelio.
  2. Cyclus annualis pro tempore Quadragesimae principiis peculiari- bus ordinatur, quae rationem habent notarum ipsius temporis, eius nempe indolis baptismalis et paenitentialis.
  3. Pro feriis Adventus, temporis Nativitatis et paschalis cyclus eodem modo annualis est: lectiones ideo non mutantur.
  4. Pro feriis vero triginta quattuor hebdomadarum «per annum» lec- tiones evangelicae unico disponuntur cyclo, qui singulis annis resumi- tur. Prior vero lectio, in duplici cyclo ordinatur, alternis annis legenda. Annus primus adhibetur annis imparibus, annus secundus vero annis paribus.
- [XXXIV] Sic etiam in Ordine lectionum pro feriis, sicut pro domini- cis et festis, principia compositionis harmonicae et lectionis semiconti- nuae simili ratione usurpantur, cum praesertim agitur de temporibus notas peculiare praeseferentibus.

d) DE LECTIONIBUS PRO CELEBRATIONIBUS SANCTORUM

- 4126 (70) Pro celebrationibus Sanctorum duplex proponitur series lectio- num:
1. Altera in Proprio, pro sollemnitatibus, festis vel memoriis, praeser- tim si pro unoquoque ex iis textus proprii inveniuntur. Attamen ali- quis textus, qui magis congruit, ex iis qui in Communibus ponuntur, indicatur ut aliis praefendus.
  2. Altera vero, et quidem amplior, continetur in Communibus Sanc- torum. In hac parte, prius proponuntur textus magis proprii pro variis ordinibus Sanctorum (Martyribus, Pastoribus, Virginibus, etc.), dein- de vero plurimi textus qui de sanctitate in genere agunt, quique ad libi- tum adhiberi valent, quoties remittitur ad Communia pro lectionibus seligendis.
- 4127 Ad ordinem textuum quod attinet in hac parte, notare iuvabit, eos omnes una simul inveniri, secundum ordinem quo recitandi sunt. Prius igitur inveniuntur textus e Vetere Testamento, deinde textus ex Apo- stolo, postea psalmi et versus inter lectiones occurrentes, denique, tex- tus ex Evangelio. Ea autem ratione ita disponuntur, ut inter eos selec- tio fiat ad libitum celebrantis, prae oculis habitis necessitatibus pasto- ralibus coetus qui celebrationem participat, nisi aliter expresse note- tur.

e) DE LECTIONIBUS PRO MISSIS RITUALIBUS, PRO VARIIS NECESSITATIBUS, VOTIVIS ET DEFUNCTORUM

- 4128 (72) Eadem dispositio textuum lectionum invenitur pro Missis rituali- bus, pro variis necessitatibus, votivis et defunctorum. Plures nempe textus simul proponuntur, sicut in Communibus Sanctorum.

f) DE POTIORIBUS CRITERIIS IN SELIGENDIS ET ORDINANDIS LECTIONIBUS  
ADHIBITIS

(73) Praeter haec principia, quae ordinationem lectionum in singulis partibus Ordinis lectionum regunt, alia ordinis magis generalis habentur, quae sic possunt enuntiari: 4129

1) *De reservatione quorundam librorum secundum tempora liturgica*

(74) Ex momento intrinseco ipsius rei et ex traditione liturgica, in praesenti Ordine quidam libri Scripturae sacrae reservantur certis temporibus liturgicis. Servatur, v. g., traditio tam occidentalis (ambrosiana et hispanica) quam orientalis legendi Actus Apostolorum tempore paschali. Exinde optime illustratur totam vitam Ecclesiae a mysterio paschali initium sumere. Servatur pariter traditio sive occidentalis sive orientalis de legendi Evangelii Ioannis ultimis hebdomadis Quadragesimae et tempore paschali. 4130

[XXXV] Lectio Isaiae, praesertim primae partis, ex traditione assignatur tempori Adventus. Quidam tamen textus eiusdem libri leguntur tempore Nativitatis. Etiam prima Epistola Ioannis eidem tempori assignatur.

2) *De longitudine textuum*

(75) Circa longitudinem textuum via media servatur. Distinctio facta est inter narrationes, quae aliqua extensione textus indigent et de more a fidelibus attente audiuntur, et textus quos, propter doctrinae altitudinem, in longum protrahi non licet. 4131

Pro quibusdam vero textibus satis longis, duplex forma praevидetur, longior et brevior, pro opportunitate. In huiusmodi breviationibus conficiendis magna cautela adhibita est.

3) *De textibus difficilioribus*

(76) Ex ratione pastoralis vitantur in lectionibus, diebus dominicis et sollemnitatibus, textus biblici qui revera difficiliiores sunt, sive obiective eo quod altiora problemata litteraria, critica aut exegetica movent, sive etiam, quadamtenus saltem, eo quod a fidelibus difficilius intellegi possunt. Attamen divitias spirituales quorundam textuum non licuit fidelibus abscondi, eo quod ab eis difficilius capiantur, quando haec difficultas oritur sive ex insufficienti institutione christiana, qua nullus fidelis carere debet, sive ex insufficienti institutione biblica, qua omnis pastor animarum pollere debet. Non raro aliqua lectio difficilior redditur facilior ex harmonia cum alia lectione eiusdem Missae. 4132

4) *De omissione aliquorum versiculorum*

(77) Traditio multarum liturgiarum, ipsa liturgia Romana minime exclusa, aliquando consuevit in lectionibus Scripturae quosdam versiculos omittere. Ultro fatendum est huiusmodi omissiones non leviter fieri posse, ne sensus textus aut mens et quasi stilus Scripturae mutilentur. Attamen, cauto ut sensus revera in sua essentia integer maneat, visum 4133

est, ex ratione pastorali, etiam in praesenti Ordinis praedictam traditionem servare. Secus enim quidam textus plus aeque protraherentur, aut lectiones quae pro fidelibus non parvae, immo quandoque magnae utilitatis spiritalis existunt, ex integro omitti debuissent, eo quod contineant unum alterumve versiculum qui, sub aspectu pastorali, est minoris utilitatis aut quaestiones revera nimis difficiles secum fert.

### 3. De principiis in usu Ordinis lectionum adhibendis

#### a) DE FACULTATE SELIGENDI QUOSDAM TEXTUS

- 4134 (78) In Ordine lectionum facultas quandoque relinquitur celebranti seligendi unum vel alterum textum legendum, vel seligendi unum textum e pluribus qui simul pro eadem lectione proponuntur. Quod raro evenit diebus dominicis, in sollemnitatibus et festis, ne indoles propria alicuius [XXXVII] temporis liturgici evanescat, aut lectio semicontinua alicuius libri indebite abrumptur; e contra, huiusmodi facultas facilius datur in celebrationibus Sanctorum et in Missis ritualibus, pro variis necessitatibus, votivis et defunctorum. Hae facultates, simul cum aliis indicatis in Institutione generali Missalis Romani et in ordine cantus Missae,<sup>103</sup> finem habent pastorem. Sacerdos proinde in ordinanda liturgia verbi «ad commune bonum spiritale coetus, potius quam ad suum ingenium attendet. Memor sit insuper huiusmodi electionem partium concordi ratione esse faciendam cum ministris aliisque partem aliquam in celebratione exercentibus, fidelibus minime exclusis, in iis quae ad ipsos magis directo spectant».<sup>104</sup>

#### 1) Circa duas lectiones ante Evangelium

- 4135 (79) In Missis in quibus tres lectiones proponuntur, tres lectiones revera fiant. Attamen, si Conferentia Episcopalis, ob rationes pastorales, permiserit ut alicubi duae tantum lectiones habeantur,<sup>105</sup> electio inter duas priores tali ratione fiat, ne consilium plenius docendi fideles mysterium salutis evacuetur. Quapropter, nisi aliter suo loco caveatur, praefenda est e duabus prioribus lectionibus ea quae magis harmonice componitur cum Evangelio, vel ea quae, iuxta praedictum consilium, magis adjuvat ad organicam catechesim per aliquod tempus tradendam, vel ea quae potest lectionem semicontinua alicuius libri permittere.<sup>106</sup>

103 Cf. Institutio Generalis Missalis Romani, nn. 36-40; *Missale Romanum* ex Decreto Sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani II instauratum, auctoritate Pauli PP. VI promulgatum, *Ordo cantus Missae*, (Typis Polyglottis Vaticanis 1972), nn. 5-9.

104 Institutio Generalis Missalis Romani, n. 313.

105 *Ibid.*, n. 318; SCSCD, Instr. *Inaestimabile donum*, 3 aprilis 1980, n. 1: AAS 72 (1980) 333-334.

106 V. g. tempore Quadragesimae, continuitas lectionum Veteris Testamenti proponitur secundum evolutionem historiae salutis; vel in dominicis «per annum», proponitur lectio semicontinua alicuius Epistolae. Tunc expedit ut pastor animarum seligat unam vel alteram lectionem modo systematico per plures dominicas subsequentes, ut rationem harmoni-



2) *Circa formam longiorem vel brevior*

(80) Criterium item pastorale ducere debet ad electionem inter duas formas, quibus idem textus praebetur. Datur enim aliquando forma longior et forma brevior eiusdem textus. Tunc attendatur oportet ad facultatem fidelium auscultandi cum fructu lectionem magis vel minus longam; ad eorum facultatem audiendi textum magis completum, per homiliam explicandum. 4136

3) *Circa duos textus propositos*

(81) Quando autem facultas tribuitur seligendi inter unum vel alterum textum iam definitum, vel ad libitum propositum, attendendum erit ad utilitatem participantium, prout nempe agitur de adhibendo textu, qui [XXXVII] facilius est vel magis conveniens coetui congregato, vel de textu iterando vel reponendo, qui alicui celebrationi tamquam proprius assignatur, alteri vero tamquam ad libitum adhibendus, quoties utilitas pastoralis id suadeat. 4137

Quod evenire potest aut quando timeatur ne textus aliquis quasdam gignat difficultates in aliquo coetu, aut quando idem textus diebus proximioribus iterum legi debeat die dominica et in feria subsequenti.

4) *Circa lectiones pro feriis*

(82) In ordinatione lectionum pro feriis, textus proponuntur pro singulis diebus cuiusque hebdomadae per universum cursum anni: proinde hae lectiones plerumque sumentur, diebus quibus sunt assignatae, nisi occurrat sollemnitas vel festum vel memoria lectiones proprias habens. <sup>107</sup> 4138

In Ordine lectionum pro feriis adhibendo, animadvertere oportet utrum ex aliqua celebratione ea hebdomada occurrente, una alterave lectio eiusdem libri sit omittenda. Tunc praevideat sacerdos, prae oculis habita ordinatione lectionum totius hebdomadae, aut partes omittendas utpote minoris momenti, aut opportuniorem modum easdem partes cum aliis componendi, quando ipsae utilitatis sint ad conspectum totius argumenti praebendum.

5) *Circa celebrationes Sanctorum*

(83) Pro celebrationibus Sanctorum proponuntur, quando revera ad-sunt, lectiones propriae, id est quae de ipsa persona Sancti agunt vel mysterio de quo Missa celebratur. Hae lectiones, quamvis agatur de memoria, dici debent loco lectionum pro feriis occurrentium. Quoties de huiusmodi lectionibus agitur in memoria, id in hoc Ordine expresse suo loco indicatur. 4139

Dantur aliquando lectiones appropriatae, quae, scilicet, peculiarem aspectum vitae spiritalis aut actuositatis Sancti in luce ponunt. Quibus

cam catecheseos statuatur; minime vero decet ut sine ordine, nunc e Vetere Testamento nunc ex Epistola legatur, absque harmonica ordinatione textuum subsequentium.

<sup>107</sup> Cf. Institutio Generalis Missalis Romani, n. 319.

in casibus, usus harum lectionum non videtur urgendus, nisi ratio pastoralis id revera suadeat. Plerumque vero indicantur lectiones in Communibus exstantes, ut electio facilius evadat. Agitur tamen de suggestionibus: loco enim lectionis appropriatae vel simpliciter propositae, quaevis alia lectio seligi potest e Communibus indicatis. Sacerdos cum populo celebrans imprimis bono spiritali fidelium studebit, et cavebit ne iis suam propensionem imponat. Curabit praecipue ne frequentius et sine sufficienti causa lectiones omittat singulis diebus in Lectionario feriali assignatas: Ecclesia enim cupit ut ditior mensa verbi Dei pareatur fidelibus. <sup>108</sup>

Dantur praeterea lectiones communes, id est quae ponuntur in Communibus aut pro certo quodam ordine Sanctorum (v. g. Martyrum, Virginum, Pastorum) aut pro Sanctis in genere. Cum, his in casibus, plures [XXXVIII] textus pro eadem lectione proponantur, sacerdotis celebrantis erit illum seligere, qui audientibus magis conveniat. In omnibus celebrationibus, praeterquam e Communibus ad quae in singulis casibus remittitur, lectiones semper eligi possunt, quoties peculiaris ratio id suadeat, e Communi Sanctorum et Sanctarum.

- 4140 (84) Pro celebrationibus Sanctorum insuper attendendum est:
- a) In sollemnitatibus et festis semper adhibendae sunt lectiones quae in Proprio vel Communi ponuntur; celebrationibus calendarii generalis semper lectiones propriae assignantur.
  - b) In sollemnitatibus calendarium particularium tres lectiones proponantur, quarum prima e Vetere Testamento (tempore autem paschali ex Actibus Apostolorum vel Apocalypsi), altera vero ex Apostolo, tertia denique ex Evangelio, nisi Conferentia Episcopalis statuerit duas tantum esse habendas lectiones. <sup>109</sup>
  - c) In festis et in memoriis, quando nempe duae tantum habentur lectiones, prior lectio eligi potest aut e Vetere Testamento aut ex Apostolo; altera vero ex Evangelio. Attamen tempore paschali, iuxta traditum in Ecclesia morem, prior lectio seligatur ex Apostolo, altera, quantum fieri potest, ex Evangelio Ioannis.

6) Circa alias partes Ordinis lectionum

- 4141 (85) In Ordine lectionum pro Missis ritualibus iidem textus indicantur qui in singulis Ordinibus iam promulgati sunt, exceptis, ut patet, textibus qui ad celebrationes in Missam non inserendas pertinent. <sup>110</sup>
- 4142 (86) Ordo lectionum pro variis necessitatibus, votivis et defunctorum plures textus exhibet qui opportunum auxilium afferre possunt ad illas celebrationes adiunctis, circumstantiis et quaestionibus diversorum coetuum participantium accommodandas. <sup>111</sup>

<sup>108</sup> Cf. Institutio Generalis Missalis Romani, n. 316, c; *Sacrosanctum Concilium*, n. 51.

<sup>109</sup> Cf. Institutio Generalis Missalis Romani, n. 318.

<sup>110</sup> Cf. *Rituale Romanum* ex Decreto Sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani II instauratum, auctoritate Pauli PP. VI promulgatum. *Ordo Paenitentiae* (Typis Polyglottis Vaticanis 1974), Praenotanda, n. 13.

<sup>111</sup> Cf. Institutio Generalis Missalis Romani, n. 320.

(87) In Missis ritualibus, pro variis necessitatibus, votivis et defunctorum, cum plures proponuntur textus pro eadem lectione, electio fit iisdem criteriis supra descriptis pro eligendis lectionibus e Communi Sanctorum. 4143

(88) Quando aliqua Missa ritualis prohibetur, et, ex normis in unoquoque ritu indicatis, licet unam lectionem sumere ex iis quae pro Missis ritualibus proponuntur, attendendum est ad commune bonum spiritale participantium. <sup>112</sup> 4144

b) DE PSALMO RESPONSORIO ET ACCLAMATIONE ANTE LECTIONEM EVANGELII

[XXXIX] (89) Magni momenti est, inter hos cantus, psalmus, qui primam lectionem sequitur. De more sumatur psalmus qui lectioni assignatur, nisi agatur de lectionibus pro Communi Sanctorum, pro Missis ritualibus, pro variis necessitatibus, votivis et defunctorum, in quibus electio committitur ipsi sacerdoti celebranti, qui principio utilitatis pastoralis adstantium utetur. 4145

Attamen, ut populus responsum psalmodicum facilius proferre valeat, textus aliqui psalmodicorum et responsorum pro diversis temporibus anni aut pro diversis Sanctorum ordinibus electi in Ordine lectionum indicantur qui adhiberi valeant loco textus lectioni respondentis, quoties psalmus cantu profertur. <sup>113</sup>

(90) Alter cantus, post secundam lectionem ante Evangelium proferendus, aut in unaquaque Missa statuitur et componitur cum Evangelio, aut relinquitur eligendus intra seriem communem alicuius temporis vel Communis. 4146

(91) Tempore Quadragesimae, pro opportunitate adhiberi potest una ex acclamationibus infra propositis, <sup>114</sup> quae praecedit et sequitur verbum ante Evangelium. 4147

Caput V. ORDINIS LECTIONUM DESCRIPTIO

[XL] (92) Ad auxilium praestandum animarum pastoribus ad structuram Ordinis lectionum intellegendam, ita ut eiusdem usus vivus efficiatur et ex eo christifideles fructus haurire valeant, opportunum videtur Ordinis lectionum brevem descriptionem praebere, saltem quoad potiores celebrationes ac tempora diversa anni liturgici, quibus attentis selectae sunt lectiones iuxta regulas supra indicatas. 4148

<sup>112</sup> Cf. *ibid.*, n. 313.

<sup>113</sup> Cf. *infra*, in Ordine lectionum, nn. 173-174, 97-98.

<sup>114</sup> Cf. *infra*, in Ordine lectionum, n. 223, 130.

## 1. De tempore Adventus

### 4149 (93) a) DIEBUS DOMINICIS

Lectiones Evangelii notam propriam habent: referuntur ad adventum Domini in fine temporum (dominica prima), ad Ioannem Baptistam (dominicae secunda et tertia), ad eventus qui Nativitatem Domini proxime praeparaverunt (dominica quarta).

Lectiones Veteris Testamenti sunt prophetiae de Messia et tempore messianico, praesertim ex libro Isaiae.

Lectiones Apostoli exhortationes et praeconia secundum diversas notas huius temporis praebent.

### 4150 (94) b) IN FERIIS

Duplex praebetur series lectionum, altera ab initio usque ad diem 16 decembris adhibenda, altera a die 17 ad 24.

In priore parte Adventus habetur lectio libri Isaiae, secundum ordinem libri distributa, haud exclusis textibus maioris momenti qui etiam diebus dominicis occurrunt. Evangelia horum dierum respectu habito primae lectionis selecta sunt.

A feria quinta hebdomadae secundae incipiunt lectiones Evangelii de Ioanne Baptista; prima vero lectio est sive continuatio libri Isaiae, sive textus selectus respectu habito Evangelii.

Hebdomada ultima ante Nativitatem Domini, ex Evangelio Matthaei (cap. I) et Lucae (cap. I) proponuntur eventus qui Nativitatem Domini immediate praeparaverunt. In prima lectione, selecti sunt respectu habito Evangelii textus ex variis libris Veteris Testamenti, inter quos habentur aliqua vaticinia messianica magni momenti.

## 2. De tempore Nativitatis

### 4151 (95) a) IN SOLLEMNITATIBUS, FESTIS ET DOMINICIS

Pro vigilia et tribus Missis in nativitate Domini, lectiones tam propheticae quam aliae selectae sunt e traditione Romana.

[XLI] Dominica infra octavam Nativitatis, pro festo Sanctae Familiae, Evangelium spectat ad infantiam Iesu, ceterae lectiones ad virtutes vitae domesticae.

In Octava Nativitatis et sollemnitate Sanctae Dei Genetricis Mariae lectiones agunt et de Virgine Dei Genetrice et de impositione Sanctissimi Nominis Iesu.

Dominica secunda post Nativitatem lectiones tractant de mysterio Incarnationis.

In Epiphania Domini lectio Veteris Testamenti et Evangelii traditionem Romanam servant; pro lectione apostolica, textus legitur de vocatione gentium ad salutem.

In festo Baptismatis Domini, textus selecti sunt de hoc mysterio.

### 4152 (96) b) IN FERIIS

A die 29 decembris, fit lectio continua totius Epistolae I Ioannis, quae legi iam coepta est die 27 decembris, in festo ipsius S. Ioannis et die sensationes Domini. Leguntur enim eventus infantiae Iesu ex Evangelio

Lucae (diebus 29 et 30 decembris), caput primum Evangelii Ioannis (31 dec.-5 ian.), et praecipuae manifestationes Domini, ex quattuor Evangeliiis (7-12 ian.).

### 3. De tempore Quadragesimae

#### (97) a) DIEBUS DOMINICIS

4153

Lectiones Evangelii sic dispositae sunt:

Dominicis prima et secunda, servantur narrationes de Tentatione et de Transfiguratione Domini, quae tamen secundum tres synopticos leguntur.

Tribus dominicis sequentibus restituta sunt, pro anno A, Evangelia de Samaritana, de caeco nato et de Lazari resurrectione; quae Evangelia cum sint maioris momenti, respectu habito initiationis christianae, adhiberi possunt etiam anno B et C, praesertim ubi catechumeni habentur.

Attamen, anno B et C praebentur etiam alii textus, scilicet: anno B textus Ioannis de futura glorificatione Christi per Crucem et Resurrectionem; anno C, textus Lucae de conversione.

Dominica «in Palmis de Passione Domini» ad processionem electi sunt textus qui ad Domini ingressum sollemnem in Ierusalem referuntur ex tribus Evangeliiis synopticis; ad Missam vero legitur narratio de Passione Domini.

Lectiones Veteris Testamenti ad historiam salutis referuntur, quae est unum ex argumentis propriis catecheseos quadragesimalis. Singulis annis habentur series textuum quibus praebentur praecipua elementa illius historiae ab initio usque ad promissionem novi foederis.

Lectiones Apostoli ita selectae sunt, ut lectionibus Evangelii ac Veteris Testamenti respondeant, et, quantum fieri potest, inter eas aptior conexus habeatur.

#### [XLII] (98) b) IN FERIIS

4154

Lectiones ex Evangelio et Vetere Testamento cum mutua relatione ad invicem selectae sunt, ac varia argumenta tractant catecheseos quadragesimalis propria, ad spiritalem sensum huius temporis accommodata. Inde a feria secunda hebdomadae quartae, proponitur lectio semicontinua Ioannis, in qua habentur textus huius Evangelii qui notis Quadragesimae plenius respondent.

Cum lectiones de Samaritana, de caeco nato et de resurrectione Lazari nunc in dominicis legantur, sed tantum anno A (et ceteris annis ad libitum tantum), provisum est ut et in feriis resumantur: ideo, in initio hebdomadarum tertiae, quartae et quintae, «Missae ad libitum» illis textibus insertae sunt; quae Missae, loco lectionum diei, quavis feria e sua quaeque hebdomada adhiberi possunt.

In primis diebus Hebdomadae sanctae lectiones respiciunt mysterium passionis. Pro Missa Chrismatis lectiones in luce ponunt et munus messianicum Christi et eius continuationem in Ecclesia per sacramenta.

#### 4. De Sacro Triduo et de tempore paschali

##### 4155 (99) a) IN SACRO TRIDUO PASCHALI

Feria V in Cena Domini, ad Missam vespertinam, recordatio convivii exodum praecedentis lumen peculiare praebet et exemplo Christi discipulorum pedes lavantis et verbis Pauli de institutione christianae Paschae in Eucharistia.

Actio liturgica feria VI in Passione Domini culmen attingit in narratione secundum Ioannem Passionis eius qui, ut Servus Domini in libro Isaiae annuntiatus, revera unicus sacerdos factus est se ipsum Patri offerendo.

Ad Vigiliam paschalem in nocte sancta proponuntur septem lectiones e Vetere Testamento, quae mirabilia Dei in historia salutis recolunt, et duo e Novo, scilicet nuntium Resurrectionis secundum tria Evangelia synoptica, et lectio apostolica de Baptismate christiano ut sacramento Resurrectionis Christi.

Evangelii lectio pro Missa in die Paschae proponitur ex Ioanne de vacui sepulchri inventione. Legi tamen possunt, ad libitum, etiam textus Evangeliorum in nocte sancta propositi, vel, ubi habetur Missa vespertina, narratio ex Luca de apparitione facta discipulis in loco Emmaus pergentibus. Prima lectio sumitur ex Actibus Apostolorum qui per tempus paschale pro lectione Veteris Testamenti adhibentur. Lectio ex Apostolo ad Paschae mysterium in Ecclesia vivendum refertur.

##### 4156 (100) b) DIEBUS DOMINICIS

Usque ad dominicam tertiam Paschae, lectiones Evangelii apparitiones Christi suscitati referunt. Lectiones de Bono Pastore dominicae quartae Paschae assignantur. In dominicis quinta, sexta et septima Paschae, excerpta e sermone et oratione Domini post ultimam cenam habentur.

[XLIII] Prima lectio sumitur ex Actibus Apostolorum, in cyclo trium annorum, modo parallelo et progressivo: ita quaedam de primaevae Ecclesiae vita, testimonio et progressu singulis annis praebentur.

Pro lectione apostolica, anno A Epistola I Petri legitur, anno B Epistola I Ioannis, anno C Apocalypsis: hi textus, cum laetae fidei et firmae spei spiritu, qui huic tempori proprius est, maxime consonare videntur.

##### 4157 (101) c) IN FERIIS

Lectio prima ex Actibus Apostolorum sumitur ut dominicis, modo semicontinuo. Pro Evangelio, infra octavam Paschae, narrationes apparitionum Domini leguntur. Deinde lectio semicontinua Evangelii Ioannis, de quo nunc textus indolis potius paschalis sumuntur, ut lectio tempore Quadragesimae iam habita compleatur. In hac lectione paschali, sermo et oratio Domini post cenam magnam partem habent.

##### d) IN SOLLEMNITATIBUS ASCENSIONIS ET PENTECOSTES

4158 (102) Ascensionis sollemnitas retinet ut primam lectionem eventus narrationem secundum Actus Apostolorum, qui textus lectionibus

apostolicis de Christo ad dexteram Patris exaltato complentur. Pro lectione autem Evangelii unusquisque cyclus praebet textum proprium secundum varietatem ipsius evangelistae.

In Missa quae vespere in Vigilia Pentecostes celebratur proponuntur quattuor textus Veteris Testamenti, ut unus ad libitum eligatur, ad illustrandam multiplicem significationem sollemnitatis. Lectio apostolica munus Spiritus in Ecclesia actu exercitum demonstrat. Evangelica deinde lectio promissionem Spiritus, a Christo nondum glorificato factam, commemorat.

Pro Missa in die, usu recepta Actuum Apostolorum narratio magni Pentecostes eventus sumitur pro lectione prima, textus vero ex Apostolo effectus operantis Spiritus in vita Ecclesiae demonstrant. Lectio evangelica Iesum Spiritum cum discipulis suis Paschae vespere communicantem in memoriam redigit, alii autem textus ad libitum, de actione Spiritus in discipulos et in Ecclesiam tractant.

## 5. De tempore «per annum»

### a) DE ORDINATIONE ET ELECTIONE TEXTUUM

(103) Tempus «per annum» incipit feria secunda quae sequitur dominicam post diem 6 ianuarii occurrentem, et protrahitur usque ad feriam tertiam ante Quadragesimam inclusive; iterum incipit feria secunda post dominicam Pentecostes et explicit ante I Vesperas dominicae primae Adventus. 4159

Ordo lectionum exhibet lectiones pro 34 dominicis et subsequentibus hebdomadis. Attamen aliquando hebdomadae «per annum» sunt tantum 33. Praeterea aliquae dominicae aut ad aliud tempus pertinent (domi[XLIV]nica in qua fit Festum Baptismatis Domini et dominica Pentecostes), vel occurrente sollemnitate impediuntur (v. g. Ss.ma Trinitate, D.N.I.C. universorum Rege).

(104) Ad recte ordinandum usum lectionum, quae pro tempore «per annum» statuuntur, ea quae sequuntur serventur: 4160

1) Dominica in qua fit Festum Baptismatis Domini locum tenet dominicae I «per annum»; proinde, lectiones hebdomadae I inchoantur feria secunda post dominicam quae post diem 6 ianuarii occurrit. Si festum Baptismatis Domini celebratur feria secunda post dominicam in qua celebrata est Epiphania, lectiones hebdomadae I inchoantur feria tertia.

2) Dominica quae sequitur Festum Baptismatis Domini est secunda «per annum». Reliquae ordine progressivo numerantur, usque ad dominicam quae praecedat initium Quadragesimae. Lectiones hebdomadae in qua occurrit feria quarta Cinerum, post diem quae illam praecedit, intermittuntur.

3) Quando lectiones temporis «per annum» post dominicam Pentecostes resumuntur, ordinantur hoc modo:

— Si dominicae «per annum» sunt 34, ea sumitur hebdomada quae

immediate sequitur hebdomadam cuius lectiones ultimo loco adhibitae sunt ante Quadragesimam. <sup>115</sup>

— Si dominicae «per annum» sunt 33, omittitur prima hebdomada quae sumenda esset post Pentecosten, ut retineantur in fine anni textus eschatologici qui ultimis duabus hebdomadis assignantur. <sup>116</sup>

b) DE LECTIONIBUS PRO DOMINICIS

4161 (105) 1) *Lectiones Evangelii*

Dominica II «per annum» Evangelium adhuc refertur ad manifestationem Domini, quam celebravit sollemnitas Epiphaniae, per pericopen traditionalem de nuptiis in Cana et duas alias item ex Evangelio Ioannis sumptas.

A dominica III incipit lectio semicontinua trium Evangeliorum synop-  
ticorum; haec lectio ita ordinatur ut praebet doctrinam unicuique Evangelio propriam dum evolvitur vita et praedicatio Domini.

Insuper obtinetur ex hac distributione aliqua harmonia inter sensum cuiusque Evangelii et evolutionem anni liturgici. Nam post Epiphaniam leguntur initia praedicationis Domini, quae optime cohaerent cum Baptismate et primis manifestationibus Christi. In fine autem anni liturgici sponte venit ad thema eschatologicum ultimis dominicis proprium; capitula enim Evangeliorum quae praecedunt narrationem Passionis de hoc themate modo plus minusve amplo tractant. In anno B inseruntur, post dominicam XVI, quinque lectiones ex capitulo 6 Ioannis («sermo de pane vitae»); haec insertio fit modo connaturali, quia multiplicatio panum ex Evangelio Ioannis locum tenet eiusdem narrationis in Marco. In lectione semicontinua Lucae anno C primo textui (id est dom. III) praemissus est prologus Evangelii, qui auctoris intentionem pulcherrime manifestat, nec alibi locum invenire videbatur.

4162 (106) 2) *Lectiones Veteris Testamenti*

Hae lectiones in relatione cum pericopis evangelicis selectae sunt, ad vitandam nimiam diversitatem inter lectiones singularum Missarum ac praesertim ad manifestandam unitatem utriusque Testamenti. Relatio autem inter lectiones eiusdem Missae ostenditur per accuratam selectionem titulorum qui singulis lectionibus praeponuntur.

Selectio, in quantum fieri potuit, ita facta est ut lectiones essent breves et faciles. Sed provisum est etiam ut legantur diebus dominicis quamplurimi ex textibus Veteris Testamenti qui sunt maximi momenti. Qui quidem secundum opportunitatem lectionis evangelicae id est sine logico ordine distribuuntur; attamen thesaurus verbi Dei ita aperietur ut omnibus Missam diebus dominicis participantibus fere omnes praecipuae paginae Veteris Testamenti notae fiant.

<sup>115</sup> Ita, v. g., si hebdomadae ante Quadragesimam fuerunt sex, feria secunda post Pentecosten incipit hebdomada septima. Sollemnitas Ss. mae Trinitatis locum tenet dominicae «per annum».

<sup>116</sup> Si hebdomadae ante Quadragesimam fuerunt, v. g., quinque, feria secunda post Pentecosten, omissa hebdomada sexta, incipitur ab hebdomada septima.



(107) 3) *Lectiones Apostoli*

4163

Pro Epistolis proponitur lectio semicontinua Epistolarum Pauli et Iacobi (Epistolae Petri et Ioannis leguntur tempore paschali et tempore Nativitatis Domini).

Epistola I ad Corinthios, cum sit sat longa, et de quaestionibus diversis tractet, distributa est inter tres annos cycli, initio huius temporis «per annum». Item opportunum visum est dividere Epistolam ad Hebraeos in duas partes, quarum prior anno B, altera anno C legitur.

Notetur selectas esse tantum lectiones sat breves et haud nimis difficiles ut a fidelibus intellegantur.

Tabella II infra posita <sup>117</sup> indicat distributionem Epistolarum inter dominicas «per annum» pro tribus annis cycli.

c) DE LECTIONIBUS PRO SOLLEMNITATIBUS DOMINI «PER ANNUM»

(108) In sollemnitatibus Sanctissimae Trinitatis, Sanctissimi Corporis et Sanguinis Christi necnon sacratissimi Cordis Iesu, electi sunt textus qui praecipuis notis celebrationum respondent.

4164

Lectiones dominicae XXXIV et ultimae celebrant Christum universorum Regem, typo Davidis adumbratum, inter humiliationes Passionis et Crucis proclamatum, in Ecclesia regnantem et in fine temporum rediturum.

d) DE LECTIONIBUS PRO FERIIS

[XLVI] (109) 1) *Evangelia* sic ordinantur ut legatur primo Marcus (hebd. I-IX), deinde Matthaeus (hebd. X-XXI), denique Lucas (hebd. XXII-XXXIV). Capitula autem 1-12 Marci integre leguntur, praetermissis tantum illis duabus pericopis capituli 6 quae aliis temporibus in feriis leguntur. De Matthaeo et Luca leguntur omnia quae in Marco non habentur. Bis vel ter leguntur ea omnia quae sive in diversis Evangelii indolem omnino propriam habent, sive necessaria sunt ad cursum Evangelii bene intellegendum. Sermo eschatologicus totus in Luca, et sic legitur in fine anni liturgici.

4165

(110) 2) *Lectio prior* sic fit ut habeatur per aliquot hebdomadas unum Testamentum, deinde alterum, secundum longitudinem librorum qui leguntur.

4166

Ex libris Novi Testamenti leguntur partes sat amplae, ut detur quasi substantia singularum Epistolarum.

De Vetere Testamento haberi non possunt nisi loci selecti qui singulorum librorum indolem, quantum fieri potest, manifestarent. Textus historici sic selecti sunt ut habeatur conspectus historiae salutis ante Incarnationem Domini. Narrationes vero nimis longae vix proponi poterant: aliquando selecti sunt versus qui lectionem non nimis longam efficerent. Insuper significatio religiosa eventuum historicorum aliquoties illustratur per quosdam textus ex libris Sapientialibus usurpatos, in modum proemii vel conclusionis cuidam seriei historicae insertos.

<sup>117</sup> Cf. *infra*, Praenotanda, I.II.

Paene omnes libri Veteris Testamenti in Ordine lectionum pro feriis Proprii de Tempore locum invenerunt. Praetermissi sunt tantum libri prophetici brevissimi (Abdiae, Sophoniae) et liber poeticus (Canticum). Inter narrationes ad aedificationem scriptas quae lectionem sat longam postulant ut intellegantur, leguntur libri Tobiae et Ruth, omissis ceteris (Esther, Iudith). Ex quibus libris tamen, habentur textus quidam in dominicis aut feriis aliorum temporum. Tabella III infra posita <sup>118</sup> indicat distributionem librorum utriusque Testamenti inter ferias per annum pro duobus annis. In fine anni liturgici leguntur libri qui respondent indoli eschatologicae huius temporis, id est Daniel et Apocalypsis.

## Caput VI. DE ADAPTATIONIBUS, DE INTERPRETATIONIBUS POPULARIBUS ET DE APPARATU ORDINIS LECTIONUM

### I. De adaptationibus et interpretationibus

- 4167 [XLVII] (111) Verbum Dei in coetu liturgico semper nuntiandum est vel e textibus Latinis a Sancta Sede paratis vel ex interpretationibus popularibus ad usum liturgicum a Conferentiis Episcopalibus probatis, secundum normas vigentes. <sup>119</sup>
- 4168 (112) Lectionarium Missae ex integro, Praenotandis non praetermissis, transferendum est, in omnibus suis partibus. Si Conferentia Episcopalis quasdam accommodationes afferre necessarium opportunumque duxerit, haec post Sanctae Sedis confirmationem inducantur. <sup>120</sup>
- 4169 (113) Propter molem Lectionarii editiones necessario pluribus voluminibus constabunt, pro quibus nulla praescribitur divisio. In omnibus autem voluminibus habeantur textus quibus explicatur structura et finis illius partis.

Commendatur antiqua consuetudo edendi librum separatim pro Evangeliiis et alterum pro aliis lectionibus Veteris Testamenti et Novi. Sed opportune edi potest separatim Lectionarium dominicale — in quo includi poterunt opportuna excerpta ex Sanctoralibus — et Lectionarium feriale. Dominicale autem congrue dividi poterit secundum cycleum trium annorum ut pro singulis annis omnia modo continuo praebentur.

<sup>118</sup> Cf. *infra*, Praenotanda, LIII.

<sup>119</sup> Cf. Cons. ad exsequendam Const. de sacra Liturgia, Instr. *De popularibus interpretationibus conficiendis*, 25 ian. 1969: *Notitiae* 5 (1969) 3-12; *Declaratio circa interpretationes textuum liturgicorum - ad interim - paratis*: *Notitiae* 5 (1969) 69; SCCD, *Declaratio de interpretatione textuum liturgicorum*: *Notitiae* 5 (1969) 333-334 (cf. etiam *Responsiones ad dubia*, in: *Notitiae* 9 [1973] 153-154); *De unica interpretatione textuum liturgicorum*: *Notitiae* 6 (1970) 84-85; SCSD, *Epistula ad Praesides Conferentiarum Episcopaliū de linguis vulgaribus in S. Liturgiam inducendis*: *Notitiae* 12 (1976) 300-302.

<sup>120</sup> Cf. SCCD, Instr. *Liturgicae instaurationes*, 5 sept. 1970, n. 11: *AAS* 62 (1970) 702-703; *Institutio Generalis Missalis Romani*, n. 325.

At aliae dispositiones quae forte invenientur et ad usum pastorem aptissime videantur, ad libitum adhiberi poterunt.

(114) Textus cantuum semper adiungantur lectionibus; fieri tamen poterunt libri separati in quibus cantus tantum habeantur. Commendatur ut textus imprimatur, in strophas divisus. 4170

[XLVIII] (115) Quoties lectio diversis partibus constat, clare manifestetur haec structura textus in dispositione typographica. Item commendatur ut textus, etiam non poetici, imprimantur in stichos divisi, ut proclamatio lectionum facilius fiat. 4171

(116) Ubi longior et brevior adsunt formae, proponantur separatim et facile legi possit utraque; ubi vero talis separatio non videtur opportuna, inveniatur modus quo uterque textus sine errore proclamari valeat. 4172

(117) In versionibus popularibus textus ne exhibeantur sine titulis. Titulo addi potest etiam, ubi opportunum videbitur, monitio qua sensus generalis pericopae apertius explicetur, congruo signo vel caractere typographico distincto ut clare appareat agi de textu ad libitum. <sup>121</sup> 4173

(118) In unoquoque volumine opportune addetur index biblicus pericoparum ad instar illius qui in hoc volumine <sup>122</sup> habetur, quo facilius pro aliquibus occasionibus textus necessarii vel utiles inveniri possint in Lectionariis Missae. 4174

## 2. De singularum lectionum apparatu

In hoc volumine proponuntur pro singulis lectionibus indicatio textus, titulus et «incipit»; de quibus sequentia sunt animadvertenda:

### a) DE INDICATIONE TEXTUS

(119) Indicatio textus (id est capituli et versuum) datur semper secundum Novam Vulgatam editionem exceptis Psalmis, <sup>123</sup> addita tamen aliquando altera indicatione secundum textum originalem (hebraicum vel aramaicum vel graecum) quoties est discrepantia. In versionibus popularibus, secundum decreta Auctoritatum pro singulis linguis competentium, servari potest numeratio quae respondeat versioni pro usu liturgico ab eadem Auctoritate probatae. Oportet vero ut habeatur semper accurata indicatio capitulorum et versuum, quae etiam in ipso textu vel ipsius margine opportune referatur. 4175

(120) Ex hac indicatione fit ut in libris liturgicis habeatur «inscriptio» textus in celebratione legenda, quae in Ordine lectionum omittitur. Fiet vero secundum normas sequentes, quae tamen immutari possunt ex decreto Auctoritatem competentium iuxta locorum aut linguarum consuetudines et opportunitates: 4176

<sup>121</sup> Cf. Institutio Generalis Missalis Romani, nn. 11, 29, 68a, 139.

<sup>122</sup> Cf. *infra*, in Ordinis lectionum textu, 453-458.

<sup>123</sup> Numerus Psalmorum indicatur iuxta ordinem qui in *Libro Psalmorum* Pontificia Commissione pro Nova Vulgata, Typis Polyglottis Vaticanis anno 1969 edito, invenitur.

4177 (121) 1) Dicatur semper «*Lectio libri...*» vel «*Lectio Epistolae*», vel «*Lectio Evangelii*», non autem «*Initium*» (nisi forte in casibus peculiaribus opportunum videatur) aut «*Sequentia*».

4178 [XLIX] (122) 2) *Nomina librorum* servantur quae secundum traditum usum habentur, praeter sequentia:

a) ubi sunt duo libri eiusdem nominis, dicatur «*Liber primus*» et «*Liber secundus*» (v. g. *Regum*, *Maccabaeorum*), vel «*Epistola prima*», «*Epistola secunda*»;

b) nomen hodie magis usitatum adhibeatur pro sequentibus libris:

«*Libri I et II Samuelis*», pro *Libris I et II Regum*;

«*Libri I et II Regum*», pro *Libris III et IV Regum*;

«*Libri I et II Chronicorum*», pro *Libris I et II Paralipomenon*;

«*Libri Esdrae et Nehemiae*», pro *Libris I et II Esdrae*;

c) distinguantur libri sapientiales, cum sequentibus nominibus: *Liber Iob*, *Proverbiorum*, *Ecclesiastes* vel *Qohelet*, *Canticum Canticorum*, *Liber Sapientiae*, *Ecclesiasticus* vel *Siracidis*;

d) pro libris qui in Nova Vulgata editione inter Prophetas numerantur dicatur: «*Lectio libri Isaiae, Ieremiae, Baruch*», et «*Lectio Prophetiae Ezechielis, Danielis, Osee, ... Malachiae*», etiam pro illis qui a quibusdam non habentur vere prophetici.

e) dicatur «*Lamentationes*» et «*Epistola ad Hebraeos*» sine mentione *Ieremiae* vel *Pauli*.

b) DE TITULO

4179 (123) *Titulus* scribitur pro singulis textibus attente selectus (plerumque ex ipsis verbis textus) ut et praecipuum thema lectionis indicetur et, ubi necessarium est, nexus inter lectiones eiusdem Missae ex ipsis titulis appareat.

c) DE «INCIPIT»

4180 (124) «*Incipit*» continet primam verba introductoria consueta: «*In illo tempore*», «*In diebus illis*», «*Fratres*», «*Carissimi*», «*Haec dicit Dominus*», quae tamen omittuntur ubi in ipso textu est sufficiens indicatio temporis vel personarum, vel ubi ex natura textus talia verba non sunt opportuna. Pro singulis linguis popularibus tales formulae mutari vel omitti possunt ex decreto Auctoritatum competentium. Post illa verba datur proprium *initium lectionis*, demptis vel additis aliquibus verbis prout fert necessitas intellegendi textus a suo contextu separati. Item dantur congruae indicationes ubi textus e versibus non continuis constat, si propter hoc mutationes faciendae sunt.

d) DE ACCLAMATIONE FINALI

4181 (125) In fine lectionum, ad faciliorem reddendam acclamationem populi, ponantur verba, a lectore proferenda: «*Verbum Domini*», vel alia locutio eiusdem generis, iuxta locorum consuetudines.

## De Spiritu Sancto et incarnatione

Die 25 martii 1981 Ioannes Paulus II ad universos Ecclesiae Episcopos «volvente anno MDC a Concilio Constantinopolitano primo necnon MDL a Concilio Ephesino» Epistulam misit, in qua de Symbolo in Liturgia recitato et de Liturgia Feriae V in Cena Domini loquitur.

ED. - Lat.: AAS 73 (1981) 513-527. Gall.: DC 78 (1981) 367-371. Germ.: VAS 30; US 36 (1981) 186-187 (partim). Hisp.: E 41 (1981) 458-461. Ital.: EV 7, 1069-1097; RD 26 (1981) 258-261; *Credo nello Spirito Santo* = Servizio dell'Unità 33, Leumann (Torino) 1981. Neer.: AK 36 (1981) 469-478.

COMM. - Ital.: G. FERRARO, in: CC 132/III (1981) 105-117; U. BETTI, in: OR 2-IV-1981, 1-2; I. ORTIZ DE URBINA, in: OR 3-IV-1981, 2.

## I

[513] 1. A Concilio Constantinopolitano I, quod anno videlicet trecentesimo octogesimo primo est actum, commemoratio millesimi sexcentissimi anni maxime quidem Nos adducit ut has vobis litteras conscribamus, quae simul considerationem theologiam simul pastorem amplectuntur cohortationem imo ex animo Nostro profectam. Quem ad modum in Basilica Petriana praedicavimus Nos ineunte hoc anno novo, Concilium illud «post Nicaenum Concilium fuit Ecclesiae Oecumenicum Concilium secundum cui "Symbolum" debemus, quod sacra in Liturgia perpetuo recitatur. Peculiaris autem illius Concilii hereditas est doctrina *de Spiritu Sancto* quam sic enuntiat Liturgia Latina: "Credo in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem... qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per prophetas".<sup>1</sup>

[514] Voces ideo illae in Symbolo a tot Christianorum aetatibus iteratae praebebunt nobis hoc anno singularem tum doctrinae tum affectionis ipsius significationem, nosque etiam commonebunt intimorum vinculorum quae Ecclesiam devinciunt nostri temporis — ubi iamiam tertium millennium adventurum est vitae eius mirabiliter locupletatae ac temptatae semperque participis Christi Crucis et Resurrectionis per Sancti Spiritus virtutem — cum quarti saeculi Ecclesia in unica qua-

<sup>1</sup> Cf. AAS 73 (1981) 153.

dam perpetuitate primarum ipsius originum atque in fidelitate erga Evangelii doctrinam apostolicamque praedicationem. Sufficit iam quod diximus ut plane intellegatur, quomodo Concilii Constantinopolitani primi doctrina etiamnunc permaneat velut *declaratio unice fidei communis* Ecclesiae omnisque religionis christianae. Eandem vero hanc fidem profitentes — haud secus ac facimus quoties Symbolum persolvimus — eamque refoventes proxima in centenaria celebratione cupimus id sane extollere quod cum omnibus nos iungit Fratribus nostris, quamvis discidia progredientibus saeculis evenerint. Hoc porro agentes mille et sexcentis annis post Concilium Constantinopolitanum primum, grates Deo habemus de *veritate Domini* qui per illius Concilii praecepta vias fidei nostrae vitaeque simul vias in eiusdem fidei virtute illuminat. Recordatio autem haec profecto non tantum eo spectat, ut fidei recolatur formula iam sedecim vigens saecula in Ecclesia, verum eodem tempore ut magis inculcetur animis nostris — in meditationibus ac preceationibus necnon in pertractationibus spiritualitatis ac theologiae — illa vis divina Personae quae tribuit vitam, illud hypostaticum donum, *Dominum et vivificantem* dicimus, illa Tertia Trinitatis Sanctissimae Persona quae per eam fidem communicatur singulis cum hominibus atque Ecclesia cuncta. [...]

4183 [515] 2. [...] Ita ergo volvente hoc anno millesimo nongentesimo octogesimo primo nominatim referamus gratias nos oportet Spiritui Sancto, cum multiplices inter cogitationum humanarum vicissitudines dederit Is Ecclesiae propriam declarare fidem, etsi secundum peculiare loquendi genus illius aetatis, at plene congruentem cum «omni veritate».

Credo «... et in Spiritum Sanctum dominum et vivificantem, ex Patre procedentem, cum Patre et Filio adorandum et conglorificandum, qui locutus est per prophetas»: in haec verba loquitur fidei Symbolum primi Concilii Constantinopoli[516]tani anno trecentesimo octogesimo primo,<sup>5</sup> quo mysterium collustratur Spiritus Sancti eiusque originis ex Patre, dum eo pacto unitas affirmatur atque aequalitas huius Spiritus Sancti cum Patre et Filio.

## II

4184 3. Centenariam vero decimam sextam celebrationem primi Concilii Constantinopolitani peragentes, silentio tamen transire nolumus aliam magni momenti memoriam, quae in hunc annum millesimum nongentesimum octogesimum primum cadit; hoc enim anno contingit etiam recordatio anniversaria millesimi quingentesimi quinquagesimi anni a Concilio Ephesino, scilicet anno quadringentesimo tricesimo primo concelebrato. Licet haec commemoratio quasi delitescat in prioris Concilii umbra, pondus tamen prae se fert magnum nostra pro fide dignissimaque est ipsa quae peragatur.

<sup>5</sup> Sic primum appellatur in Actis Concilii Chalcedonensis, act. II: ed. E. Schwartz, *Acta Conciliorum Oecumenicorum, II Concilium universale Chalcedonense*, Berolini et Lipsiae 1927-32, I, 2, 80; cf. etiam *Conciliorum Oecumenicorum Decreta*, Bononiae 19733, 24.

Nam eodem in Symbolo nos intra liturgicam communitatem sese parantem ad Divina Mysteria rursus vivenda eloquimur: «Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est». [...]

[518] 4. Binae igitur anniversariae celebritate, quamvis altera quidem titulo alio pondereque historico, in Spiritus Sancti redundant honorem. Omnia haec *Spiritus Sancti opere* sunt effecta. [...] Praeterea, hac sub luce, pietas erga Virginem Mariam; etenim ea «verbo divino consentiens, facta est Mater Iesu, ac salvificam voluntatem Dei, pleno corde et nullo retardata peccato, complectens, semetipsam ut Domini ancillam personae et operi Filii sui totaliter devovit». [...]

[519] 5. [...] Spem denique audemus alere Nos fore ut Conciliorum Constantinopolitani et Ephesini commemoratio, quae testimonia fuerint fidei traditae ac praedicatae ab Ecclesia indivisa, sinat nos mutua crescere in necessitudine coniunctionis dilectis cum Fratibus orientalis et occidentalis orbis, quibuscum etsi plena nos communio ecclesialis nondum obstringit, vias tamen unitatis in veritate conquirimus humili animo fidentique precantes. [...]

V

[547] 12. Dilecti Fratres Nostri! Probe novimus vos Feria Quinta in Cena Domini intra communitatem presbyterorum dioecesium vestrarum renovaturos memoriam Ultimae Cenae, in qua panis et vinum per Christi voces Sanctique Spiritus potentiam facta sint corpus et sanguis nostri Servatoris, id est redemptionis nostrae Eucharistia. Eo igitur die vel aliis etiam opportunis occasionibus loquimini ad totum Dei Populum hisce de anniversariis eventibus actibusque tanti momenti, ut in omni pariter Ecclesia locali Ecclesiaeque communitate commemorentur atque etiam vivantur, quem ad modum plane merentur, ea quidem ratione quae a singulis statuta erit Pastoribus secundum consilia singularum Episcopaliū Conferentiarum necnon Coetuum Episcoporum Orientalium. [...]

## Ordo coronandi imaginem B. Mariae V.

Die 25 martii 1981 Sectio pro Cultu Divino SCSCD novum Ordinem coronandi imaginem Beatae Mariae Virginis promulgavit.

ED DECRETI - Lat.: N 17 (1981) 246. Ital.: EV 7, 1099-1100; L 15 (1981) 273-274.

4188 [246] Beata Virgo, aula regalis in qua saeculorum Rex carnem induit humanam, ab Ecclesia, Spiritu Sancto edocta, Domina ac Regina saluatur. Ad hanc dignitatem recolendam, inter alia obsequia consuetudo invaluit gloriosae Deiparae imagines, veneratione insignes, regio diademate coronandi.

Huic Sacrae Congregationi pro Sacramentis et Cultu Divino opportunum visum est, post novos libros liturgicos editos, ritum coronationis recognoscere, ut indoli ac normis instauratae liturgiae accommodaretur et plenius exprimeret sensum et vim coronationis imaginum beatae Mariae Virginis.

Novum *Ordinem coronandi imaginem beatae Mariae Virginis*, a Sacra Congregatione pro Sacramentis et Cultu Divino apparatus, Summus Pontifex Ioannes Paulus II auctoritate sua approbavit evulgarique iussit. Quapropter haec Sacra Congregatio, de mandato Summi Pontificis, *Ordinem coronandi imaginem beatae Mariae Virginis* publici iuris facit, qui, lingua latina exaratus, statim ac prodierit vigere incipiet; linguis autem vernaculis, cum translationes a Sede Apostolica sint confirmatae, a die quem Conferentiae Episcopales statuerint.

ED. TYP. VOLUMINIS: *Ordo coronandi imaginem Beatae Mariae Virginis*, Typis Polyglottis Vaticanis 1981.

ED. - Hisp.: *Ritual de la coronación de una imagen de Santa Maria Virgen*, Madrid 1983. Ital.: *Rito per l'incoronazione dell'immagine della beata Vergine Maria*, Roma 1982.

COMM. - Ital.: I.M. CALABUIG, in: N 17 (1981) 268-324.

Praenotanda hic referuntur iuxta ed. typ.

ED. - Lat.: N 17 (1981) 247-250. Ital.: EV 7, 1101-1109; L 15 (1981) 247-281.



[7] 1. Sancta Mater Ecclesia non dubitavit pluries affirmare Christi eiusque Matris necnon Sanctorum imaginibus cultum legitime tribui fidelesque saepius docuit quid de illo cultu esset sentiendum. <sup>1</sup> 4189

2. Imaginibus autem beatæ Mariæ Virginis haud raro veneratio exhibetur eius caput regia corona exornando. Si vero sancta Dei Genetrix effingitur divinum Filium ulnis gestans, utraque imago coronatur. In actione rituali primum imago Filii corona redimitur, tum Matris. 4190

3. Consuetudo beatam Mariam Virginem regali diademate redimitam effingendi a temporibus Concilii Ephesini (a. 431) invaluit cum in Orientis tum in Occidentis partibus. Artifices christiani enim gloriosam Matrem Domini saepe pinxerunt regio in solio sedentem, regalibus ornatam insignibus atque Angelorum Sanctorumque caelitum circumfusam cohorte. Quibus in imaginibus haud raro divinus Redemptor repraesentatur Matrem cingens fulgenti corona. <sup>2</sup> 4191

4. Consuetudo vero imagines beatæ Mariæ Virginis coronandi a piis christifidelibus, sive religiosis sive laicis, propagata est in Occidentis partibus maxime a saeculo XVI exeunte. Romani Pontifices non solum huic formae popularis pietatis obsecundarunt, sed «saepenumero Deiparae Virginis imagines, publica iam veneratione insignes, vel propriis ipsi manibus, vel per sacros ab se delegatos Antistites, diademate decorarunt». <sup>3</sup> 4192

Qua consuetudine increbrescente, factum est ut ritus appareretur coronandi imagines beatæ Mariæ Virginis, qui saeculo XIX in Liturgiam Romanam receptus est. <sup>4</sup>

[8] 5. Hoc ritu Ecclesia profitetur beatam Mariam Virginem merito Reginam et haberi et invocari, utpote quae sit: 4193

— Mater Filii Dei et Regis messianici: sancta Maria enim Mater est Christi, Verbi incarnati, in quo «condita sunt universa in caelis et in terra, visibilia et invisibilia, sive throni sive dominationes sive principatus sive potestates»; <sup>5</sup> Mater Filii David, de quo Angelus prophetavit, dicens: «erit magnus et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius, et regnabit super domum Iacob in aeternum, et regni ius non erit finis»; <sup>6</sup> unde Elisabeth, Spiritu Sancto repleta, beatam Virginem, Christo fetam, «Matrem Domini» salutavit; <sup>7</sup>

<sup>1</sup> Conc. Nicaenum II, anno 787: Mansi 13, 378-379; Conc. Trident., sess. 25: Mansi 33, 171-172; *Sacrosanctum Concilium*, n. 111; *Lumen gentium*, n. 67; Paulus VI, Adhortatio Apostolica *Mariæ cultus*, die 2 februarii 1974: AAS 66 (1974) 113-168.

<sup>2</sup> Cf. Pius XII, Litterae Encyclicae *Ad Caeli Reginam*, die 11 octobris 1954: AAS 46 (1954) 632-633.

<sup>3</sup> *Ibid.*, 633.

<sup>4</sup> Pontificali Romano, sub titulo *Ritus servandus in coronatione imaginis B. Mariæ Virginis*, insertus est Ordo, saeculo XVII exaratus, qui adhibebatur ad imagines coronandas nomine Capituli Vaticani.

<sup>5</sup> *Col.* 1, 16.

<sup>6</sup> *Lc.* 1, 32-33.

<sup>7</sup> Cf. *Lc.* 1, 41-43.

— alma Redemptoris Socia: beata Virgo enim, ex aeterno Dei consilio, nova Heva, eximias habuit partes in opere salutis, quo Christus Iesus, novus Adam, nos redemit et sibi acquisivit non corruptibilibus auro vel argento sed pretioso sanguine<sup>8</sup> et fecit nos regnum Deo nostro;<sup>9</sup>

— perfecta Christi discipula: Nazarethana Virgo enim, consilio divino consentiens, in peregrinatione fidei progrediens, verbum Dei audiens et custodiens, unionem cum Filio fideliter usque ad crucem sustinens, cum Ecclesia in oratione perseverans, in Dei amore proficiens, eminenti modo meruit «coronam iustitiae»,<sup>10</sup> «coronam vitae»<sup>11</sup>, «gloriae coronam»<sup>12</sup> fidelibus Christi discipulis promissam; itaque «expleto terrestri vitae cursu, corpore et anima ad caelestem gloriam assumpta est, ac tamquam universorum Regina a Domino exaltata, ut plenius conformaretur Filio suo, Domino dominantium ac peccati mortisque victori»;<sup>13</sup>

— supereminens Ecclesiae membrum: Ancilla Domini enim, quae veteris Israel exstitit consummatio et novi Populi Dei sancta inchoatio,<sup>14</sup> Ecclesiae est «portio maxima, portio optima, portio praecipua, portio electissima»;<sup>15</sup> benedicta inter mulieres, propter singulare [9] munus sibi commissum erga Christum omniaque membra eius mystici Corporis necnon propter virtutum copiam et gratiae plenitudinem, eminet in genere electo, regali sacerdotio, gens sancta,<sup>16</sup> quae est Ecclesia; quare hominum et Angelorum Domina atque Sanctorum omnium Regina merito invocatur. Gloria autem beatae Virginis, filiae Adam hominumque sororis, non solum Populum Dei exornat sed totum nobilitat humanum genus.<sup>17</sup>

- 4194 6. Ad Episcopum dioeceseos, una cum communitate locali, iudicare spectat de opportunitate imaginis beatae Mariae Virginis coronandae. Animadvertatur tamen eas solas imagines opportune coronari, quas fideles tanta adeant cum fiducia in Matrem Domini, ut ipsae celebritate quadam polleant et locus ubi coluntur sedes ac veluti centrum factum sit germani cultus liturgici et christianae navitatis. Congruo tempore antequam ritus celebretur fideles instituantur oportet de eius sensu atque indole mere religiosa, ut celebrationi fructuose intersint eamque recte interpretentur.

<sup>8</sup> Cf. 1 Petr. 1, 18-19.

<sup>9</sup> Cf. Ap. 5, 10.

<sup>10</sup> Cf. 2 Tim. 4, 8.

<sup>11</sup> Cf. Iac. 1, 12; Ap. 2, 10.

<sup>12</sup> Cf. 1 Petr. 5, 4.

<sup>13</sup> *Lumen gentium*, n. 59.

<sup>14</sup> Cf. Ven. Gerhohius Reicherspergensis, *De gloria et honore Filii hominis*, X, 1: PL 194, 1105.

<sup>15</sup> Paulus VI, Allocutio ad Conciliares Patres habita, tertia exacta Concilii Oecumenici Vaticani secundi sessione, die 21 nov. 1964: AAS 56 (1964) 1014; cf. Rupertus, *In Apocalypsim commentarium*, 1. VII, cap. 12: PL 169, 1043.

<sup>16</sup> Cf. 1 Petr. 2, 9.

<sup>17</sup> Cf. Paulus VI, Adhortatio Apostolica *Marialis cultus*, die 2 februarii 1974: AAS 66 (1974) 162-163.

7. Diadema seu corona imagini imponenda ex ea sit confecta materia, quae sit apta ad exprimendam singularem beatæ Virginis dignitatem; vitetur tamen nimia magnificentia ac sumptuositas necnon splendor et copia gemmarum, quae christiani cultus sobrietatem dedeant aut fidelibus loci, propter eorum tenuem vitæ cultum, iniuriam quandam inferant. 4195

*De ritus ministro*

8. Ritus congruenter peragitur ab Episcopo dioeceseos; quod si ipse facere nequit, munus committet alii Episcopo vel presbytero, praesertim ei quem socium et adiutorem habuerit in cura pastorali fidelium, quorum in ecclesia imago coronanda honoratur. 4196  
Si autem imago coronatur nomine Romani Pontificis, ea serventur quae in Brevi Apostolico indicantur.

*De die et actione liturgica eligendis*

[10] 9. Ritus coronationis convenienter peragitur in sollemnitatibus et festis beatæ Mariae Virginis aliisque diebus festis. Ne peragatur tamen in maximis Domini sollemnitatibus necnon diebus quibus indoles inest paenitentialis. 4197

10. Pro rerum adiunctis, coronatio imaginis beatæ Mariae Virginis fieri potest intra Missam, in Liturgia Horarum ad Vesperas vel in apta verbi Dei celebratione. 4198

*De rebus parandis*

11. Ad ritum coronationis peragendum, praeter ea quae sunt necessaria ad celebrationem actionis liturgicae cum qua ipse ritus coniungitur, haec parentur: 4199

- Ordo coronationis;
- Lectionarium Romanum;
- corona vel coronae apto loco dispositae;
- vas aquae benedictae cum aspersione;
- turibulum cum navicula incensi et cochleari.

12. Adhibentur sacrae vestes coloris albi vel festivi, nisi vero Missa celebretur quae vestes alius coloris requirat (cf. supra n. 9). 4200

Si Missa celebratur, parentur:

- pro Episcopo: alba, stola, planeta, mitra, baculus pastoralis;
- pro diaconis: albae, stolae, et, pro opportunitate, dalmaticae;
- pro lectore ceterisque ministris: albae vel alia vestes legitime probatae.

## De materia SS. Eucharistiae

Die 22 septembris 1981 SCDF ad SCRIS Epistulam misit, qua competentia «ad peculiaria indulta concedenda circa materiam vini pro sacrificio eucharistico» statuta est.

ED. - Ital.: Commentarium pro Religiosis et Missionariis 63 (1982) 167-168.

COMM. - Lat.: C.G., in: Commentarium pro Religiosis et Missionariis 63 (1982) 168-170.

4201 [167] Con lettera prot. n. 5224/81 del 29 agosto u.s., Ella si rivolgeva a questa Congregazione chiedendo quale Ufficio della Curia Romana deve concedere gli indulti perché sacerdoti alcoolizzati possano celebrare la Santa Messa con mosto di vino anziché con vino fermentato.

Al riguardo mi pregio significarLe che questa Congregazione, dopo aver esaminato gli aspetti dottrinali della questione, ha concordato con la S. Congregazione per i Sacramenti e il Culto Divino che in futuro la soluzione dei singoli casi e la concessione dei permessi entro i termini dottrinali stabiliti, essendo di natura disciplinare, rientra nella competenza di quel Dicastero. Questa Congregazione si è riservata soltanto quei casi per i quali lo studio dottrinale non è ancora concluso, come per es. la concessione di indulti per motivi diversi dall'alcoolismo o per un succo d'uva conservato al posto del mosto fresco.

Pertanto, a giudizio di questo Dicastero, non si vedono i motivi per introdurre una prassi diversa da quella concordata e perciò la S. Congregazione per i Sacramenti può concedere i rispettivi permessi a tutti i sacerdoti, indipendentemente dalla loro appartenenza al clero secolare o religioso.

[168] Nel comunicarLe che la Congregazione manderà copia di questa lettera anche alla S. Congregazione per i Sacramenti e il Culto Divino, profitto dell'occasione per porgerLe religiosi ossequi [...]

## «Familiaris consortio»

Die 22 novembris 1981 Ioannes Paulus II «ad Episcopos, Sacerdotes et Christifideles totius Ecclesiae Catholicae» Adhortationem Apostolicam «de familiae christianae muneribus in mundo huius temporis» direxit. In qua Adhortatione Summus Pontifex iterum iterumque de Liturgia et de pietate loquitur.

ED. - Lat.: AAS 74 (1982) 81-191. Gall.: DC 79 (1982) 1-37 (erratum, *ibid.*, 100). Germ.: VAS 33; *Dem Leben in Liebe dienen*, Freiburg i. Br. 1982, 13-164. Hisp.: *Familiaris Consortio*, Madrid 1981; E 42 (1982) 17-48. Ital.: EV 7, 1389-1603; RD 27 (1982) 2-32; *La famiglia nei tempi odierni* = Servizio dell'Unità 36, Leumann (Torino) 1981. Lus.: *Familiaris Consortio. Exortação Apostólica de João Paulo II sobre la familia*, Águeda 1982. Neer.: AK 37 (1982) 1-72; BTD 9; TRKK 3; WKD 11.

COMM. - Germ.: F. BÖCKLE, in: *Dem Leben in Liebe dienen*, Freiburg i. Br. 1982, 167-203; D. SEEBER, in: HK 36 (1982) 57-59; N. HÖSLINGER, in: BuL 55 (1982) 35-36. Ital.: D. TETTAMANZI, in: Rivista del Clero italiano 63 (1982) 126-140; *Id.*, in: La famiglia 16 (1982) 6-21; *Id.*, in: La Scuola Cattolica 111 (1983) 107-152; T. BERSINI, in: Rivista del Clero italiano 63 (1982) 351-357; E. FERASIN, in: Catechesi 51/11 (1982) 59-67 et 51/13 (1982) 45-53 et 51/15 (1982) 57-67; CC 133/I (1983) 105-122; G. CAPRILE, *ibid.*, 61-66; GIOVANNI PAOLO II, *Familiaris Consortio. Testo e commenti di autori vari*, Roma 1982; F.J. COX HUNCEUS, in: OR 22-I-1981, 1-2 et OR 23-I-1982, 1-2; C. COLOMBO, in: OR 10-II-1982, 1.

## I

[88] 7. Christifideles, in eiusmodi mundo vitam agentes, et sollicitationibus obnoxii, potissimum per instrumenta communicationis socialis illatis, non semper intacti manserunt nec manent ab obscuratione bonorum primariorum neque conscientia critica expendere valuerunt nec valent animorum culturam familiarem neque quasi subiecta, quae germanam humanitatis familiaris rationem comparent, ipsi efficere. Inter indicia huius rei maximam sollicitudinem ingerentia Synodi Patres in lumine posuerunt: praesertim increbrescentem propagationem divortii et novam societatem vitae ab ipsis fidelibus initam; matrimo-

4202

nium mere civile acceptum, quod vocationi baptizatorum adversatur, eo pertinenti ut «nuptias in Domino ineant»; celebrationem matrimonii sacramentalis sine fide viva sed aliis causis moventibus; recusationem normarum moralium, quae sexualitatis exercitationem humanam et christianam in matrimonio regunt.

## II

4203 [93] 13. Dei hominumque communio perficitur postremum in Christo Iesu, Sponso, qui amat seque donat ut humani generis Salvatorem, cum illud corpori suo adnectit.

[94] Primigeniam matrimonii veritatem Ipse patefacit, veritatem «principii»,<sup>27</sup> et hominem a cordis duritia liberando idoneum efficit ut eam veritatem integre exsequatur.

Revelatio haec ad ultimam suam adducitur plenitudinem tum in amoris dono, quod hominibus defert Verbum Dei sumpta natura humana, tum in sacrificio sui ipsius, quod Iesus Christus in Cruce pro Sponsa sua Ecclesia offert. Eo in sacrificio plane reseratur consilium illud, quod Deus humana impressit in viri ac mulieris natura iam inde ab eorum creatione;<sup>28</sup> baptizatorum itaque matrimonium efficitur solidum signum novi aeternique Foederis, Christi sanguine firmati. Spiritus autem, quem Dominus effundit, cor novum largitur aptosque facit virum ac mulierem ad se amandos, quemadmodum nos Christus amavit. Coniugalis amor illam attingit plenitudinem, ad quam intrinsecus ordinatur, caritatem scilicet coniugalem, quae peculiaris propriusque est modus, quo coniuges participant ipsam Christi caritatem, qui se donat in Cruce, et vocantur ut vivant ex ea.

Verbis merito celebribus Tertullianus luculenter testatus est huius vitae coniugalis in Christo excelsitatem eiusque venustatem: «Unde sufficiamus ad enarrandum felicitatem eius matrimonii, quod Ecclesia conciliat, et confirmat oblatio, et obsignat benedictio, angeli renuntiant, Pater rato habet? ... Quale iugum fidelium duorum unius spei, unius disciplinae, eiusdem servitutis! ambo fratres, ambo conservi, nulla spiritus carnisve discretio. At quin vere duo in carne una; ubi caro una, unus et spiritus». <sup>29</sup>

4204 Ecclesia verbum Dei amplexata fideliterque meditata docuit sollemni modo et docet baptizatorum matrimonium unum esse septem sacramentorum Novi Testamenti. <sup>30</sup>

[95] Nam per baptismum vir et femina semel et in perpetuum inseruntur in Novum Aeternumque Foedus, in sponsale Foedus Christi cum Ecclesia; et ob hanc indelebilem insertionem extollitur intima vitae amorisque coniugalis communitas condita a Creatore <sup>31</sup> assumitur-

<sup>27</sup> Cf. *Gen.* 2, 24; *Mt.* 19, 5.

<sup>28</sup> Cf. *Eph.* 5, 32 s.

<sup>29</sup> Tertullianus, *Ad uxorem* II, VIII, 6-8: CCL 1, 393.

<sup>30</sup> Cf. Conc. Trident., Sessio XXIV, can. 1: I. D. Mansi, *Sacrorum Conciliorum Nova et Amplissima Collectio* 33, 149 s.

<sup>31</sup> Cf. *Gaudium et spes*, n. 48.

que in sponsalem Christi caritatem, firmatam ac ditatam redemptrice ipsius virtute.

Propter sacramentalem matrimonii sui indolem coniuges inter se vincuntur maxime indissolubili ratione. Quoniam mutuo ad se pertinent, iam revera per signum sacramentale commonstrant ipsam Christi conjunctionem cum Ecclesia.

Coniuges igitur sunt pro Ecclesia recordatio perpetua illius rei, quae in Cruce evenit; sibi vicissim et filiis sunt testes salutis, cuius eos efficit consortes sacramentum. Illius salutiferi eventus matrimonium, sicut quodvis sacramentum, est memoriale et executio et vaticinium: «hoc in memoriali sacramentum illis gratiam tribuit et officium memoriae agenda[m] magnorum Dei operum ac de illis testimonii reddendi coram filiis; uti salutis executio tribuit iis gratiam et officium implendi iam nunc inter se et erga filios postulata amoris ignoscentis redimentisque; uti vaticinium gratiam tribuit iis et officium vivendi e spe futurae congressionis cum Christo eamque testandi». <sup>32</sup>

Quemadmodum singula septem sacramenta, matrimonium verum est signum salutis eventus, tamen proprio modo. «Coniuges id participant, quatenus sunt mariti, quatenus duo, quatenus par efficiunt, adeo ut primus proximusque matrimonii effectus (*res et sacramentum*) non ipsa sit gratia supernaturalis, sed coniugale vinculum christianum, communio duorum proprie christiana, quandoquidem mysterium refert Incarna[96]tionis Christi eiusque mysterium Foederis. Elementa autem participationis vitae Christi sunt etiam peculiariora: coniugalis amor secum infert universalitatem, in quam ingrediuntur omnes partes ipsius personae — postulationes corporis et instinctus, vires sensuum et affectuum, desideria spiritus et voluntatis —; spectat ille ad unitatem quam maxime personalem, quae videlicet ultra communionem in una carne sola nihil aliud efficit nisi cor unum et animam unam; poscit vero indissolubilitatem ac fidelitatem extremae illius donationis mutuae et patet fecunditati (cf. *Humanae vitae*, n. 9). Paucis verbis de communibus agitur proprietatibus naturalis cuiuslibet amoris coniugalis, atqui nova cum significatione, quae non tantum purificat eas et confirmat, sed etiam tantopere extollit ut fiant declaratio bonorum proprie christianorum». <sup>33</sup>

4205

[97] 15. In matrimonio ac familia quasi contextus efficitur necessitudinum inter personas — maritale commercium, paternitas et maternitas, filiatio, fraternitas — per quas omnis homo inducitur «in familiam humanam» atque in «familiam Dei», quae est Ecclesia.

4206

Matrimonium et familia christiana Ecclesiam aedificant: nam in familia persona humana non modo gignitur paulatimque per institutionem ducitur in hominum communitatem, sed etiam per baptismi regenera-

<sup>32</sup> Ioannes Paulus PP. II, Allocutio ad Delegatos instituti appellati «Centre de Liaison des Equipes de Recherche», n. 3 (3 Nov. 1979): Insegnamenti di Giovanni Paolo II, II/2 (1979) 1032.

<sup>33</sup> *Ibid.*, n. 4: *loc. mem.*, 1032.

tionem et institutionem in fide introducit in Dei quoque familiam, quae est Ecclesia.

Humana familia, peccato disiuncta in unitate sua, restauratur redimente virtute mortis resurrectionisque Christi.<sup>37</sup> Christianum conubium, salvificae illius eventus efficaciae particeps, constituit veluti locum naturalem, ubi persona humana in magnam Ecclesiae inseritur familiam.

Praeceptum, viro ac feminae initio datum ut crescerent et multiplicarentur, integram hoc modo consequitur veritatem suam plenamque suam executionem.

Sic in familia, e sacramento coorta, reperit Ecclesia incunabula sua locumque, ubi potest ea propriam insertionem efficere in hominum generationes et haec vicissim in Ecclesiam.

### III

- 4207 [101] 19. Prima communio ea est quae inter coniuges instituitur atque progressionem quadam fovetur: vi foederis coniugalis amoris, vir et mulier «iam non sunt duo sed una caro»<sup>46</sup> et adiguntur ad crescendo continenter in communionem suam per cotidianam fidelitatem erga matrimoniale promissum mutuae plenaeque donationis. Haec coniugalis communio in completa ratione naturali radicitus insidet, quae inter virum et mulierem viget atque ipsorum coniugum alitur proposito totum participandi de vita consilium, id videlicet quod habent et quod sunt: haec igitur communio fructus est et signum postulationis penitus humanae. Sed in Christo Domino Deus hanc humanam suscipit postulationem, eam confirmat, purificat, effert, eam perficit matrimonii sacramento: Spiritus Sanctus in sacramentali celebratione effusus christianis coniugibus largitur donum novae communionis, amoris, quae viva *realisque* est imago illius eximiae unitatis, quae efficit Ecclesiam indivisibile Corpus mysticum Domini Iesu.[...]
- 4208 20. [...] [103] Christus pristinum renovat consilium, a Creatore viri et mulieris cordibus inditum, et in celebratione sacramenti matrimonii dat «cor novum»: ita coniuges non solum valent vincere «duritiam cordis»,<sup>51</sup> sed etiam ac quidem potissimum participare valent plenum ac terminalem amorem Christi, qui est novum aeternumque Foedus caro factum. [...]
- Sacramenti donum est vocatio simul et praeceptum christianis coniugibus ut iugiter inter se servant fidelitatem, tametsi quibusvis probationibus ac difficultatibus premuntur, sanctae [104] Domini voluntati magnanimiter obsecuti: «Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet».<sup>55</sup> [...]
- 4209 21. [...] [105] Spiritus Sanctus, effusus in sacramentorum celebratio-

<sup>37</sup> Cf. *Gaudium et spes*, n. 78.

<sup>46</sup> Mt. 19, 6; cf. Gen. 2, 24.

<sup>51</sup> Mt. 19, 8.

<sup>55</sup> Mt. 19, 6.



ne, vivus est fons perenneque alimentum supernae communionis, quae credentes congregat et cum Christo devincit necnon inter se in unitate Ecclesiae Dei. Communionis ecclesialis ostensionem et effectum christiana familia exhibet, quae hac quoque de causa «Ecclesia domestica»<sup>58</sup> appellari potest ac debet. [...]

Familiaris communio servari perficique nequit nisi impenso studio sese abnegandi atque devovendi. Ea enim ab omnibus et singulis poscit promptam et magnanimam voluntatem proclivem ad indulgentiam, tolerantiam, veniam, concordiam, reconciliationem. Nulla familia ignorat quomodo caecus sui amor, dissensio, contentiones, conflictationes propriam communionem petant violenter letaliterque feriant interdum: inde multiplices variaeque oriuntur in familiari convictu discidium rationes. Simul vero a Deo, pacis auctore, omnis familia evocatur ad «reconciliationem» laeta renovanteque experientia instaurandam tuendamque, refectionem videlicet communionem et unitatem redintegram. Imprimis participatio sacramentorum Reconciliationis et convivii unius Corporis Christi christianae familiae gratiam tribuit eamque officio obstringit vincendi omnem discordiam et contendendi ad plenam communionis veritatem postulata a Deo; quod faciendo illa Domino satisfaciet vehementissime optanti «ut omnes unum sunt».<sup>62</sup>

33. [...] [121] Altera vero ex parte vera paedagogia ecclesialis demonstrat suam cum rebus congruentiam sapientiamque dumtaxat officium fovendo tenax ac magnanimum illas condiciones omnes humanas inducendi ac fulciendi — psychologicas, morales, spirituales — quae pernecessariae sunt ad intellegendum morale bonum ac normam et ad inde vivendum. 4210

Nihil est dubium quin has inter condiciones annumerari debeat constantia et patientia, humilitas ac fortitudo animi, filiorum fiducia in Deum eiusque gratiam, frequens precationis usus necnon sacramentorum Eucharistiae et Reconciliationis.<sup>93</sup> Sic [122] roborati valebunt coniuges christiani vivam servare conscientiam singularis illius efficacitatis, quae e sacramenti matrimonii gratia ad omnes manat coniugalis vitae partes ac proinde etiam ad sexualitatem eorum: Spiritus donum receptum a coniugibus et observatum adiuvat eos ut sexualitate humana utantur secundum Dei consilium et tamquam signo amoris coagmentantis ac fecundi, quo Christus in Ecclesiam fertur. [...]

[129] 38. Parentum christianum munus institutorium, inhaerens — sicut supra est dictum — in eorum communicatione operae Dei creatricis, novum habet propriumque fontem in matrimonii sacramento, quod eos dicat educationi singulariter christianae filiorum, vocat eos scilicet ad ipsam participandam auctoritatem et ipsum amorem Dei Patris et Christi Pastoris necnon maternum Ecclesiae amorem, ditat eos sapientia, consilio, fortitudine omnique alio Spiritus Sancti dono, unde liberi adiuventur in humana sua et christiana maturatione. 4211

<sup>58</sup> *Lumen gentium* n. 11; cf. *Apostolicam actuositatem*, n. 11.

<sup>62</sup> *Io.* 17, 21.

<sup>93</sup> Cf. Paulus PP. VI, Litt. Enc. *Humanae vitae*, n. 25: AAS 60 (1968) 498s.

Ex matrimonii sacramento officium educationis dignitatem haurit ac vocationem ut verum sit ac proprium «ministerium» Ecclesiae, quod prosit sodalium eius perfectioni. Talis est excelsitas splendorque ministerii institutorii parentum christianorum ut nihil dubitet Sanctus Thomas id comparare cum sacerdotum ministerio: «sunt enim, inquit, quidam propagatores et conservatores spiritualis vitae secundum spirituale ministerium tantum, ad quod pertinet *ordinis* sacramentum; et secundum corporalem et spiritualem simul, quod fit per sacramentum *matrimonii*, quo vir et mulier conveniunt ad prolem generandam et educandam ad cultum divinum». <sup>101</sup>

Viva vigilque conscientia missionis, acceptae cum matrimonii sacramento, adiuvabit christianos parentes ut magna cum tranquillitate ac fiducia sese dedent ministerio liberorum educandorum eodemque tempore cum officii sui conscientia respectu Dei, qui eos vocat et mittit ut in filiis Ecclesiam aedificent. Ita quidem baptizatorum familia, tamquam Ecclesia domestica [130] congregata verbo et sacramento, fit simul, instar Ecclesiae magnae, magistra et mater.

4212 39. [...] Hisce verbis describit Concilium Vaticanum Secundum educationis christianae argumentum: «Non solum maturitatem humanae personae ... prosequitur, sed eo principaliter spectat ut baptizati dum in cognitionem mysterii salutis gradatim introducuntur, accepti fidei doni in dies magis conscii fiant; Deum Patrem in spiritu et veritate adorare (cf. *Io.* 4, 23) praeprimis in actione liturgica addiscant, ad propriam vitam secundum novum hominem in iustitia et sanctitate veritatis (*Eph.* 4, 22-24) gerendam conformentur; ita quidem occurrant in virum perfectum, in aetatem plenitudinis Christi (cf. *Eph.* 4, 13) et augmento corporis mystici operam praestent. Idem insuper suae vocationis conscii tum spei quae in eis est (cf. *1 Petr.* 3, 15) testimonium exhibere tum Christianam mundi conformationem adiuvere consuecant». <sup>102</sup> [...]

[131] Propter hoc educationis ministerium parentes ex ipsa vitae testificatione primi sunt Evangelii praecones apud liberos. Preces fundentes insuper cum filiis atque cum iis vacantes legendo verbo Dei et insinuantes eos in Christi intimum Corpus, eucharisticum et ecclesiale, per initiationem christianam, fiunt illi plane parentes, id est non vitae carnis tantum generatores verum etiam illius, quae per Spiritus renovationem profluit ex Christi Cruce ac resurrectione. [...]

4213 [139] 47. Sociale munus cuiusque familiae proprium novo sane nativoque nomine ad christianam spectat familiam, matrimonii sacramento innixam. Dum enim veritatem humanam coniugalis amoris eaque omnia, quae secum fert, amplectitur, sacramentum coniuges ac parentes christianos idoneos reddit et impellit ut e sua laicorum vocatione vivant et ideo valeant «res temporales gerendo et secundum Deum ordinando, regnum Dei quaerere» <sup>113</sup>.

<sup>101</sup> S. Thomas Aquinas, *Summa contra Gentiles*, IV, 58.

<sup>102</sup> *Gravissimum educationis*, n. 2.

<sup>113</sup> *Lumen gentium*, n. 31.

Sociale et politicum munus pertinet ad missionem regalem illam seu serviendi, quam christiani coniuges ex matrimonii sacramento communicant, simul recipientes mandatum, quod subterfugere non licet, atque gratiam, quae sustentat eos et incitat. [...]

[140] 49. In praecipuis christianae familiae muneribus etiam ecclesiale officium continetur: ipsa videlicet destinatur uti ministra ad Regnum Dei in saeculorum decursu aedificandum per vitae missionisque Ecclesiae participationem. 4214

Quo melius fundamenta, res ipsa, proprietates huius participationis comprehendantur, altius perspici oportet multiplicia et intima vincula Ecclesiam ac familiam christianam inter se colligantia, quae insuper familiam efficiunt velut «Ecclesiam minutam» (*Ecclesiam domesticam*),<sup>114</sup> aguntque ut haec suo vicissim modo sit imago viva et historica repraesentatio mysterii ipsius Ecclesiae.

Ante omnia generat, educat, aedificat christianam familiam Mater Ecclesia implendo erga eam munus salutiferum, quod a Domino suo recepit. Verbum Dei annuntians, Ecclesia patefacit christianae familiae veram eius identitatem, id nempe [141] quod ea est et esse debet secundum Domini consilium; celebrans sacramenta Ecclesia ditat atque roborat christianam familiam Christi gratia ut in Patris gloriam ea sanctificetur; novum caritatis mandatum rursus pronuntians, Ecclesia concitat et dirigit christianam familiam ad amoris ministerium ut eundem imitetur et in vita renovet amorem donationis ac sacrificii, quo Iesus Christus totum hominum genus prosequitur.

Eo usque immittitur vicissim christiana familia in Ecclesiae mysterium ut sua ratione salutis procurandae muneris, Ecclesiae proprii, particeps fiat: sacramenti virtute coniuges parentesque christiani «in suo vitae statu et ordine proprium suum in Populo Dei donum habent».<sup>115</sup> [...]

50. [...] Si quidem christiana familia est communitas, cuius vincula a Christo renovantur per fidem et sacramenta, eius participatio muneris Ecclesiae contingere debet *ratione communitaria*: simul igitur coniuges *uti par*, necnon parentes ac liberi *uti familia*, erga Ecclesiam et mundum ministerium suum exsequantur oportet. In fide esse debent «cor unum et anima una»<sup>117</sup> per communem spiritum apostolicum, qui eos incendit, ac per con[142]sociatam industriam, quae eos ministerii operibus pro ecclesiali civilique communitate devincit. 4215

Praeterea familia christiana in historia Regnum Dei aedificat per easdem illas res cotidianas, quae eius *condicionem vitae* tangunt et definiunt: itaque *in coniugali familiarique amore* — qui secundum insignes suas divitias bonorum et postulorum universitatis, singularitatis, fidelitatis, fecunditatis impletur<sup>118</sup> — proditur ac perficitur familiae

<sup>114</sup> Cf. *Lumen gentium*, n. 11; *Apostolicam actuositatem*, n. 11; Ioannes Paulus PP. II, Homilia habita ineunte VI Synodo Episcoporum, n. 3 (26 Sept. 1980): AAS 72 (1980) 1008.

<sup>115</sup> *Lumen gentium*, n. 11.

<sup>117</sup> Cf. *Act.* 4, 32.

<sup>118</sup> Cf. Paulus PP. VI, *Litt. Enc. Humanae vitae*, n. 9: AAS 60 (1968) 486 s.

christianae participatio officii sacerdotalis, prophetici, regalis ipsius Iesu Christi eiusque Ecclesiae: amor idcirco ac vita medullam missionis salvificae familiae christianae in Ecclesia et pro Ecclesia efficiunt. [...] Iactis ita *fundamentis* familiae christianae participationis missionis ecclesialis, iam tempus est illustrare eius *elementa in triplici et unica coniunctione cum Iesu Christo Propheta, Sacerdote ac Rege* ideoque demonstrare christianam familiam ut 1) communitatem credentem et evangelizantem, 2) communitatem cum Deo colloquentem, 3) communitatem hominibus deservientem.

- 4216 51. *Consors vitae missionisque Ecclesiae, quae verbum Dei religiose auscultat idque firma fiducia enuntiat,*<sup>120</sup> *christiana familia*<sup>[143]</sup> *propheticum suum exsequitur munus suscipiendo ac proferendo Dei verbo: ita magis in dies credens et evangelizans communitas efficitur. Oboeditio fidei aequaliter poscitur a coniugibus parentibusque christianis: 121* vocantur illi ut verbum Domini recipiant, quod ipsis aperit mirandam novitatem — Bonum Nuntium — eorum vitae coniugalis et familiaris, quam Christus sanctam reddidit ac sanctificantem. Etenim in fide dumtaxat reperire possunt et mirari grato animo laetantes ad quam dignitatem Deus matrimonium familiamque provexerit, eam signum et locum foederis amoris inter Deum et homines, inter Iesum Christum sponsamque eius Ecclesiam constituens. Iam ipsa matrimonii christiani praeparatio quoddam fidei iter censetur: nam praestans offertur occasio ut sponsi iterum detegant aliusque comprehendant fidem baptismo receptam et christiana institutione nutritam. Hoc modo agnoscunt libereque accipiunt vocationem suam ut Christi sequelam et Regni Dei ministerium in conubiali statu viventes exsequantur. Praecipuum temporis momentum, quo sponsi fidem suam commonstrent, est matrimonii sacramenti celebratio, quae suapte intima natura est proclamatio in Ecclesia Boni Nuntii de coniugali amore: qui est Dei verbum, quod «revelat» et «perficit» sapiens amansque consilium Dei de coniugibus, ad arcanam ac veram participationem ipsius Dei amoris erga homines admissis. Si sacramentalis matrimonii celebratio per se est verbi Dei pronuntiatio, in cunctis, qui vario nomine praecipui actores sunt et celebrantes, eluceat oportet «professio fidei» in et cum Ecclesia, communitate credentium, prolata. Haec autem fidei professio produci debet in vitae curriculum coniugum atque familiae: Deus enim, qui sponso «ad» matrimonium vocavit, eos «in» matrimonio pergat vocare.<sup>122</sup> [...]

- 4217 [144] 52. [...] Quemadmodum Synodus iterum edixit, sese revocans ad cohortationem, quam in urbe Puebla enuntiavimus, futurum evangelizandi opus maximam partem ex Ecclesia domestica pendet.<sup>124</sup> Hoc apostolicum familiae munus in baptismo est insitum

<sup>120</sup> Cf. *Dei Verbum*, n. 1.

<sup>121</sup> Cf. *Rom.* 16, 26.

<sup>122</sup> Cf. Paulus PP. VI, *Litt. Enc. Humanae vitae*, n. 25: *AAS* 60 (1968) 498.

<sup>124</sup> Cf. Allocutio habita ad III Coetum Generalem Episcoporum Americae Latinae, IV, a (28 Ian. 1979): *AAS* 71 (1979) 204.

novamque vim ex sacramentali gratia matrimonii accipit ad fidem tradendam, ad sanctificandam et transformandam hanc societatem secundum Dei consilium. [...]

[146] 54. Universalitas sine finibus est patens campus evangelizationis proprius, quae studio et ardore missionali intrinsecus animatur: inde enim expresso et ambagibus vacuo iussui Christi respondetur: «Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae». <sup>129</sup> 4218

Fides quoque evangelizandique munus christianae familiae hunc impulsu missionalem catholicum prae se ferunt. Matrimonii sacramentum, quod renovat repetitque officium in baptisate et chrismate stabilitum <sup>130</sup> defendendi diffundendique fidem, coniuges parentesque christianos constituit Christi testes «usque ad ultimum terrae» <sup>131</sup> necnon veros et germanos amoris vitaeque «missionarios». [...]

[147] 55. Evangelii nuntiatio eiusque in fide perceptio in sacramentali celebratione plenitudinem consequuntur. Ecclesia enim, credens communitas et evangelizans, est pariter populus sacerdotalis, nempe dignitate ornatus particepsque effectus potestatis Christi Summi Sacerdotis Novi et Aeterni Foederis. <sup>137</sup> 4219

[148] Familia quoque christiana Ecclesiae inseritur, sacerdotali populo: per matrimonii sacramentum, ubi fundatur et unde nutritur, perpetuo a Domino Iesu vivificatur ab eoque instigatur et obligatur ad colloquium cum Deo per sacramentalem vitam, per suae vitae oblationem necnon per precationem.

Hoc est *officium sacerdotale*, quod familia christiana potest debetque exercere, cum universa Ecclesia arcte coniuncta in omnibus eventibus cotidianis vitae coniugalis ac familiaris: quo pacto familia christiana vocatur ad se sanctificandam atque etiam ad ecclesiam communitatem ac mundum sanctificandum.

56. Proprius fons et singulare instrumentum sanctificationis coniugum familiaeque christianae est matrimonii sacramentum, quod sanctificantem baptismi gratiam resumit et perficit. Propter mortis et resurrectionis Christi mysterium, in quod christianum matrimonium homines denuo immittit, purificatur coniugalis amor et sanctificatur: «Hunc amorem Dominus, speciali gratiae et caritatis dono, sanare, perficere, elevare dignatus est». <sup>138</sup> 4220

Iesu Christi donum minime totum positum est in sacramenti matrimonii celebratione, verum coniuges fulcit in vitae eorum perpetuitate. Istud nominatim memorat Concilium Vaticanum Secundum, cum docet: Iesus Christus «manet porro cum eis, ut quemadmodum Ipse dilexit Ecclesiam et Semetipsum pro ea tradidit, ita et coniuges, mutua de-

<sup>129</sup> Mc. 16, 15.

<sup>130</sup> Cf. *Lumen gentium*, n. 11.

<sup>131</sup> Act. 1, 8.

<sup>137</sup> Cf. *Lumen gentium*, n. 10.

<sup>138</sup> *Gaudium et spes*, n. 49.

ditione, se invicem perpetua fidelitate diligant... Quapropter coniuges Christiani ad sui status officia et dignitatem peculiari Sacramento roborantur et veluti consecrantur; cuius virtute munus suum coniugale et familiare explentes, spiritu Christi imbuti, quo tota eorum vita, fide, spe et caritate pervaditur, magis ac magis [149] ad propriam suam perfectionem mutuamque sanctificationem, ideoque communiter ad Dei glorificationem accedunt». <sup>139</sup>

Universalis ad sanctitatem vocatio ad coniuges similiter et ad christianos pertinet parentes: pro illis definitur e sacramento celebrato et modo *concreto* transfertur in res ipsas coniugalis ac familiaris vitae proprias. <sup>140</sup> Hinc gratia enascitur et necessitas verae altaeque *spiritualitatis coniugalis et familiaris*, quae ad argumenta revocatur creationis, foederis, Crucis, resurrectionis necnon signi, in quibus saepenumero Synodus est immorata.

- 4221 Christianum matrimonium, perinde ac sacramenta cuncta, quae «ordinantur ad sanctificationem hominum, ad aedificationem Corporis Christi, ad cultum denique Deo reddendum», <sup>141</sup> in se ipso est liturgicus actus glorificationis Dei in Christo Iesu et in Ecclesia: eo celebrando profitentur coniuges christiani gratum erga Deum animum suum de praeclaro dono sibi concesso ut iterum vivere valeant sua in existantia coniugali ac familiari ex ipso Dei amore in omnes homines et in Domini Iesu Ecclesiam, ipsius Sponsam.

Et sicut ex sacramento in coniuges derivatur donum et obligatio, unde sanctificationem acceptam vivendo cotidie experiantur, ita eodem ex sacramento gratia profluit et morale officium universae eorum vitae transformandae in perpetuas «spirituales hostias». <sup>142</sup> Etiam ad coniuges et parentes christianos, praesertim in terrenis his temporariisque rebus, quae eos denotant, verba Concilii adhibentur: «Sic et laici, quae adoratores ubique sancte agentes, ipsum mundum Deo consecrant». <sup>143</sup>

- 4222 57. Sanctificationis officium familiae christianae primas suas habet in baptismo radices supremamque suam in Eucharistia significationem, cui christianum matrimonium intima iungitur [150] ratione. Concilium Vaticanum Secundum peculiarem necessitudinem extollit intercedentem Eucharistiam inter et matrimonium, praecipiens ut «matrimonium ex more intra Missam celebretur»: <sup>144</sup> prorsus est necesse hanc necessitudinem iterum detegi altiusque perspici, si quis comprehendere et in vitae usum traducere exoptet gratias et obligationes matrimonii ac familiae christianae.

Fons ipse christiani matrimonii est Eucharistia. Etenim Sacrificium Eucharisticum refert amoris foedus Christi cum Ecclesia, quod Sanguis-

<sup>139</sup> *Gaudium et spes*, n. 48.

<sup>140</sup> Cf. *Lumen gentium*, n. 41.

<sup>141</sup> *Sacrosanctum Concilium*, n. 59.

<sup>142</sup> Cf. 1 Petr. 2, 5; *Lumen gentium*, n. 34.

<sup>143</sup> *Lumen gentium*, n. 34.

<sup>144</sup> *Sacrosanctum Concilium*, n. 78.

ne est illius Crucis signatum.<sup>145</sup> Atque in hoc Novi et Aeterni Testamenti Sacrificio coniuges christiani reperiunt originem, unde promanat interiusque figuratur ac perpetuo vivificatur eorum pactum coniugale. Tamquam Sacrificii amoris Christi in Ecclesiam repraesentatio Eucharistia est fons caritatis. In dono autem eucharistico caritatis familia christiana invenit fundamentum suum ac veluti animam suae «communions» suaeque «missionis»: efficit enim Eucharisticus Panis variis ex familiaris communitatis membris unum corpus, quod est partefactio et participatio amplioris unitatis Ecclesiae; communicatio deinde Corporis «traditi» et Sanguinis Christi «effusi» fit inexhaustus fons missionalis apostolicaeque navitatis familiae christiana.

58. Necessaria ac perpetua pars muneris sanctificationis in familia christiana est receptio evangelicae provocationis ad conversionem, quae omnibus adhibetur christianis, qui non semper fideles persistunt «novitati» illius baptismi, quo sunt «sancti» effecti. Neque ipsa christiana familia semper cohaeret cum lege gratiae et baptismalis sanctitatis rursus in matrimonii sacramento declarata. 4223

Paenitudo ac mutua venia intra familiam christianam, quae in vita cotidiana tantopere frequentantur, proprium sacramen[151]tale tempus habent in paenitentia christiana. Quod ad coniuges attinet, ita scripsit Paulus VI in Encyclicis Litteris *Humanae vitae*: «Si autem peccatis adhuc retineantur, ne concidant animo, sed humiles et constantes ad Dei misericordiam confugiant, quam abunde Paenitentiae Sacramentum dilargitur». <sup>146</sup>

Huius sacramenti celebratio vim specialem accipit ad familiarem vitam: dum per fidem intellegunt quomodo peccatum adversetur non tantum pacto cum Deo inito, sed etiam foederi coniugum familiaeque communioni, coniuges et omnes familiae sodales perducuntur ad congressionem cum Deo, «qui dives est in misericordia» <sup>147</sup> quique amorem suum peccato validiorem <sup>148</sup> impertiens, reficit ac perficit coniugale pactum familiaremque communionem.

59. Ecclesia pro familia christiana preces fundit, quam etiam instituit ut magnanima cum congruentia vivendo impleat donum officiumque sacerdotale, a Christo Summo Sacerdote receptum. Revera sacerdotium fidelium baptismale, vivendo expressum in matrimonio ut sacramento, coniugibus familiaeque fundamentum praebet vocationis et missionis, ob quam ipsa eorum cotidiana vita transit in «spiritalis hostias acceptabiles Deo per Iesum Christum»: <sup>149</sup> evenit hoc non tantum per Eucharistiae aliorumque sacramentorum celebrationem et per sui ipsius oblationem factam ad Dei gloriam, sed etiam per precandi consuetudinem perque colloquutionem, orationi iunctam, cum Patre per Iesum Christum in Spiritu Sancto. 4224

<sup>145</sup> Cf. Io. 19, 34.

<sup>146</sup> N. 25: AAS 60 (1968) 499.

<sup>147</sup> Eph. 2, 4.

<sup>148</sup> Cf. Ioannes Paulus PP. II, Litt. Enc. *Dives in misericordia*, n. 13: AAS 72 (1980) 1218 s.

<sup>149</sup> Cf. 1 Petr. 2, 5.

Familiaris precatio habet suas proprietates. Nam est oratio *communitate* facta a marito et uxore simul, a parentibus una cum liberis. Eodem tempore communio in precatione fructus est ac postulatum illius communionis, quae sacramentis bap[152]tismi et matrimonii suppeditatur. Ad christianae familiae membra adhiberi particulatim possunt voces, quibus Dominus Iesus praesentiam suam pollicetur: «iterum dico vobis: Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re, quaecumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in caelis est. Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum». <sup>150</sup> Singulare argumentum huiusmodi familiaris precationis est *ipsa vita familiae*, quae in universis variisque suis adiunctis explicatur tamquam Dei vocatio et tamquam responsio filiorum appellationi eius efficitur: gaudia et dolores, spes et tristitiae, dies natales et anniversarii, nuptiarum iubilaea parentum, profectioes, longinquae commorationes et reversiones, graves et decretoriae electiones, obitus carorum et alii huiusmodi eventus demonstrant Dei amorem in familiae rerum cursu intervenientem ac pariter designare debent tempus aptum ad gratiarum actionem, ad implorationem, ad actum, quo familia fidenter se permittit Patri communi, qui est in caelis. Dignitas autem officiumque christianae familiae ut Ecclesiae domesticae exprimi possunt solum assiduo Dei auxilio, quod sine dubio concedetur, si humiliter fidenterque flagitabitur precatione.

4225 60. Ex eorum dignitate ac sacerdotali missione ad omnes baptizatos pertinente, proprium christianorum parentum munus est liberos instruere ad orandum eosque adducere paulatim ad mysterium Dei detegendum et ad colloquendum singulariter cum eo: «Maxime vero in Christiana familia, matrimonii Sacramenti gratia et officio ditata, filii iam a prima aetate secundum fidem in Baptismo receptam Deum percipere et colere atque proximum diligere doceantur oportet». <sup>151</sup>

Primaria necessariaque pars educationis ad precandum est *concretum exemplum* parentum et testimonium, vita compro[153]batum: dumtaxat una cum liberis orantes pater ac mater, dum suum perficiunt regale sacerdotium, in cordis filiorum veluti penetralia descendunt ibique vestigia relinquunt, quae sequentes vitae eventus exterminare non valent. Audiamus denuo Paulum VI parentes exhortantem: «Matres, docetisne liberos vestros christiani hominis precationes? Praeparatisne una cum sacerdotibus filios vestros ad primae aetatis sacramenta, Paenitentiam, Eucharistiam, Confirmationem? Assuefacitisne eos, si aegrotant, ut Christum cogitent perdolentem?, ut Virginis Mariae Sanctorumque invocent auxilia? Persolvitisne in familia marialis Rosarii precationem? Et vos patres, scitisne una cum liberis vestris cum omni-que domestica communitate saltem interdum orare? Exemplum enim vestrum, comitante cogitationis actionisque honestate ac suffragante aliqua communi precatione, tantum valet quantum utilis ad vitam

<sup>150</sup> Mt. 18, 19 s.

<sup>151</sup> *Gravissimum educationis* n. 3; cf. Ioannes Paulus PP. II, *Adhort. Apost. Catechesi tradendae*, n. 36: AAS 71 (1979) 1308.



schola, quantum cultus exercitatio eximii omnino meriti; sic pacem inferte intra domesticos parietes: "pax huic domui!". Reminiscimini: ita aedificatis Ecclesiam!». <sup>152</sup>

61. Inter Ecclesiae preces ac singulorum fidelium orationes alta vitalisque necessitudo intercedit, sicut liquido confirmavit Concilium Vaticanum Secundum. <sup>153</sup> Praecipuum vero quoddam propositum preces in Ecclesia domestica eo spectat ut filii naturali quodam modo ad orationem liturgicam totius Ecclesiae inducantur, quatenus tum componuntur ad eam, tum ambitum vitae personalis, familiaris, socialis illa complectitur. Hinc necesse est omnes christianae familiae sodales pedetemptim participant Eucharistiam, maxime dominicalem et festivam, necnon alia sacramenta, praesertim initiationis christianae filiorum. Directoriae Concilii normae novam opportunitatem familiae christianae praebent, quae inter coetus [154] est annumerata, quibus communitaria celebratio suadetur Liturgiae Horarum. <sup>154</sup> Curabit pariter familia christiana ut etiam domi, ratione quidem suis sodalibus idonea, tempora ac liturgici anni festi dies celebrentur.

Ut autem domi praeparetur et continetur cultus in Ecclesia celebrandus, familia utitur christiana precibus privatis, quarum magna invenitur varietas formarum: haec varietas, immensas testans divitias, secundum quas preces christianam Spiritus movet, diversis satisfacit postulationibus condicionibusque vitae illius qui ad Dominum dirigit mentem. Praeter preces matutinas ac vespertinas, expressis verbis suadentur secundum Synodi Patrum monitionem: lectio et meditatio verbi Dei, praeparatio sacramentorum, pietas in Sacratissimum Cor Iesu et consecratio ei facta, variae rationes cultus Beatae Mariae Virginis, benedictio mensae, religionis popularis custodia.

Ecclesia, filiorum Dei libertatem plane observans, nonnullas pietatis formas fidelibus peculiari cum cura et instantia proposuit pergitque proponere: inter quas memoretur oportet Marialis Rosarii recitatio: «Nunc autem, Decessorum Nostrorum proposita prosecutis, perplacet Nobis vehementer marialis *Rosarii* recitationem inter saepa domestica commendare... dubium non est, quin Beatae Mariae Virginis *Corona* inter excellentissimas atque efficacissimas "communes preces" recensenda sit, ad quas fundendas Christiana familia invitatur. Re quidem vera placet Nobis mentem eo intendere ac vehementer optamus, ut, cum familiae membra ad precandum una conveniant, *Rosarium* crebro libenterque eo ipso tempore adhibeatur». <sup>155</sup> Germana sic pietas marialis, quae arcta coniunctione et magnanima sequela spiritalium sensuum Virginis Sanctissimae declaratur, praestantissimum quoddam instrumentum est ad alendam amoris communionem familiae provehendamque coniugalem ac familiaris spiritualitatem. Illa enim,

<sup>152</sup> Allocutio habita in Admissione generali (11 Aug. 1976): Insegnamenti di Paolo VI, XIV (1976) 640.

<sup>153</sup> Cf. *Sacrosanctum Concilium* - n. 12.

<sup>154</sup> Cf. *Institutio Generalis de Liturgia Horarum*, n. 27.

<sup>155</sup> Paulus PP. VI, *Adhort. Apost. Marialis cultus*, nn. 52-54: AAS 66 (1974) 160 s.

Christi Mater et Ecclesiae, insigniter etiam familiarum christianarum Mater est, nempe domesticarum Ecclesiarum.

- 4228 62. Par non est oblivisci umquam precationem esse vitae christianae constitutivam et necessariam partem secundum suam integram et intimam naturam; quin immo ea pertinet ad ipsam nostram «humanitatem»: est «declaratio prima interioris veritatis hominis, condicio prima germanae libertatis spiritus». <sup>156</sup>

Hac de causa precatio minime significat quasi quandam fugam, quae a cotidianis officiis aliquem abducit, sed vehementiorem impulsum apportat ut christiana familia suscipiat pleneque absolvat munera universa sua tamquam cellulae primae ac fundamentalis humanae societatis. Proinde actuosa communicatio vitae munerisque Ecclesiae in mundo respondet fidelitati atque studio precationis, qua familia christiana secundae coniungitur Viti, quae Christus est Dominus. <sup>157</sup>

Ex vitali cum Christo consociatione, quae Sacra Liturgia nutritur nec non sui ipsius oblatione et oratione, profluit etiam familiae christianae fecunditas in eius proprio ministerio ad progressionem humanam spectante, quod ex se necessario prodest mundo transformando. <sup>158</sup>

- 4229 63. Ecclesiae, populo scilicet prophetico-sacerdotali-regali, officium est omnes homines perducere ad verbum Dei in fide accipiendum idque celebrandum ac testificandum in sacramentis et in precationibus et demum ad id commonstrandum [156] in vitae rebus *concretis* secundum donum novumque amoris mandatum.

Familia christiana legem suam reperit non in scripto aliquo codice, verum in Sancti Spiritus actione personali, quae concitat christianum et gubernat; haec est enim «lex ... Spiritus vitae in Christo Iesu»: <sup>159</sup> «caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis». <sup>160</sup>

Hoc aequabiliter dicendum est de coniugibus ac familia christiana: eorum moderator et norma est Spiritus Iesu in corda effusus ex sacramenti matrimonii celebratione. Baptismum in aqua et Spiritu prosequens, matrimonium iterum proponit evangelicam amoris legem et Spiritus dono eam altius insculpit in christianorum coniugum animis: amor eorum, purificatus et redemptus, est fructus Spiritus, qui credentium in animis operatur eodemque tempore se veluti praebet principale mandatum moralis vitae, quae ab eorum *responsabili* libertate depositur. [...]

#### IV

- 4230 [158] I - 65. Sicut omnis animans, ita et familia progrediatur et crescat oportet. Post sponsalium praeparationem atque celebrationem sa-

<sup>156</sup> Ioannes Paulus PP. II., Allocutio habita in Sanctuario vulgo nuncupato «Mentorella» (29 Oct. 1978): *Insegnamenti di Giovanni Paolo II*, I (1978) 78 s.

<sup>157</sup> Cf. *Apostolicam actuositatem*, n. 4.

<sup>158</sup> Cf. Ioannes Paulus PP. I, Allocutio habita ad sacrorum Antistites XII Regionis Pastoralis Foederatarum Civitatum Americae Septentrionalis (21 Sep. 1978): *AAS* 70 (1978) 767

<sup>159</sup> *Rom.* 8, 2.

<sup>160</sup> *Ibid.*, 5, 5.

cramentalem matrimonii, coniuges cotidianum veluti iter instituunt eo pertinens ut per gradus matrimonii bona consequantur et officia impleant. [...]

[159] 66. [...] Praeparatio ad matrimonium habeatur ac perficiatur tamquam processus, qui gradatim fit et continenter. Ea enim tres [160] praecipuos postulat gradus: praeparationem remotam, propinquiorem, proximam. 4231

*Praeparatio remota* ab ipsa infantia incipit, in ea sapienti familiari arte paedagogica, quae dirigere studet pueros ad se ipsos cognoscendos ut homines uberibus et implicatis dotibus psychologicis necnon singularis indole personae praeditos, cum viribus propriis et infirmitatibus. [...] Hoc fundamento innixa, postea *praeparatio proxima*, fusius *pertractanda*, instituitur, quae — ab aetate consentanea et congruenti cum catechesi, veluti institutione catechumenorum — magis peculiarem postulat praeparationem ad sacramenta suscipienda, ad novam nempe quasi eorum inventionem. Haec renovata catechesis iuvenum et eorum omnium, qui ad matrimonium christianum se praeparant, est omnino necessaria ut sacramentum necessariis cum animi dispositionibus moralibus et spiritalibus celebretur et ex eo deinde vivatur. [...]

[161] Expediit ut *praeparatio proxima* ad matrimonii sacramentum celebrandum postremis fiat mensibus et hebdomadibus, quae nuptiis antecedunt, ut nova veluti significatio, novum argumentum et forma tribuantur inquisitioni, quam dicunt, ante matrimonii celebrationem canonico iure postulatae. Hac praeparatione iugiter necessaria quocumque in casu ii magis indigent sponsi, qui adhuc defectus ac difficultates quoad christianam doctrinam vitaeque usum prae se ferunt. Inter principia, quae tradenda sunt in hoc fidei veluti itinere, catechumenatui simili, oportet etiam altius perspiciatur Christi Ecclesiaeque mysterium, significatio gratiae atque officii matrimonii christiani necnon praeparatio ad actuosam et consciam participationem rituum liturgiae nuptialis. [...]

[162] Licet haud minoris aestimanda sit necessitatis et obligationis ratio, praeparationis proximae ad matrimonium propria — quod quidem fieret, si facile ab ea aliquis eximeretur — tamen oportet haec praeparatio semper ita proponatur et ad effectum sic adducatur ut eius praetermissio, si eam fieri contingat, non sit impedimentum nuptiarum celebrandarum.

67. Matrimonium christianum ad normam liturgicam postulat celebrationem, quae ratione sociali et communitaria naturam essentialiter ecclesialem et sacramentalem coniugalis foederis inter baptizatos declaret. 4232

Ut *sacramentalis actio sanctificationis*, matrimonii celebratio — Liturgiae, culmini actionis Ecclesiae et fonti eius virtutis sanctificantis, illigata <sup>166</sup> — oportet per se sit valida, digna, frugifera. Hic amplius patet campus sollicitae curae pastoralis ut postulationes prorsus impleantur.

<sup>166</sup> Cf. *Sacrosanctum Concilium*, n. 10.

tur, quae e natura foederis coniugalis, sacramenti dignitate aucti, pro-  
manant, atque simul disciplina Ecclesiae recte servetur, quod attinet  
ad liberum consensum, impedimenta, canonicam formam et ipsum ce-  
lebrationis ritum. Hic simplex et decorus sit iuxta normas competen-  
tium auctoritatum Ecclesiae, quarum est etiam — secundum certa et  
definita adiuncta temporis et loci atque congruenter normis ab Apos-  
tolica Sede editis <sup>167</sup> — si forte res ferat, inducere in celebratione li-  
turgica illa cuiusque cultus humani elementa, quae ad exprimendam  
altam significationem humanam et religiosam coniugalis foederis sa-  
tius valeant, dummodo in [163] iis nihil insit, quod cum fide christianis-  
que moribus parum conveniat.

Ut *signum* celebratio liturgica ita peragatur ut fiat, etiam quoad exte-  
riorem veritatem, verbi Dei proclamatio et professio fidei communita-  
tis credentium. Pastorale officium hac in re patescet sapienti diligenti-  
que cura «Liturgiae verbi» et institutione fidei, iis tradita, qui adsunt  
celebrationi, imprimis nuptias facientibus.

Ut *sacramentalis actio Ecclesiae*, celebratio oportet liturgica matrimo-  
nii christianam associet communitatem participatione plena, actuosa  
et conscia omnium astantium, secundum uniuscuiusque locum et offi-  
cium: nuptias facientium, sacerdotis, testium, propinquorum, amico-  
rum ceterorumque fidelium, qui omnes coetui intersunt, qui myste-  
rium Christi eiusque Ecclesiae manifestat et exprimit vivendo.

Quod attinet ad celebrationem matrimonii christiani in regionibus  
propriis cum cultus humani formis vel traditionibus avitis, principia  
serventur supra enuntiata.

4233 68. Maxime eo quod in celebratione sacramenti peculiaris cura im-  
penditur dispositionibus moralibus et spiritalibus matrimonium ineun-  
tium, potissimum vero eorum fidei, hic aggredienda est difficultas,  
quae non raro contingit et in quam pastores Ecclesiae incidere possunt  
in hac nostra societate, saecularem formam induta.

Etenim fides eius qui ab Ecclesia petit ut matrimonium possit contra-  
here, varios habere potest gradus, atque praecipuum est munus pasto-  
rum efficere ut ea iterum reperiat, alatur, ad maturitatem adduca-  
tur. Sed oportet quoque ut ii intellegant causas, quae suadent Ecclesiae  
ut, etiam qui non est perfecte dispositus ad celebrationem, admittatur.  
Prae ceteris sacramentis haec sunt eiusdem matrimonii sacramenti pe-  
culiaria et propria: est videlicet sacramentum rei, quae iam in creatio-  
nis dispositione inest, est idem foedus coniu[164]gale a Creatore insti-  
tutum «in principio». Viri ergo mulierisque propositum matrimonium  
contrahendi secundum hoc Dei consilium, id est secundum proposi-  
tum vitam, per ipsorum coniugalem et irrevocabilem consensum, amo-  
re indissolubili atque fidelitate sine condicionibus astringendi, revera  
requirit, etiamsi modo non omnino conscio, animum affatim oboe-  
diendi Dei voluntati, qui sine eius gratia non potest haberi. Ii igitur ve-  
rum propriumque salutis iter sunt ingressi, quod celebratio sacramenti

<sup>167</sup> Ordo celebrandi Matrimonium, n. 17.

et proxima ad eandem praeparatio complere valent et ad metam adducere, dummodo recta sit eorum intentio.

Ceterum verum est in quibusdam regionibus magis sociales quam reapse religiosas causas impellere sponso, ut celebrationem matrimonii in Ecclesia petant. Quod non est mirum. Namque matrimonium est eventus, qui non tantummodo facturos nuptias respicit. Suapte enim natura est etiam quiddam sociale, quod sponso respectu societatis obligat. Ex omni tempore celebratio eius dies est festus, quo familiae amicique inter se coniunguntur. Patet ergo sociales causas concurrere cum privatis in petitione matrimonium in ecclesia contrahendi.

Neque obliviscendum est matrimonium inuituros huiusmodi, vi sui baptismi, vere iam alligari Foedere sponsali Christi cum Ecclesia atque ob rectam suam intentionem Dei consilium de matrimonio se accepisse ideoque, saltem implicite, ei assentiri, quod Ecclesia facere intendat, cum matrimonium celebret. Quamobrem tantummodo eo quod in huiusmodi petitione etiam sociales causae inveniuntur, probari non potest celebrationis recusatio a pastoribus forsitan facta. Ceteroquin, ut Concilium Vaticanum Secundum docuit, Sacramenta verbis et rebus ritualibus fidem alunt et roborant: <sup>168</sup> fidem dicimus, ad quam matrimonium inuituri iam contendunt vi rectae suae intentionis, quam gratia Christi sine dubio fovet et firmat. 4234

Praeterea, si aliae rationes circa admissionem ad celebratio[165]nem ecclesiam matrimonii statuuntur, quae gradum fidei nuptias facere volentium respiciant, gravia pericula possunt afferri: imprimis periculum faciendi iudicia fundamento carentia et discriminantia; deinde periculum ingerendi dubia de validitate matrimoniorum iam celebratorum, magno cum detrimento christianarum communitatum cumque novis, non probandis angoribus conscientiae coniugum; periculum impugnandi vel in dubium vocandi indolem sacramentalem multorum matrimoniorum fratrum a plena communione cum Ecclesia catholica seiunctorum, quod ab ecclesiali discrepat traditione.

Cum, contra, omni conatu ad irritum redacto, nuptias facturi aperte et expresse id quod Ecclesia intendit, cum matrimonium baptizatorum celebratur, se respuere fatentur, animarum pastori non licet eos ad celebrationem admittere. Quamvis id aegre ferat, debet id ipsum agnoscere atque iis, quorum interest, persuadere non Ecclesiam in tali rerum statu sed eos ipsos celebrationem, quam quidem petant, impedire. Etiam instantius hic videtur urgeri necessitas evangelizationis et catechesis ante et post matrimonium tradendarum, quas cuncta christiana communitas exsequatur oportet ea mente ut unusquisque vir et mulier, qui matrimonium contrahunt, sacramentum matrimonii non solum valide celebrent sed etiam fructuose.

[166] II - Actio pastoralis semper dinamico modo veram Ecclesiae naturam ostendit, quae missione sua salvifica obstringitur. Etiam pastoralis cura familiae — peculiaris ac praecipua ratio [167] pastoralis 4235

<sup>168</sup> Cf. *Sacrosanctum Concilium*, n. 59.

ministerii — habet principium suum efficiens principemque auctorem ipsam Ecclesiam per eius structuras perque illos qui in ea operantur.

4236 [168] 71. Sed maxime singularis habendus est locus, qui hac in re ad missionem coniugum familiarumque christianarum pertinet, ac quidem vi gratiae in sacramento acceptae. Quae missio est exsequenda ut Ecclesia atque Regnum Dei in rerum humanarum cursu aedificentur. Id postulatur sicut actus promptae obtemperationis Christo Domino. Is enim, virtute matrimonii baptizatorum ad sacramenti dignitatem eveci, coniugibus christianis peculiarem missionem apostolorum impertit, qua ut operarii in vineam eius et, praecipuo modo, in hunc campum familiae mittuntur. [...]

4237 [170] III - [...] 73. Princeps curator et auctor rei pastoralis familiae in dioecesi est episcopus. [...]  
Episcopi praesertim presbyteris utuntur, quorum munus — sicut Synodus aperte illustravit — pars est primaria ministerii Ecclesiae in utilitatem matrimonii atque familiae. Idem dicendum est de iis diaconis, quibus curatio huiusce provinciae pastoralis fortasse conceditur. Eorum officium non solum quaestiones morales et liturgicas amplectitur, sed etiam personales atque sociales. [...]

4238 74. [...] [172] Hinc fieri potest ut religiosi ac religiosas, sodales Institutorum saecularium et aliarum perfectionis Institutionum, singillatim vel coniunctim, ministerium facitent in bonum familiarum, peculiarem curam gerentes infantium, praesertim derelictorum, inoptatorum et orphanorum, pauperum vel impeditorum, invisentes familias aegrisque assidentes, excolentes necessitudinem observantiae et caritatis cum familiis semiplenis, versantibus in difficultate aut disiunctis, praebentes propriam docendi et consilia dandi industriam in praeparandis iuvenibus ad matrimonium et in subsidiis praestandis ipsis coniugibus ad procreationem vere *responsabilem*, pandentes proprias domos simplici comique hospitalitati ut ibi familiae experiri valeant sensum Dei et spiritalem gustum precationis animique in Deum collecti et verum exemplum vitae transactae in caritate fraternaue laetitia tamquam inter membra amplioris familiae Dei. [...]

4239 [175] 77. Pastorale studium etiam promptius, sapientius, prudentius ad Boni Pastoris exemplar flagitatur erga illas familias, quae — plerumque praeter suam voluntatem aut ob alias varii generis necessitates, quibus premuntur — condicionibus occurrere debent re ipsa difficilibus. [...]

[176] *Migrantium familiae*, praesertim cum de operariis agitur et agricolis, necesse est ubique in Ecclesia suam invenire possint patriam. Quod est nativum quoddam Ecclesiae munus, quandoquidem unitatis ipsa est signum in diversitate. Quantum fieri potest, iis assistant sacerdotes eiusdem eorum ritus, cultus humani ac sermonis. [...]

[178] His omnibus variis in rebus precatio ne umquam praetermittatur, origo id est solacii ac virium necnon spei christianae alimentum.

78. [...] Coniuges, qui in matrimonio mixto versantur, prae se ferunt proprias necessitates, quae ad tria capita praecipua redigi possunt. 4240

Imprimis ante oculos constituenda sunt catholicae parti officia ex fide manantia, quod spectat ad liberam huius exercitationem munusque inde consecutum curandi pro viribus ut filii in catholica fide baptizentur educenturque. <sup>178</sup> [...]

[179] De forma autem liturgica et canonica matrimonii licet Ordinariis abundanter uti facultatibus propriis, ut variis necessitatibus occurrant. [...]

Mixta inter catholicos aliosque baptizatos matrimonia, quamvis singularem exhibeant speciem, plures tamen ostendunt rationes, quas utile est probe fovere et provehere tum propter interius ipsarum momentum tum propter vim, quam motui oecumenico tribuere valent. Hoc potissimum patet quoties ambo coniuges fideles sunt religiosi officii suis. Communis enim baptismus ac dynamica gratiae virtus suppeditant coniugibus horum matrimoniorum principium et causam communicandae eorum coniunctionis in bonorum moralium spiritualiumque provincia. [...]

[180] Quod porro coniugis non catholici participationem respicit eucharisticae Communionis, regulae observentur a Secretariatu ad Christianorum unitatem fovendam editae. <sup>179</sup>

In variis orbis terrarum partibus augescens numerus matrimoniorum, quae inter catholicos et non baptizatos contrahuntur, animadvertitur. [...]

Verumtamen in haud paucis eiusmodi matrimoniis, maxime intra societates saeculari nota insignes, coniux non baptizatus nullam prorsus religionem profitetur. Ad haec quod attinet conubia, necesse est ut Conferentiae episcopales et episcopi singuli congruentibus consiliis pastoralibus utantur eo pertinentibus ut defensionem fidei coniugis catholici ac tuitionem liberae exercitationis eiusdem fidei prospiciatur, praesertim quod ad officium spectat faciendi, quantum potest, ut filii baptizentur et secundum religionem catholicam educantur. [...]

80. Prima condicio aliqua abnormis proficiscitur ex illo matrimonio, quod «experimenti causa initum» appellant et quod [181] plures hodie defendere velint certam ei praestantiam assignantes. 4241 [...]

Ecclesia sua vicissim ex parte tolerare non potest tale coniunctionis genus propter alias singulares rationes ex fide manantes. Hinc enim donum corporis in consortio sexuali *reale* signum est donationis totius personae: quae tamen donatio in hac, quae viget, salutis oeconomia, plena ex veritate effici nequit nisi caritatis amor, a Christo praebitus, concurrat. Illinc autem matrimonium duorum baptizatorum *reale* est

<sup>178</sup> Cf. Paulus PP. VI, Motu Proprio *Matrimonia mixta*, nn. 4-5; AAS 62 (1970) 257 ss.; cf. Ioannes Paulus PP. II, Allocutio habita ad participes plenariae sessionis Secretariatus ad Christianorum unitatem fovendam (13 Nov. 1981): diarium «L'Osservatore Romano» (14 Nov. 1981).

<sup>179</sup> Instructio *In quibus circumstantiis* (15 Iun. 1972): AAS 64 (1972) 518-525; Communicatio (17 Oct. 1973): AAS 65 (1973) 616-619.

symbolum unitatis Christi cum Ecclesia, quae neque temporaria est neque «ad experimentum», sed in sempiternum fidelis; inter duos igitur baptizatos existere non potest matrimonium nisi indissolubile. [...]

4242 [183] 82. Frequentius usque evenit ut catholici, rationibus ideologicis vel practicis impulsu, solum civile matrimonium contrahere malint, reiecto vel saltem dilato religioso. Eorum autem status aequari simpliciter non potest conditioni conviventium nullo vinculo iunctorum, cum apud eos saltem certum quoddam officium reperitur definitum et verisimiliter stabilem vitae cursum tenendi, quamvis hac in re saepe et praevideatur facultas divortii fortasse faciendi. Cum coniuges velint ut a Civitate vinculum publice agnoscat, demonstrant paratos se esse una cum commodis etiam obligationes suscipere. Nihilominus ne haec quidem condicio accipi ab Ecclesia potest.

Illuc igitur pastoralis industria tendat ut penitus comprehendatur necessitas cohaerentiae inter vitae electionem et fidem, quam quis profiteretur; et quantum fieri poterit, conabitur tales adducere homines ut statum suum secundum christiana principia ad regulam dirigant. Quamvis magna cum caritate eos tractent atque studio in propriarum communitatum vitam in[184]flamment, Ecclesiae pastoribus, pro dolor, non licet eos ad sacramentamittere.

4243 83. Causae variae, cuius generis sunt mutuae contentiones aut nulla facultas se aperiendi veris necessitudinis rationibus inter personas intercedentibus hisque similes, acerbè validum matrimonium ad disruptionem saepe insanabilem possunt adducere. Ut patet, separatio habenda est extremum remedium, cum omnis alius conatus fuerit vanus. Solitudo aliaque difficultates crebro sunt sors coniugis separati, praesertim si innocens est. Tunc magis quam alias ecclesialis communitas coniugem debet sustinere eique tribuere existimationem et animorum coniunctionem, consensionem et solida auxilia ut in rebus adversis, in quibus versatur, fidelitatem valeat servare; debet insuper coniugem adiuvare ut praescriptam virtutem veniae colat, propriam christiani amoris, necnon voluntatem promptam ad resumendam fortasse superiorem vitam conjugalem.

Consimilis est casus coniugis, qui divortium pertulit sed, probe comprehensam habens validi vinculi matrimonialis indissolubilitatem, non se patitur nova coniunctione implicari sed, contra, dumtaxat suis officiis in familia satisfacere vitaeque christianae obligationibus studet. Exemplum itaque eius fidelitatis et constantiae christianae accipit vim peculiarem testificationis coram mundo et Ecclesia ideoque ab Ecclesia postulat operam magis necessariam et continuam amoris et auxilii, omni submoto obstaculo accessionis ad sacramenta.

4244 84. Cotidianum rerum experimentum, pro dolor, docet eum qui divortium fecerit, plerumque animo intendere novam transire ad convivendi societatem, sine ritu religioso catholicorum, ut patet. Cum de malo agatur, quod, sicut et alia, latius usque inficiat etiam greges catholicos, haec difficultas est cum cura et sine ulla mora omnino aggredienda. Synodi Patres eam data [185] opera investigaverunt. Nam Ec-



clesia, idcirco instituta ut ad salutem omnes homines imprimisque baptizatos perduceret, non potest sibimet ipsis illos derelinquere, qui — iam sacramentali vinculo matrimonii coniuncti — transire conati sunt ad nuptias novas. Nitetur propterea neque umquam defessa curabit Ecclesia ut iis praesto sint salutis instrumenta.

Noverint pastores ex veritatis amore se bene distinguere debere inter varias rei condiciones. Etenim aliquid interest inter eos qui sincero animo contenderunt primum matrimonium servare quique prorsus iniuste sunt deserti, atque eos qui sua gravi culpa matrimonium canonice validum everterunt. Sunt denique alii, qui novam inierunt convivendi societatem educationis filiorum gratia atque interdum certi sua in intima conscientia sunt superius matrimonium iam irreparabiliter disruptum numquam validum fuisse.

Una cum Synodo vehementer cohortamur pastores totamque fidelium communitatem ut divortio digressos adiuvent, caventes sollicita cum caritate ne illos ab Ecclesia seiunctos arbitrentur, quoniam iidem posunt, immo debent ut baptizati vitam ipsius participare. Hortandi praeterea sunt ut verbum Dei exaudiant, sacrificio Missae intersint, preces fundere perseverent, opera caritatis necnon incepta communitatis pro iustitia adiuvent, filios in christiana fide instituant, spiritum et opera paenitentiae colant ut cotidie sic Dei gratiam implorent. Pro illis Ecclesia precetur, eos confirmet, matrem se exhibeat iis misericordem itaque in fide eos speque sustineat.

4245

Nihilominus Ecclesia inculcat consuetudinem suam, in Sacris ipsis Litteris innixam, non admittendi ad eucharisticam communionem fideles, qui post divortium factum novas nuptias inierunt. Ipsi namque impediunt ne admittantur, cum status eorum et condicio vitae obiective dissideant ab illa amoris coniunctione inter Christum et Ecclesiam, quae Eucharistia significatur atque peragitur. Restat praeterea alia peculiaris ratio pastoralis: si homines illi ad Eucharistiam admitterentur, in errorem turbationemque inducerentur fideles de Ecclesiae doctrina super indissolubilitate matrimonii.

Porro reconciliatio in sacramento paenitentiae — quae ad Eucharistiae sacramentum aperit viam — illis unis concedi potest, qui dolentes quod signum violaverint Foederis et fidelitatis Christi, sincere parati sunt vitae formam iam non amplius adversam matrimonii indissolubilitati suscipere. Hoc postulat revera ut, quoties vir ac mulier gravibus de causis — verbi gratia, ob liberorum educationem — non valeant necessitati separationis satisfacere, «officium in se suscipiant omnino continenter vivendi, scilicet se abstinendi ab actibus, qui solis coniugibus competunt». <sup>180</sup>

4246

Observantia similiter erga matrimonii sacramentum, tum etiam erga coniuges eorumque familiares necnon erga ipsam fidelium communitatem, vetat quemlibet pastorem ullam propter causam vel praetextum

180 Ioannes Paulus PP. II, Homilia habita exunte VI Synodo Episcoporum, n. 7 (25 Oct. 1980): AAS 72 (1980) 1082.

etiam pastorem ne pro divortio digressis, qui novas nuptias inierunt, ritus cuiusvis generis faciant; hi enim ostenderent novas nuptias sacramentales validas celebrari ac proinde errorem inicerent de indissolubilitate prioris matrimonii valide contracti.

Hoc quidem pacto agens, Ecclesia profiteatur fidelitatem suam in Christum eiusque veritatem; simul vero materno affectu se gerit erga hos filios suos, potissimum eos qui nulla propria intercedente culpa a proprio derelicti sunt legitimo coniuge.

Firma insuper cum fiducia Ecclesia credit quotquot a mandato Domini recesserint in eoque etiam nunc statu vivant, a Deo gratiam conversionis ac salutis assequi posse, si in precatione, paenitentia, caritate perseveraverint.

## De cura pastorali hominum sedem mutantium

Die 19 martii 1982 Pontificia Commissio de spirituali migratorum atque itinerantium cura Decretum «de specialibus concedendis tum facultatibus pro Cappellanis, tum privilegiis pro Christifidelibus variis in provinciis quod ad homines sedem mutantibus attinet», emisit.

ED. - Lat.: AAS 74 (1982) 742-745. Gall.: DC 79 (1982) 566-567. Ital.: EV 8, 92-99.

COMM. - Gall.: P. FANTO, in: DC 79 (1982) 567-568.

[742] Pro materna, quam gerit, cura Salutis Nuntium ad omnes homines afferendi, <sup>1</sup> Ecclesia sollicite cogitat de peculiaribus vitae conditionibus, quae cum humana sedium mutatione conectuntur. Id enim stabili cuidam normae Sanctae Sedis respondet, ut vias ac rationes subsidiaque pastoralia ad roborandam spiritualem vitam fidelium accommodata inveniat ac provehat. Praecipuae autem facultates atque privilegia, quae praeteritis annis in bonum migrantium, maritimorum et navigantium largiter concessa sunt, multum se habere efficacitatis ostenderunt. Quapropter, spiritualibus confirmata fructibus, qui uberes hisce in campis percepti sunt, eadem Sancta Sedes, quandoquidem pastoralis opera in bonum ceterarum classium hominum, qui sedium mutationi obnoxii sunt, nova incrementa consecuta est, peropportuum esse ducit ad Cappellanos atque Christifideles harum classium facultates atque privilegia respective extendere, quae ad sacrum apostolatum amplificandum conferre possint. 4247

Porro haec Pontificia Commissio, experimentis innixa hos per annos perfectis itemque ob oculos habens facultates, quibus hactenus Cappellani et Sacerdotes missionales migrationis et Apostolatus Maris fruebantur, necnon obsecundans praeceptis tum Oecumenici Concilii Vaticani II tum Sodalium plenarii Conventus eiusdem Pontificiae Commissionis, <sup>2</sup> postquam sententiam rogavit competentium Sacrorum Romanae Curiae Dicasteriorum peculiariumque Coetuum seu Commissionum Conferentiarum Episcopaliun, in unam veluti tabulam sive [743] facultates sive privilegia collegit, eademque ad Cappellanos atque Christifideles omnium provinciarum de humana sedium mutatione respective extendit.

<sup>1</sup> Cf. Mt. 28, 16-20; Mc. 16, 45.

<sup>2</sup> Qui Conventus diebus 27-29 mensis Octobris anno 1981 habitus est.

### I. *Facultates pro cappellanis*

- 4248 Sacerdotes, qui legitime deputantur ad exercendam curam spiritualem:  
— emigrantium,  
— maritimarum atque navigantium (sive in portibus, sive in navigatione ab ipso navigationis initio),  
— nomadum, circensium et nundinariorum,  
— opus facientium in aeroportibus et in aëronavibus, necnon aëronavigantium,  
— itinerantium et peregrinorum,  
durante munere, gaudent facultatibus, quae infra recensentur, in commodum tantummodo fidelium ipsis concreditorum, servatis de iure servandis:
- 4249 1. Celebrandi Eucharistiam, iusta de causa, bis diebus ferialibus atque, si necessitas pastoralis id postulet, ter in diebus dominicis et festis de praecepto.
- 4250 2. Celebrandi, feria V in Cena Domini horis vespertinis, ubi ratio pastoralis id postulet, alteram Missam in ecclesiis et oratoriis atque, in casu necessitatis et tantummodo pro fidelibus, qui nullo modo vespertinam Missam participare valent, horis etiam matutinis.
- 4251 3. Utendi, loco candelarum, luminibus electricis, cum Sacrum sub dio, vel in navibus et in aëronavibus celebratur, si candelae praesto non sint vel adhiberi nequeant.
- 4252 4. Asservandi Sanctissimam Eucharistiam, dummodo adsit qui eius curam habeat, in navibus et in «roulottes», in loco tamen tutiore et decore, debitis cautelis adhibitis et servato praescripto de lampade.
- 4253 5. Excipiendi ubique terrarum confessiones fidelium ipsis concreditorum.
- 4254 6. Absolvendi, in foro sacramentali, fideles ipsis concreditos a censuris latae sententiae non declaratis, Apostolicae Sedi non reservatis, servatis de iure servandis.
- 4255 [744] 7. Administrandi Sacramentum Confirmationis fidelibus ipsis concreditis, rite institutis ac dispositis, et peregrinis in periculo mortis versantibus.
- 4256 8. Iisdem gaudet facultatibus Sacerdos qui, Cappellano absente aut impedito, legitime nominatur ad eius vices gerendas.

### II. *Privilegia pro fidelibus*

- 4257 Christifideles ad coetum personarum quem supra memoravimus pertinentes, iis fruuntur privilegiis, quae infra recensentur.
- 4258 1. Maritimi et aeroportuales dispensantur a lege abstinentiae et ieiunii, de qua in Const. Apostolica *Paenitemini* (cf. III, II §§ 2, 3); iis tamen suadet, cum dispensatione fruuntur, ut congruo pietatis opere legem compensent, atque, pro posse, legem saltem servent feria VI in passione et morte Iesu Christi.

2. Qui in navibus vel in aëronavibus, quavis ratione versantur, aut iisdem quoquo modo addicuntur, a lege abstinentiae et ieiunii, de qua in Const. Apostolica *Paenitemini* (cf. III, II, §§ 2, 3), itinere maritimo vel aëreo perdurante, dispensantur, servata tamen clausula superioris n. 1. 4259
3. Circenses, nundinarii et nomades a lege abstinentiae et ieiunii de qua Const. Apostolica *Paenitemini* (cf. III, II, §§ 2, 3), dispensantur, servata tamen clausula superioris n. 1. 4260
4. In navibus versantes, dummodo rite confessi ac sacra Communionem refecti, indulgentiam plenariam in festo Titularis oratorii et die secunda mensis augusti semel consequi valent, si oratorium, in navi legitime exstans, pie visitaverint, ibique *Pater noster* et *Credo* ad Summi Pontificis mentem recitaverint (cf. *Enchiridion indulgentiarum*, n. 65). 4261
5. Idem fideles, iisdem servatis condicionibus, indulgentiam plenariam, in suffragium defunctorum applicabilem, die secunda mensis novembris semel consequi valent, si praedictum oratorium pie visitaverint, ibique *Pater noster* et *Credo* ad Summi Pontificis mentem recitaverint (cf. *Enchiridion indulgentiarum*, n. 67). 4262
6. Indulgentias, de quibus in nn. 4 et 5, consequi valent, iisdem servatis condicionibus, maritimi eorumque familiares atque adiutores [745] «Apostolatus Maris», sive in sacellis et oratoriis circulatorum «Stella Maris», sive in oratoriis aliarum «Apostolatus Maris» sedium. 4263
7. Indulgentias, de quibus in nn. 4 et 5, consequi valent, iisdem servatis condicionibus, qui in aëroportibus vel in aëronavibus officia exercent vel opus faciunt, eorum familiares, vectores in aëreo et itinere, atque adiutores in «Apostolatus Aëris», die decima mensis decembris et in festo Titularis oratorii aëroportus, necnon die secunda mensis novembris, si praedictum oratorium pie visitaverint, ibique *Pater noster* et *Credo* ad Summi Pontificis mentem recitaverint. 4264
8. In navi, in qua SS. Eucharistia legitime asservatur, deficiente ministro ordinario Sacrae Communionis, minister extraordinarius a suo Ordinario loci rite deputatus, vel ad actum deputatus ab ipso Cappellano navis, Sacram Communionem distribuere potest, servatis de iure servandis (cf. *Immensae Caritatis*, 1, I-II). 4265
9. Si in «roulotte» SS. Eucharistia legitime asservatur, deficiente ministro ordinario Sacrae Communionis, minister extraordinarius a suo Ordinario loci rite deputatus, vel ad actum deputatus ab ipso Cappellano, Sacram Communionem distribuere potest, servatis de iure servandis (cf. *Immensae Caritatis*, 1, I-II). 4266
- Tali igitur ratione ad effectum deducitur id quod Litteris Apostolicis Motu Proprio datis *Apostolicae Caritatis* cautum est, quibus quidem Pontificia Commissio de spirituali migratorum atque itinerantium cura constituta est, quaeque haec inter alia verba continent: «...Nostrum erit eas novae huic Commissioni tribuere facultates, quae necessariae et opportunae videantur». <sup>3</sup>

<sup>3</sup> AAS 62 (1970) 196.

*Summus Pontifex Ioannes Paulus divina Providentia Pp. II, de Consilio infrascripti Cardinalis Pontificiae Commissionis de spirituali migratorum atque itinerantium cura Praesidis, in Audientia die XIX mensis Decembris anno MCMLXXXI concessa, easdem facultates eademque privilegia probare sua auctoritate dignatus est atque rite evulgarentur edixit, contrariis quibusvis nihil obstantibus.*

## Precatio sacerdotibus destinata

Die 25 martii 1982 Ioannes Paulus II Precationem universis Ecclesiae Sacerdotibus destinata[m] composuit, cui Epistula eiusdem Summi Pontificis praecedit.

---

ED. EPISTULAE - Lat.: AAS 74 (1982) 521. Gall.: DC 79 (1982) 391-393. Germ: VAS 36, 3. Hisp.: E 42 (1982) 460-463. Ital.: EV 8, 101. Neer.: AK 37 (1982) 418; Analecta voor het bisdom Roermond 63 (1982) n. 3, 23.

---

[521] A MINISTERII NOSTRI, ut universalis Ecclesiae Pastoris, exordio 4267  
desiderio sumus affecti ut Feria V in Cena Domini quotannis sit peculiaris vobiscum coniunctionis spiritalis dies, quo preces, sollicitudines pastorales, spes vobiscum communicemus, magnanimum vestrum ac fidele incitemus ministerium, totius Ecclesiae nomine gratias vobis referamus.

Hoc vero anno epistulam vobis non inscribimus, sed precationem mittimus, fide veluti dictatam et enatam ex corde, quam una vobiscum Christo adhibeamus ipso natali die sicut Nostri ita et vestri sacerdotii et ut communem meditationem proponamus, eadem illa collustratam et sustentatam.

Utinam unusquisque vestrum «resuscitet donationem Dei, quae est in eo per impositionem manuum» (cf. 2 Tim. 1, 6) novatoque regustet ardore gaudium quia totum se tradidit Christo.

## Codex Iuris Canonici

Die 25 ianuarii 1983 Ioannes Paulus II per Constitutionem Apostolicam «Sacrae disciplinae leges» novum Codicem Iuris Canonici pro Ecclesia latina promulgavit, in quo etiam leges liturgicae continentur.

ED. CONSTITUTIONIS APOSTOLICAE - Lat.: AAS 75 (1983) II, VII-XIV. Angl.: *Code of Canon Law. Latin-english edition*, Washington 31984, XI-XVI. Gall.: *Code de droit canonique latin-français*, Paris-Bourges 1984, IX-XVI; DC 80 (1983) 244-247. Germ.: *Codex des Kanonischen Rechtes. Lateinisch-deutsche Ausgabe*, Kevelaer 21984, IX-XXVII; ÖA/KR 34 (1983/84) 184-189. Hisp.: *Código de Derecho Canónico. Edición bilingüe*, Madrid 101983, XXVII-XLV. Ital.: *Codice di Diritto Canonico. Testo ufficiale e versione italiana*, Roma 1983, 17-33; RL 71 (1984) 283-288; RD 28 (1983) 131-133. Lus.: *Código de Direito Canónico*, Coimbra 1983, VII-XXVII.

- 4268 [XII] [...] Ac revera Codex Iuris Canonici Ecclesiae omnino necessarius est. Cum ad modum etiam socialis visibilisque compa[XIII]ginis sit constituta, ipsa normis indiget, ut eius hierarchica et organica structura adspectabilis fiat, ut exercitium munerum ipsi divinitus creditorum, sacrae praesertim potestatis et administrationis sacramentorum rite ordinetur, ut secundum iustitiam in caritate innixam mutuae christifidelium necessitudines componantur, singulorum iuribus in tuto positae atque definitae, ut denique communia incepta, quae ad christianam vitam perfectius usque vivendam suscipiuntur, per leges canonicas fulciantur, muniantur ac promoveantur. [...]

ED. VOLUMINIS: *Codex Iuris Canonici auctoritate Ioannis Pauli Pp. II promulgatus*, Libreria Editrice Vaticana 1983 (= AAS 75 [1983] II, 1-301 [Textus], 303-317 [Index]).

ED. - Angl.: *Code of Canon Law. Latin-english edition*, Washington 31984, 1-629 (Textus), XXIX-XLII (Index). Gall.: *Code de droit canonique latin-français*, Paris-Bourges 1984, 1-301 (Textus), 353-363 (Index). Germ.: *Codex des kanonischen Rechtes. Lateinisch-deutsche Ausgabe*, Kevelaer 21984, 2-769 (Textus), 771-799 (Index). Hisp.: *Código de Derecho Canónico. Edición bilingüe*, Madrid 101983, 1-761 (Textus), VII-XVIII (Index). Ital.: *Codice di Diritto Canonico. Testo ufficiale e versione italiana*, Roma 1983, 85-967 (Textus).



1129-1159 (Index). Lus.: *Código de Direito Canónico*, Coimbra 1983, 1-301 (Textus).

COMM - Germ.: J. LISTL - H. MÜLLER - H. SCHMITZ (ed.), *Handbuch des katholischen Kirchenrechts*, Regensburg 1983; W. AYMANS, in: Sekretariat der deutschen Bischofskonferenz (ed.), *Arbeitshilfen* 31, Bonn 1983, 7-28; H. SCHWENDENWEIN, *Das neue Kirchenrecht*, Graz u.a. 1983; N. RUF, *Das Recht der katholischen Kirche nach dem neuen Codex Iuris Canonici*, Freiburg u.a. 1983; K. LÜDICKE (ed.), *Münsterischer Kommentar zum Codex Iuris Canonici*, Essen 1985; K. WALF, *Einführung in das neue katholische Kirchenrecht*, Einsiedeln 1984. Hisp.: AA.VV., BAC 442, Madrid 1983; AA.VV., (ed. EUNSA), Pamplona 1983; AA.VV., in: Ph 24 (1984) 183-384. Ital.: E. CAPPELLINI (ed.), *La normativa del nuovo Codice*, Brescia 1983; ID. - E. MARCHESI, *Il nuovo Codice* = *Giornale di Teologia* 144, Brescia 1983; V. FAGIOLO, *Il Codice del Post-Concilio*, Vol. I-II, Roma 1984 sqq; M. MORGANTE, *I Sacramenti nel Codice di Diritto Canonico*, Torino 1984; E. CAPPELLINI - F. COCCOPALMERIO, *Temi pastorali del Nuovo Codice* = *Universale Teologica* 11, Brescia 1984; G.F. GHIRLANDA, in: CC 134/II (1983) 531-543; F. JAVIER URRUTIA, in: CC 134/I (1983) 431-452; G. FELICIANI, in: *Rivista del Clero italiano* 65 (1984) 337-345. Neer.: AA.VV., in: TvL 68 (1984) n. 4, 206-254.

Canones Liturgiam spectantes hic referuntur iuxta ed. AAS; respiciuntur tamen Corrigenda, quae inveniuntur in: AAS 75 (1983) II, 321-324.

## LIBER I. DE NORMIS GENERALIBUS

[1] *Can. 2* - Codex plerumque non definit ritus, qui in actionibus liturgicis celebrandis sunt servandi; quare leges liturgicae hucusque vigentes vim suam retinent, nisi earum aliqua Codicis canonibus sit contraria: 4269

## LIBER II. DE POPULO DEI

### Pars I. DE CHRISTIFIDELIBUS

[33] *Can. 204* - § 1. Christifideles sunt qui, utpote per baptismum Christo incorporati, in populum Dei sunt constituti, atque hac ratione muneris Christi sacerdotalis, prophetici et regalis suo modo participes facti, secundum propriam cuiusque condicionem, ad missionem exercendam vocantur, quam Deus Ecclesiae in mundo adimplendam concedidit. 4270

*Can. 205* - Plene in communionem Ecclesiae catholicae his in terris sunt illi baptizati, qui in eius compage visibili cum Christo iunguntur, vinculis nempe professionis fidei, sacramentorum et ecclesiastici regiminis. 4271

4272 *Can. 206 - § 1.* Speciali ratione cum Ecclesia conectuntur catechumeni, qui nempe, Spiritu Sancto movente, explicita voluntate ut eidem incorporarentur expetunt, ideoque hoc ipso voto, sicut et vita fidei, spei et caritatis quam agunt, coniunguntur cum Ecclesia, quae eos iam ut suos fovet. § 2. Catechumenorum specialem curam habet Ecclesia quae, dum eos ad vitam ducendam evangelicam invitat eosque ad sacros ritus celebrandos introducit, eisdem varias iam largitur praerogativas, quae christianorum sunt propriae.

4273 *Can. 207 - § 1.* Ex divina institutione, inter christifideles sunt in Ecclesia ministri sacri, qui in iure et clerici vocantur; ceteri autem et laici nuncupantur.

§ 2. Ex utraque hac parte habentur christifideles, qui professione consiliorum evangelicorum per vota aut alia sacra ligamina, ab Ecclesia agnita et sancita, suo peculiari modo Deo consecrantur et Ecclesiae missioni salvificae prosunt; quorum status, licet ad hierarchicam Ecclesiae structuram non spectet, ad eius tamen vitam et sanctitatem pertinet.

#### Titulus I. De omnium Christifidelium obligationibus et iuribus

4274 [34] *Can. 213 -* Ius est christifidelibus ut ex spiritualibus Ecclesiae bonis, praesertim ex verbo Dei et sacramentis, adiumenta a sacris Pastoribus accipiant.

4275 *Can. 214 -* Ius est christifidelibus, ut cultum Deo persolvant iuxta praescripta proprii ritus a legitimis Ecclesiae Pastoribus approbati, utque propriam vitae spiritualis formam sequantur, doctrinae quidem Ecclesiae consentaneam.

4276 [35] *Can. 217 -* Christifideles, quippe qui baptismo ad vitam doctrinae evangelicae congruentem ducendam vocentur, ius habent ad educationem christianam, qua ad maturitatem humanae personae prosequendam atque simul ad mysterium salutis cognoscendum et vivendum rite instruantur.

4277 *Can. 222 - § 1.* Christifideles obligatione tenentur necessitatibus subveniendi Ecclesiae, ut eidem praesto sint quae ad cultum divinum, ad opera apostolatus et caritatis atque ad honestam ministrorum sustentationem necessaria sunt.

#### Titulus II. De obligationibus et iuribus Christifidelium laicorum

4278 [36] *Can. 225 - § 1.* Laici, quippe qui uti omnes christifideles ad apostolatum a Deo per baptismum et confirmationem deputentur, generali obligatione tenentur et iure gaudent, sive singuli sive in consociationibus coniuncti, allaborandi ut divinum salutis nuntium ab universis hominibus ubique terrarum cognoscatur et accipiatur; quae obligatio eo vel magis urget iis in adiunctis, in quibus nonnisi per ipsos Evangelium audire et Christum cognoscere homines possunt.

*Can. 228 - § 1.* Laici qui idonei reperiantur, sunt habiles ut a sacris Pastoribus ad illa officia ecclesiastica et munera assumantur, quibus ipsi secundum iuris praescripta fungi valent. 4279

[37] *Can. 230 - § 1.* Viri laici, qui aetate dotibusque pollent Episcoporum conferentiae decreto statutis, per ritum liturgicum praescriptum ad ministeria lectoris et acolythi stabiliter assumi possunt; quae tamen ministeriorum collatio eisdem ius non confert ad sustentationem remunerationemve ab Ecclesia praestandam. 4280

§ 2. Laici ex temporanea deputatione in actionibus liturgicis munus lectoris implere possunt; item omnes laici muneribus commentatoris, cantoris aliisque ad normam iuris fungi possunt.

§ 3. Ubi Ecclesiae necessitas id suadeat, deficientibus ministris, possunt etiam laici, etsi non sint lectores vel acolythi, quaedam eorundem officia supplere, videlicet ministerium verbi exercere, precibus liturgicis praeesse, baptismum conferre atque sacram Communionem distribuere, iuxta iuris praescripta.

*Can. 231 - § 1.* Laici, qui permanenter aut ad tempus speciali Ecclesiae servitio addicuntur, obligatione tenentur ut aptam acquirant formationem ad munus suum debite implendum requisitam, utque hoc munus conscie, impense et diligenter adimpleant. 4281

### Titulus III. De ministris sacris seu de clericis

#### Caput I. De clericorum institutione

[39] *240 - § 1.* Praeter confessarios ordinarios, alii regulariter ad seminarium accedant confessarii, atque, salva quidem seminarii disciplina, integrum semper sit alumnis quemlibet confessarium sive in seminario sive extra illud adire. 4282

§ 2. In decisionibus ferendis de alumnis ad ordines admittendis aut e seminario dimittendis, numquam directoris spiritus et confessariorum votum exquiri potest.

*Can. 241 - § 1.* Ad seminarium maius ab Episcopo dioecesano admittantur tantummodo ii qui, attentis eorum dotibus humanis et moralibus, spiritualibus et intellectualibus, eorum valetudine physica et psychica necnon recta voluntate, habiles aestimantur qui ministeriis sacris perpetuo sese dedident. 4283

§ 2. Antequam recipiantur, documenta exhibere debent de susceptis baptismo et confirmatione aliaque quae secundum praescripta institutionis sacerdotalis Rationis requiruntur.

[41] *Can. 246 - § 1.* Celebratio Eucharistica centrum sit totius vitae seminarii, ita ut cotidie alumni, ipsam Christi caritatem participantes, animi robur pro apostolico labore et pro vita sua spirituali praesertim ex hoc ditissimo fonte hauriant. 4284

§ 2. Efformentur ad celebrationem liturgiae horarum, qua Dei ministri, nomine Ecclesiae pro toto populo sibi commisso, immo pro universo mundo, Deum deprecantur.

§ 3. Foveantur cultus Beatae Mariae Virginis etiam per mariale rosarium, oratio mentalis aliaque pietatis exercitia, quibus alumni spiritum

orationis acquirant atque vocationis suae robur consequantur.

§ 4. Ad sacramentum paenitentiae frequenter accedere assuescant alumni, et commendatur ut unusquisque habeat moderatorem suae vitae spiritualis libere quidem electum, cui confidenter conscientiam aperire possit.

§ 5. Singulis annis alumni exercitiis spiritualibus vacent.

- 4285 [42] *Can. 252 - § 3.* Lectiones habeantur theologiae dogmaticae, verbo Dei scripto una cum sacra Traditione semper innixae, quarum ope alumni mysteria salutis, s. Thoma praesertim magistro, intimius penetrare addiscant, itemque lectiones theologiae moralis et pastoralis, iuris canonici, liturgiae, historiae ecclesiasticae, necnon aliarum disciplinarum, auxiliarium atque specialium, ad normam praescriptorum institutionis sacerdotalis Rationis.
- 4286 *Can. 253 - § 2.* Curetur ut distincti totidem nominentur magistri qui doceant sacram Scripturam, theologiam dogmaticam, theologiam moralem, liturgiam, philosophiam, ius canonicum, historiam ecclesiasticam, aliasque, quae propria methodo tradendae sunt, disciplinas.
- 4287 [43] *Can. 256 - § 1.* Diligenter instruantur alumni in iis quae peculiari ratione ad sacrum ministerium spectant, praesertim in arte catechetica et homiletica exercenda, in cultu divino peculiarique modo in sacramentis celebrandis, in commercio cum hominibus, etiam non catholicis vel non credentibus, habendo, in paroecia administranda atque in ceteris muneribus adimplendis.
- 4288 *Can. 259 - § 2.* Episcopus dioecesanus aut, si de seminario interdioecetano agatur, Episcopi quorum interest, frequenter seminarium ipsi visitent, in formationem suorum alumnorum necnon in institutionem, quae in eodem tradatur, philosophicam et theologiam invigilent, et de alumnorum vocatione, indole, pietate ac profectu cognitionem sibi comparent, maxime intuitu sacrarum ordinationum conferendarum.
- 4289 [44] *Can. 262 -* Exemptum a regimine paroeciali seminarium esto: et pro omnibus qui in seminario sunt, parochi officium, excepta materia matrimoniali et firmo praescripto *can. 985*, obeat seminarii rector eiusve delegatus.

#### Caput II. De clericorum adscriptione seu incardinatione

4290 *Can. 266 - § 1.* Per receptum diaconatum aliquis fit clericus et incardinetur Ecclesiae particulari vel praelaturae personali pro cuius servitio promotus est.

§ 2. Sodalitas in instituto religioso a votis perpetuis professus aut societati clericali vitae apostolicae definitive incorporatus, per receptum diaconatum incardinetur tamquam clericus eidem instituto aut societati, nisi ad societates quod attinet aliter ferant constitutiones.

§ 3. Sodalitas instituti saecularis per receptum diaconatum incardinetur Ecclesiae particulari pro cuius servitio promotus est, nisi vi concessionis Sedis Apostolicae ipsi instituto incardinetur.

### Caput III. De clericorum obligationibus et iuribus

[46] *Can. 276 - § 1.* In vita sua ducenda ad sanctitatem persequendam peculiari ratione tenentur clerici, quippe qui, Deo in ordinis receptione novo titulo consecrati, dispensatores sint mysteriorum Dei in servitium Eius populi. 4291

§ 2. Ut hanc perfectionem persequi valeant:

1° imprimis ministerii pastoralis officia fideliter et indefesse adimpleant;

[47] 2° duplici mensa sacrae Scripturae et Eucharistiae vitam suam spiritualem nutriant; enixe igitur sacerdotes invitantur ut cotidie Sacrificium eucharisticum offerant, diaconi vero ut eiusdem oblationem cotidie participant;

3° obligatione tenentur sacerdotes necnon diaconi ad presbyteratum aspirantes cotidie liturgiam horarum persolvendi secundum proprios et probatos liturgicos libros; diaconi autem permanentes eandem persolvant pro parte ab Episcoporum conferentia definita;

4° pariter tenentur ad vacandum recessibus spiritualibus, iuxta iuris particularis praescripta;

5° sollicitantur ut orationi mentali regulariter incumbant, frequenter ad paenitentiae sacramentum accedant, Deiparam Virginem peculiari veneratione colant, aliisque mediis sanctificationis utantur communibus et particularibus.

### Caput IV. De amissione status clericalis

[49] *Can. 290 -* Sacra ordinatio, semel valide recepta, numquam irrita fit. Clericus tamen statum clericalem amittit: 4292

1° sententia iudiciali aut decreto administrativo, quo invaliditas sacrae ordinationis declaratur;

[50] 2° poena dimissionis legitime irrogata;

3° rescripto Apostolicae Sedis; quod vero rescriptum diaconis ob graves tantum causas, presbyteris ob gravissimas causas ab Apostolica Sede conceditur.

### Titulus V. De Christifidelium consociationibus

#### Caput I. Normae communes

[51] *Can. 298 - § 1.* In Ecclesia habentur consociationes distinctae ab institutis vitae consecratae et societatibus vitae apostolicae, in quibus christifideles, sive clerici sive laici sive clerici et laici simul, communi opera contendunt ad perfectiorem vitam fovendam, aut ad cultum publicum vel doctrinam christianam promovendam, aut ad alia apostolatus opera, scilicet ad evangelizationis incepta, ad pietatis vel caritatis opera exercenda et ad ordinem temporalem christiano spiritu animandum. 4293

*Can. 301 - § 1.* Unius auctoritatis ecclesiasticae competentis est erigere christifidelium consociationes, quae sibi proponant doctrinam christianam nomine Ecclesiae tradere aut cultum publicum promovere, 4294

vel quae alios intendant fines, quorum prosecutio natura sua eidem auctoritati ecclesiasticae reservatur.

## Pars II. DE ECCLESIAE CONSTITUTIONE HIERARCHICA

### Sectio I. *De suprema Ecclesiae auctoritate*

#### Caput V. *De Romani Pontificis legatis*

- 4295 [65] *Can. 366* - Attenta peculiari Legati muneris indole:  
2º Legato pontificio fas est, praemonitis, quantum fieri potest, locorum Ordinariis, in omnibus ecclesiis suae legationis liturgicas celebrationes, etiam in pontificalibus, peragere.

### Sectio II. *De Ecclesiis particularibus deque earundem coetibus*

#### Titulus I. *De Ecclesiis particularibus et de auctoritate in iisdem constituta*

##### Caput. I. *De Ecclesiis particularibus*

- 4296 [66] *Can. 369* - Dioecesis est populi Dei portio, quae Episcopo cum cooperatione presbyterii pascenda concreditur, ita ut, pastori suo adhaerens ab eoque per Evangelium et Eucharistiam in Spiritu Sancto congregata, Ecclesiam particularem constituat, in qua vere inest et operatur una sancta catholica et apostolica Christi Ecclesia.
- 4297 *Can. 372* - § 1. Pro regula habeatur ut portio populi Dei quae dioecisim aliamve Ecclesiam particularem constituat, certo territorio circumscribatur, ita ut omnes comprehendat fideles in territorio habitantes.
- [67] § 2. Attamen, ubi de iudicio supremae Ecclesiae auctoritatis, auditis Episcoporum conferentiis quarum interest, utilitas id suadeat, in eodem territorio erigi possunt Ecclesiae particulares ritu fidelium aliave simili ratione distinctae.

##### Caput II. *De Episcopis*

###### Art. 1. *De Episcopis in genere*

- 4298 *Can. 375* - § 1. Episcopi, qui ex divina institutione in Apostolorum locum succedunt per Spiritum Sanctum qui datus est eis, in Ecclesia Pastores constituuntur, ut sint et ipsi doctrinae magistri, sacri cultus sacerdotes et gubernationis ministri.
- § 2. Episcopi ipsa consecratione episcopali recipiunt cum munere sanctificandi munera quoque docendi et regendi, quae tamen natura sua non nisi in hierarchica communione cum Collegii capite et membris exercere possunt.
- 4299 [68] *Can. 379* - Nisi legitimo detineatur impedimento, quicumque ad Episcopatum promotus debet intra tres menses ab acceptis apostolicis

litteris consecrationem episcopalem recipere, et quidem antequam officii sui possessionem capiat.

Art. 2. De Episcopis dioecesanis

[69] *Can. 382 - § 4.* Valde commendatur ut captio canonicae possessionis cum actu liturgico in ecclesia cathedrali fiat, clero et populo adstantibus. 4300

*Can. 383 - § 2.* Fideles diversi ritus in sua dioecesi si habeat, eorum spiritualibus necessitatibus provideat sive per sacerdotes aut paroecias eiusdem ritus, sive per Vicarium episcopalem. 4301

[70] *Can. 386 - § 1.* Veritates fidei credendas et moribus applicandas Episcopus dioecesanus fidelibus proponere et illustrare tenetur, per se ipse frequenter praedicans; curet etiam ut praescripta canonum de ministerio verbi, de homilia praesertim et catechetica institutione sedulo serventur, ita ut universa doctrina christiana omnibus tradatur. 4302

*Can. 387 -* Episcopus dioecesanus, cum memor sit se obligatione teneri exemplum sanctitatis praebendi in caritate, humilitate et vitae simplicitate, omni ope promovere studeat sanctitatem christifidelium secundum uniuscuiusque propriam vocationem atque, cum sit praecipuus mysteriorum Dei dispensator, iugiter annitatur ut christifideles suae curae commissi sacramentorum celebratione in gratia crescant utque paschale mysterium cognoscant et vivant. 4303

*Can. 388 - § 1.* Episcopus dioecesanus, post captam dioecesis possessionem, debet singulis diebus dominicis aliisque diebus festis de praeepto in sua regione Missam pro populo sibi commissio applicare. 4304

§ 2. Episcopus Missam pro populo diebus, de quibus in § 1, per se ipse celebrare et applicare debet; si vero ab hac celebratione legitime impediatur, iisdem diebus per alium, vel aliis diebus per se ipse applicet.

§ 3. Episcopus cui praeter propriam dioecesim aliae, titulo etiam administrationis, sunt commissae, obligationi satisfacit unam Missam pro universo populo sibi commissio applicando.

§ 4. Episcopus qui obligationi, de qua in §§ 1-3, non satisfecerit, quam primum pro populo tot Missas applicet quot omiserit.

*Can. 389 -* Frequenter praesit in ecclesia cathedrali aliave ecclesia suae dioecesis sanctissimae Eucharistiae celebrationi, in festis praesertim de praeepto aliisque sollemnitatibus. 4305

[71] *Can. 390 -* Episcopus dioecesanus in universa sua dioecesi pontificalia exercere potest; non vero extra propriam dioecesim sine expresso vel saltem rationabiliter praesumpto Ordinarii loci consensu. 4306

*Can. 392 - § 2.* Advigilet ne abusus in ecclesiasticam disciplinam irrepant, praesertim circa ministerium verbi, celebrationem sacramentorum et sacramentalium, cultum Dei et Sanctorum, necnon bonorum administrationem. 4307

4308 *Can. 395 - § 3.* A dioecesi ne absit diebus Nativitatis, Hebdomadae Sanctae et Resurrectionis Domini, Pentecostes et Corporis et Sanguinis Christi, nisi ex gravi urgentique causa.

4309 [72] *Can. 397 - § 1.* Ordinariae episcopali visitationi obnoxiae sunt personae, instituta catholica, res et loca sacra, quae intra dioecesis ambitum continentur.

#### Art. 3. De Episcopis coadiutoribus et auxiliaribus

4310 [74] *Can. 408 - § 1.* Episcopus coadiutor et Episcopus auxiliaris, iusto impedimento non detenti, obligantur ut, quoties Episcopus dioecesanus id requirat, pontificalia et alias functiones obeant, ad quas Episcopus dioecesanus tenetur.

### Titulus II. De Ecclesiarum particularium coetibus

#### Caput II. De Metropolitibus

4311 [79] *Can. 437 - § 1.* Metropolita obligatione tenetur, intra tres menses a recepta consecratione episcopali, aut, si iam consecratus fuerit, a provisione canonica, per se aut per procuratorem a Romano Pontifice petendi pallium, quo quidem significatur potestas qua, in communione cum Ecclesia Romana, Metropolita in propria provincia iure instruitur.

§ 2. Metropolita, ad normam legum liturgicarum, pallio uti potest intra quamlibet ecclesiam provinciae ecclesiasticae cui praeest, minime vero extra eandem, ne accedente quidem Episcopi dioecesani assensu.

§ 3. Metropolita, si ad aliam sedem metropolitanam transferatur, novo indiget pallio.

### Titulus III. De interna ordinatione Ecclesiarum particularium

#### Caput IV. De canonicorum capitulis

4312 [92] *Can. 503 -* Capitulum canonicorum, sive cathedrale sive collegiale, est sacerdotum collegium, cuius est functiones liturgicas sollemniores in ecclesia cathedrali aut collegiali persolvere; capituli cathedralis praeterea est munera adimplere, quae iure aut ab Episcopo dioecesano ei committuntur.

4313 [93] *Can. 506 - § 1.* Statuta capituli, salvis semper foundationis legibus, ipsam capituli constitutionem et numerum canonicorum determinent; definiant quaenam a capitulo et a singulis canonicis ad cultum divinum necnon ad ministerium persolvendum sint peragenda; [...]

4314 *Can. 508 - § 1.* Paenitentarius canonicus tum ecclesiae cathedralis tum ecclesiae collegialis vi officii habet facultatem ordinariam, quam tamen aliis delegare non potest, absolvendi in foro sacramentali a censuris latae sententiae non declaratis, Apostolicae Sedi non reservatis, in dioecesi extraneos quoque, dioecesanos autem etiam extra territorium dioecesis.



Caput VI. De paroeciis, de parochis et de vicariis paroecialibus

[95] *Can. 518* - Paroecia regula generali sit territorialis, quae scilicet omnes complectatur christifideles certi territorii; ubi veri id expediat, constituentur paroeciae personales, ratione ritus, linguae, nationis christifidelium alicuius territorii atque alia etiam ratione determinatae. 4315

*Can. 519* - Parochus est pastor proprius paroeciae sibi commissae, cura pastoralis communitatis sibi concredita fungens sub auctoritate Episcopi dioecesani, cuius in partem ministerii Christi vocatus est, ut pro eadem communitate munera exsequatur docendi, sanctificandi et regendi, cooperantibus etiam aliis presbyteris vel diaconis atque operam conferentibus christifidelibus laicis, ad normam iuris. 4316

[96] *Can. 521* - § 1. Ut quis valide in parochum assumatur, oportet sit in sacro presbyteratus ordine constitutus. 4317

[98] *Can. 528* - § 1. Parochus obligatione tenetur providendi ut Dei verbum integre in paroecia degentibus annuntietur; quare curet ut christifideles laici in fidei veritatibus edoceantur, praesertim homilia diebus dominicis et festis de praecepto habenda necnon catechetica institutione tradenda, atque foveat opera quibus spiritus evangelicus, etiam ad iustitiam sociale quod attinet, promoveatur; peculiarem curam habeat de puerorum iuvenumque educatione catholica; omni ope satagat, associata etiam sibi christifidelium opera, ut nuntius evangelicus ad eos quoque perveniat, qui a religione colenda recesserint aut veram fidem non profiteantur. 4318

§ 2. Consulat parochus ut sanctissima Eucharistia centrum sit congregationis fidelium paroecialis; allaboret ut christifideles, per devotam sacramentorum celebrationem, pascantur, peculiarique modo ut frequenter ad sanctissimae Eucharistiae et paenitentiae sacramenta accedant; annitatur item ut iidem ad orationem etiam in familiis peragendam ducantur atque conscie et actuose partem habeant in sacra liturgia, quam quidem, sub auctoritate Episcopi dioecesani, parochus in sua paroecia moderari debet et, ne abusus irrepant, invigilare tenetur.

*Can. 529* - § 1. Officium pastoris sedulo ut adimpleat, parochus fideles suae curae commissos cognoscere satagat; ideo familias visitet, fidelium sollicitudines, angores et luctus praesertim participans eosque in Domino confortans necnon, si in quibusdam defecerint, prudenter corrigens; aegrotos, praesertim morti proximos, effusa caritate adiuvet, eos sollicite sacramentis reficiendo eorumque animas Deo commendando; [98] peculiari diligentia prosequatur pauperes, afflictos, solitarios, e patria exsules itemque peculiaribus difficultatibus gravatos; allaboret etiam ut coniuges et parentes ad officia propria implenda sustineantur et in familia vitae christianae incrementum foveat. 4319

*Can. 530* - Functiones specialiter parocho commissae sunt quae sequuntur: 4320

- 1° administratio baptismi;
- 2° administratio sacramenti confirmationis iis qui in periculo mortis versantur, ad normam can. 883, n. 3;

3° administratio Viatici necnon unctionis infirmorum, firmo praescripto can. 1003, §§ 2 et 3, atque apostolicae benedictionis impertitio;

4° assistentia matrimoniis et benedictio nuptiarum;

5° persolutio funerum;

6° fontis baptismalis tempore paschali benedictio, ductus processionum extra ecclesiam, necnon benedictiones extra ecclesiam sollemnes;

7° celebratio eucharistica sollemnior diebus dominicis et festis de praeccepto.

4321 [99] *Can. 534* - § 1. Parochus, post captam paroeciae possessionem, obligatione tenetur singulis diebus dominicis atque festis in sua dioecesi de praeccepto Missam pro populo sibi commissio applicandi; qui vero ab hac celebratione legitime impediatur, iisdem diebus per alium aut aliis diebus per se ipse applicet.

§ 2. Parochus, qui plurium paroeciarum curam habet, diebus de quibus in § 1, unam tantum Missam pro universo sibi commissio populo applicare tenetur.

§ 3. Parochus qui obligationi de qua in §§ 1 et 2 non satisfecerit, quam primum pro populo tot Missas applicet, quot omiserit.

4322 *Can. 535* - § 1. In unaquaque paroecia habeantur libri paroeciales, liber scilicet baptizatorum, matrimoniorum, defunctorum, alique secundum Episcoporum conferentiae aut Episcopi dioeciesani praescripta; prospiciat parochus ut iidem libri accurate conscribantur atque diligenter asserventur.

§ 2. In libro baptizatorum adnotentur quoque confirmatio, necnon quae pertinent ad statum canonicum christifidelium, ratione matrimonii, salvo quidem praescripto can. 1133, ratione adoptionis, itemque ratione suscepti ordinis sacri, professionis perpetuae in instituto religioso emissae necnon mutati ritus; eaeque adnotationes in documento accepti baptismi semper referantur.

4323 [101] *Can. 543* - § 1. Si sacerdotibus in solidum cura pastoralis alicuius paroeciae aut diversarum simul paroeciarum committatur, singuli eorum, iuxta ordinationem ab iisdem statutam, obligatione tenentur munera et functiones parochi persolvendi de quibus in cann. 528, 529 et 530; facultas matrimoniis assistendi, sicuti et potestates omnes dispensandi ipso iure parochio concessae, omnibus competunt, exercendae tamen sunt sub directione moderatoris.

§ 2. Sacerdotes omnes qui ad coetum pertinent:

1° obligatione tenentur residentiae;

2° communi consilio ordinationem statuunt, qua eorum unus Missam pro populo celebret, ad normam can. 534;

3° solus moderator in negotiis iuridicis personam gerit paroeciae aut paroeciarum coetui commissarum.

4324 [102] *Can. 546* - Ut quis valide vicarius paroecialis nominetur, oportet sit in sacro presbyteratus ordine constitutus.

4325 *Can. 548* - § 2. Nisi aliud expresse litteris Episcopi dioeciesani caveatur, vicarius paroecialis ratione officii obligatione tenetur parochum in

universo paroeciali ministerio adiuvandi, excepta quidem applicatione Missae pro populo, itemque, si res ferat ad normam iuris, parochi vicem supplendi.

*Can. 549* - Absente paroco, nisi aliter Episcopus dioecesanus providerit ad normam can. 533, § 3, et nisi Administrator paroecialis constitutus fuerit, servantur praescripta can. 541, § 1; vicarius hoc in casu omnibus etiam obligationibus tenetur parochi, excepta obligatione applicandi Missam pro populo. 4326

#### Caput VII. *De vicariis foraneis*

[103] *Can. 555* - § 1. Vicario foraneo, praeter facultates iure particulari ei legitime tributas, officium et ius est: 4327

3<sup>o</sup> providendi ut religiosae functiones secundum sacrae liturgiae praescripta celebrentur, ut decor et nitor ecclesiarum sacraeque suppellectilis, maxime in celebratione eucharistica et custodia sanctissimi Sacramenti, accurate servantur, ut recte conscribantur et debite custodiantur libri paroeciales, ut bona ecclesiastica sedulo administrantur; denique ut domus paroecialis debita diligentia curetur.

[104] § 3. Curet vicarius foraneus ut parochi sui districtus, quos graviter aegrotantes noverit, spiritualibus ac materialibus auxiliis ne careant, utque eorum qui decesserint, funera digne celebrentur; provideat quoque ne, occasione aegrotationis vel mortis, libri, documenta, sacra suppellex aliaque, quae ad Ecclesiam pertinent, depereant aut asportentur.

#### Caput VIII. *De ecclesiarum rectoribus et cappellanis*

##### Art. 1. *De ecclesiarum rectoribus*

*Can. 559* - Potest rector in ecclesia sibi commissa liturgicas celebrationes etiam sollemnes peragere, salvis legitimis foundationis legibus, atque dummodo de iudicio loci Ordinarii nullo modo ministerio paroeciali noceant. 4328

*Can. 560* - Loci Ordinarius, ubi id opportunum censeat, potest rectori praecipere ut determinatas in ecclesia sua pro populo celebret functiones etiam paroeciales, necnon ut ecclesia pateat certis christifidelium coetibus ibidem liturgicas celebrationes peracturis. 4329

*Can. 561* - Sine rectoris aliusve legitimi superioris licentia, nemini licet in ecclesia Eucharistiam celebrare, sacramenta administrare aliasve[105] sacras functiones peragere; quae licentia danda aut deneganda est ad normam iuris. 4330

*Can. 562* - Ecclesiae rector, sub auctoritate loci Ordinarii servatisque legitimis statutis et iuribus quaesitis, obligatione tenetur prospiciendi ut sacrae functiones secundum normas liturgicas et canonum praescripta digne in ecclesia celebrentur, onera fideliter adimpleantur, bona diligenter administrantur, sacrae suppellectilis atque aedium sacram conservationi et decori provideatur, neve quidpiam fiat quod 4331

sanctitati loci ac reverentiae domui Dei debitae quoquo modo non congruat.

#### Art. 2. De cappellanis

4332 *Can. 566 - § 1.* Cappellanus omnibus facultatibus instructus sit oportet quas recta cura pastoralis requirit. Praeter eas quae iure particulari aut speciali delegatione conceduntur, cappellanus vi officii facultate gaudet audiendi confessiones fidelium suae curae commissorum, verbi Dei eis praedicandi, Viaticum et unctionem infirmorum administrandi necnon sacramentum confirmationis eis conferendi, qui in periculo mortis versentur.

§ 2. In valetudinariis, carceribus et itineribus maritimis, cappellanus praeterea facultatem habet, his tantum in locis exercendam, a censuris latae sententiae non reservatis neque declaratis absolvendi, firmo tamen praescripto can. 976.

4333 *Can. 567 - § 2.* Cappellani est liturgicas functiones celebrare aut moderari; ipsi tamen non licet in regimine interno instituti sese immiscere.

### Pars III. DE INSTITUTIS VITAE CONSECRATAE ET DE SOCIETATIBUS VITAE APOSTOLICAE

#### Sectio I. De institutis vitae consecratae

##### Titulus I. Normae communes omnibus institutis vitae consecratae

4334 [110] *Can. 603 - § 1.* Praeter vitae consecratae instituta, Ecclesia agnoscit vitam eremiticam seu anachoreticam, qua christifidelis arctiore a mundo secessu, solitudinis silentio, assidua prece et paenitentia, suam in laudem Dei et mundi salutem vitam devovent.

4335 *Can. 604 - § 1.* Hisce vitae consecratae formis accedit ordo virginum quae, sanctum propositum emittentes Christum pressius sequendi, ab Episcopo dioecetano iuxta probatum ritum liturgicum Deo consecrantur, Christo Dei Filio mystice desponsantur et Ecclesiae servitio dedicantur.

##### Titulus II. De institutis religiosis

4336 [111] *Can. 607 - § 1.* Vita religiosa, utpote totius personae consecratio, mirabile in Ecclesia manifestat conubium a Deo conditum, futuri saeculi signum. Ita religiosus plenam suam consummat donationem veluti sacrificium Deo oblatum, quo tota ipsius existentia fit continuus Dei cultus in caritate.

#### Caput II. De institutorum regimine

##### Art. 1. De Superioribus et consiliis

4337 [113] *Can. 619 -* Superiores suo officio sedulo incumbant et una cum sodalibus sibi commissis studeant aedificare fraternam in Christo com-

munitatem, in qua Deus ante omnia quaeratur et diligatur. Ipsi igitur nutriant sodales frequenti verbi Dei pabulo eosque adducant ad sacrae liturgiae celebrationem. Eis exemplo sint in virtutibus colendis et in observantia legum et traditionum proprii instituti; eorum necessitatibus personalibus convenienter subveniant, infirmos sollicite curent ac visitent, corripiant inquietos, consolentur pusillanimes, patientes sint erga omnes.

[115] *Can. 630 - § 1.* Superiores sodalibus debitam agnoscant libertatem circa paenitentiae sacramentum et conscientiae moderamen, salva tamen instituti disciplina. 4338

§ 2. Solliciti sint Superiores ad normam iuris proprii, ut sodalibus idonei confessarii praesto sint, apud quos frequenter confiteri possint.

§ 3. In monasteriis monialium, in domibus formationis et in communitatibus numerosioribus laicalibus habeantur confessarii ordinarii ab Ordinario loci probati, collatis consiliis cum communitate, nulla tamen facta obligatione ad illos accedendi.

§ 4. Subditorum confessiones Superiores ne audiant, nisi sponte sua sodales id petant.

### Caput III. *De candidatorum admissione et de sodalium institutione*

#### Art. 1. De admissione in novitiatum

[118] *Can. 645 - § 1.* Candidati, antequam ad novitiatum admittantur, testimonium baptismatis et confirmationis necnon status liberi exhibere debent. 4339

#### Art. 2. De novitiatu et novitiorum institutione

[119] *Can. 652 - § 2.* Novitii ad virtutes humanas et christianas excolendas adducantur; per orationem et sui abnegationem in plenioram perfectionis[120] viam introducantur; ad mysterium salutis contemplandum et sacras Scripturas legendas et meditandas instruantur; ad Dei cultum in sacra liturgia excolendum praeparentur; rationem addiscant vitam ducendi Deo hominibusque in Christo per consilia evangelica consecratam; de instituti indole et spiritu, fine et disciplina, historia et vita edoceantur atque amore erga Ecclesiam eiusque sacros Pastores imbuantur. 4340

#### Art. 3. De professione religiosa

*Can. 654 -* Professione religiosa sodales tria consilia evangelica observanda voto publico assumunt, Deo per Ecclesiae ministerium consecrantur et instituto incorporantur cum iuribus et officiis iure definitis. 4341

#### Art. 4. De religiosorum institutione

[121] *Can. 659 - § 3.* Institutio sodalium, qui ad sacros ordines suscipiendos praeparantur, iure universali regitur et propria instituti ratione studiorum. 4342

Caput IV. De institutorum eorumque sodalium obligationibus et iuribus

- 4343 [122] *Can. 663* - § 1. Rerum divinarum contemplatio et assidua cum Deo in oratione unio omnium religiosorum primum et praecipuum sit officium.  
§ 2. Sodales cotidie pro viribus Sacrificium eucharisticum participant, sanctissimum Corpus Christi recipiant et ipsum Dominum in Sacramento praesentem adorent.  
§ 3. Lectioni sacrae Scripturae et orationi mentali vacent, iuxta iuris proprii praescripta liturgiam horarum digne celebrent, firma pro clericis obligatione de qua in *can. 276*, § 2, n. 3, et alia pietatis exercitia peragant.  
§ 4. Speciali cultu Virginem Deiparam, omnis vitae consecratae exemplum et tutamen, etiam per mariale rosarium prosequantur.
- 4344 *Can. 664* - In animi erga Deum conversione insistant religiosi conscientiam etiam cotidie examinent et ad paenitentiae sacramentum frequenter accedant.

Caput V. De apostolatu institutorum

- 4345 [124] *Can. 673* - Omnium religiosorum apostolatus primum in eorum vitae consecratae testimonio consistit, quod oratione et paenitentia fovere tenentur.
- 4346 *Can. 674* - Instituta, quae integre ad contemplationem ordinantur, in Corpore Christi mystico praeclaram semper partem obtinent: Deo enim eximium laudis sacrificium offerunt, populum Dei uberrimis sanctitatis fructibus collustrant eumque exemplo movent necnon arcana fecunditate apostolica dilatant. Qua de causa, quantumvis actuosi apostolatus urgeat necessitas, sodales horum institutorum advocari nequeunt ut in variis ministeriis pastoralibus operam adiutricem praestent.
- 4347 [125] *Can. 683* - § 1. Ecclesias et oratoria, quibus christifideles habitualiter accedunt, scholas aliaque opera religionis vel caritatis sive spiritualis sive temporalis religiosi commissa, Episcopus dioecesanus visitare potest, sive per se sive per alium, tempore visitationis pastoralis et etiam in casu necessitatis; non vero scholas, quae exclusive pateant propriis instituti alumni.

Titulus III. De institutis saecularibus

- 4348 [131] *Can. 713* - § 2. Sodales laici, munus Ecclesiae evangelizandi, in saeculo et ex saeculo, participant sive per testimonium vitae christianae et fidelitatis erga suam consecrationem, sive per adiutricem quam praebent operam ad ordinandas secundum Deum res temporales atque ad mundum virtute Evangelii informandum. Suam etiam cooperationem, iuxta propriam vitae rationem saecularem, in communitatis ecclesialis servitium offerunt.

- [132] *Can. 719 - § 1.* Sodales, ut vocationi suae fideliter respondeant eorumque actio apostolica ex ipsa unione cum Christo procedat, sedulo orationi vacent, sacrarum Scripturarum lectioni apto modo incumbant, annua recessus tempora servent atque alia spiritualia exercitia iuxta ius proprium peragant. 4349
- § 2. Eucharistiae celebratio, quantum fieri potest cotidiana, sit totius eorum vitae consecratae fons et robur.
- § 3. Libere ad sacramentum paenitentiae accedant, quod frequenter recipiant.

## Sectio II. *De societatibus vitae apostolicae*

- [134] *Can. 731 - § 1.* Institutis vitae consecratae accedunt societates vitae apostolicae, quarum sodales, sine votis religiosis, finem apostolicum societatis proprium prosequuntur et, vitam fraternam in communi ducentes, secundum propriam vitae rationem, per observantiam constitutionum ad perfectionem caritatis tendunt. 4350
- [135] *Can. 733 - § 2.* Consensus ad erigendam domum secumfert ius habendi saltem oratorium, in quo sanctissima Eucharistia celebretur et asservetur. 4351
- Can. 738 - § 1.* Sodales omnes subsunt propriis Moderatoribus ad normam constitutionum in iis quae vitam internam et disciplinam societatis respiciunt. 4352
- § 2. Subsunt quoque Episcopo dioecesano in iis quae cultum publicum, curam animarum aliaque apostolatus opera respiciunt, attentis cann. 679-683.

## LIBER III. DE ECCLESIAE MUNERE DOCENDI

### Titulus I. De divini verbi ministerio

- [139] *Can. 756 - § 1.* Quoad universam Ecclesiam munus Evangelii annuntiandi praecipue Romano Pontifici et Collegio Episcoporum commissum est. 4353
- § 2. Quoad Ecclesiam particularem sibi concreditam illud munus exercent singuli Episcopi, qui quidem totius ministerii verbi in eadem sunt moderatores; quandoque vero aliqui Episcopi coniunctim illud explent quoad diversas simul Ecclesias, ad normam iuris.
- Can. 757 -* Presbyterorum, qui quidem Episcoporum cooperatores sunt, proprium est Evangelium Dei annuntiare; praesertim hoc officio tenentur, quoad populum sibi commissum, parochi aliique quibus cura animarum concreditur; diaconorum etiam est in ministerio verbi populo Dei, in communione cum Episcopo eiusque presbyterio, inservire. 4354
- Can. 758 -* Sodales institutorum vitae consecratae, vi propriae Deo consecrationis, peculiari modo Evangelii testimonium reddunt, iidemque in Evangelio annuntiando ab Episcopo in auxilium convenienter assumuntur. 4355

- 4356 *Can. 759* - Christifideles laici, vi baptismatis et confirmationis, verbo et vitae christianae exemplo evangelici nuntii sunt testes; vocari etiam possunt ut in exercitio ministerii verbi cum Episcopo et presbyteris cooperentur.
- 4357 *Can. 760* - In ministerio verbi, quod sacra Scriptura, Traditione, liturgia, magisterio vitaeque Ecclesiae innitatur oportet, Christi mysterium integre ac fideliter proponatur.
- 4358 *Can. 761* - Varia media ad doctrinam christianam annuntiandam adhibeantur quae praesto sunt, imprimis praedicatio atque catechetica institutio, quae quidem semper principem locum tenent, sed et propositio doctrinae in scholis, in academiis, conferentiis et coadunationibus omnis generis, necnon eiusdem diffusio per declarationes publicas a legitima auctoritate occasione quorundam eventuum factas prelo aliisque instrumentis communicationis socialis.

#### Caput I. *De verbi Dei praedicatione*

- 4359 *Can. 762* - Cum Dei populus primum coadunetur verbo Dei vivi, quod ex ore sacerdotum omnino fas est requirere, munus praedicationis magni habeant sacri ministri inter quorum praecipua officia sit Evangelium Dei omnibus annuntiare.
- 4360 [140] *Can. 763* - Episcopis ius est ubique, non exclusis ecclesiis et oratoriis institutorum religiosorum iuris pontificii, Dei verbum praedicare, nisi Episcopus loci in casibus particularibus expresse renuerit.
- 4361 *Can. 764* - Salvo praescripto *can. 765*, facultate ubique praedicandi, de consensu saltem praesumpto rectoris ecclesiae exercenda, gaudent presbyteri et diaconi, nisi ab Ordinario competenti eadem facultas restricta fuerit aut sublata, aut lege particulari licentia expressa requiratur.
- 4362 *Can. 765* - Ad praedicandum religiosi in eorum ecclesiis vel oratoriis licentia requiritur Superioris ad normam constitutionum competentis.
- 4363 *Can. 766* - Ad praedicandum in ecclesia vel oratorio admitti possunt laici, si certis in adiunctis necessitas id requirat aut in casibus particularibus utilitas id suadeat, iuxta Episcoporum conferentiae praescripta, et salvo *can. 767, § 1*.
- 4364 *Can. 767 - § 1*. Inter praedicationis formas eminent homilia, quae est pars ipsius liturgiae et sacerdoti aut diacono reservatur; in eadem per anni liturgici cursum ex textu sacro fidei mysteria et normae vitae christianae exponantur.  
 § 2. In omnibus Missis diebus dominicis et festis de praecepto, quae concursu populi celebrantur, homilia habenda est nec omitti potest nisi gravi de causa.  
 § 3. Valde commendatur ut, si sufficiens detur populi concursus, homilia habeatur etiam in Missis quae infra hebdomadam, praesertim tempore adventus et quadragesimae aut occasione alicuius festi vel lucuosi eventus, celebrentur.



§ 4. Parochi aut ecclesiae rectoris est curare ut haec praescripta religiose serventur.

Can. 768 - § 1. Divini verbi praecones christifidelibus imprimis proponant, quae ad Dei gloriam hominumque salutem credere et facere oportet. 4365

Can. 770 - Parochi certis temporibus, iuxta Episcopi dioecesanii praescripta, illas ordinent praedicationes, quas exercitia spiritualia et sacras missiones vocant, vel alias formas necessitatibus aptatas. 4366

Can. 771 - § 1. Solliciti sint animarum pastores, praesertim Episcopi et parochi, ut Dei verbum iis quoque fidelibus nuntietur, qui ob vitae suae condicionem communi et ordinaria cura pastorali non satis fruuntur aut eadem penitus careant. 4367

§ 2. Provideant quoque, ut Evangelii nuntium perveniat ad non credentes in territorio degentes, quippe quos, non secus ac fideles animarum cura complecti debeat.

Can. 772 - § 1. Ad exercitium praedicationis quod attinet, ab omnibus praeterea serventur normae ab Episcopo dioecesano latae. 4368

#### Caput II. De catechetica institutione

[142] Can. 777 - Peculiari modo parochus, attentis normis ab Episcopo dioecesano statutis, curet: 4369

- 1° ut apta catechesis impertiatur pro sacramentorum celebratione;
- 2° ut pueri, ope catecheticae institutionis per congruum tempus impertitae, rite praeparentur ad primam receptionem sacramentorum poenitentiae et sanctissimae Eucharistiae necnon ad sacramentum confirmationis;
- 3° ut iidem, prima communione recepta, uberius ac profundius catechetica efformatione excolantur; [...]

#### Titulus II. De actione Ecclesiae missionali

[143] Can. 785 - § 1. In opere missionali peragendo assumantur catechistae, christifideles nempe laici debite instructi et vita christiana praestantes, qui sub moderamine missionarii, doctrinae evangelicae proponendae et liturgicis exercitiis caritatisque operibus sese impendant. 4370

§ 2. Catechistae efformentur in scholis ad hoc destinatis vel, ubi desint, sub moderamine missionariorum.

Can. 787 - § 2. Curent ut quos ad evangelicum nuntium recipiendum aestiment paratos, veritates fidei edoceant, ita quidem ut ipsi ad baptismum recipiendum, libere id petentes, admitti possint. 4371

Can. 788 - § 1. Qui voluntatem amplectendi fidem in Christum manifestaverint, expleto tempore praecatechumenatus, liturgicis caerimoniis admittantur ad catechumenatum, atque eorum nomina scribantur in libro ad hoc destinato. 4372

§ 2. Catechumeni, per vitae christianae institutionem et tirocinium,

apte initiuntur mysterio salutis atque introducuntur in vitam fidei, liturgiae et caritatis populi Dei atque apostolatus.

§ 3. Conferentiae Episcoporum est statuta edere quibus catechumenatus ordinetur, determinando quaenam a catechumenis sint praestanda, atque definiendo quaenam eis agnoscantur praerogativae.

- 4373 *Can. 789* - Neophyti, apta institutione ad veritatem evangelicam penitus cognoscendam et officia per baptismum suscepta implenda efformentur; sincero amore erga Christum eiusque Ecclesiam imbuantur.

#### Titulus IV. De instrumentis communicationis socialis et in specie de libris

- 4374 [150] *Can. 826* - § 1. Ad libros liturgicos quod attinet, serventur praescripta *can. 838*.

§ 2. Ut iterum edantur libri liturgici necnon eorum versiones in linguam vernaculam eorumve partes, constare debet de concordantia cum editione approbata ex attestazione Ordinarii loci in quo publici iuris fiunt.

§ 3. Libri precum pro publico vel privato fidelium usu ne edantur nisi de licentia loci Ordinarii.

- 4375 *Can. 827* - § 4. In ecclesiis oratoriisque exponi, vendi aut dari non possunt libri vel alia scripta de quaestionibus religionis aut morum tractantia, nisi cum licentia competentis auctoritatis ecclesiasticae edita sint aut ab ea postea approbata.

#### LIBER IV. DE ECCLESIAE MUNERE SANCTIFICANDI

- 4376 [152] *Can. 834* - § 1. Munus sanctificandi Ecclesia peculiari modo adimplet per sacram liturgiam, quae quidem habetur ut Iesu Christi muneris sacerdotalis exercitatio, in qua hominum sanctificatio per signa sensibilia significatur ac modo singulis proprio efficitur, atque a mystico Iesu Christi Corpore, Capite nempe et membris, integer cultus Dei publicus exercetur.

§ 2. Huiusmodi cultus tunc habetur, cum defertur nomine Ecclesiae a personis legitime deputatis et per actus ab Ecclesiae auctoritate probatos.

- 4377 *Can. 835* - § 1. Munus sanctificandi exercent imprimis Episcopi, qui sunt magni sacerdotes, mysteriorum Dei praecipui dispensatores atque totius vitae liturgicae in Ecclesia sibi commissa moderatores, promotores atque custodes.

§ 2. Illud quoque exercent presbyteri, qui nempe, et ipsi Christi sacerdotii participes, ut eius ministri sub Episcopi auctoritate, ad cultum divinum celebrandum et populum sanctificandum consecrantur.

§ 3. Diaconi in divino cultu celebrando partem habent, ad normam iuris praescriptorum.

§ 4. In munere sanctificandi propriam sibi partem habent ceteri quoque christifideles actuose liturgicas celebrationes, eucharistiam praesertim, suo modo participando; peculiari modo idem munus partici-

pant parentes vitam conjugalem spiritu christiano ducendo et educationem christianam filiorum procurando.

*Can. 836* - Cum cultus christianus, in quo sacerdotium commune christifidelium exercetur, opus sit quod a fide procedit et eadem innititur, ministri sacri eandem excitare et illustrare sedulo curent, ministerio praesertim verbi, quo fides nascitur et nutritur. 4378

*Can. 837* - § 1. Actiones liturgicae non sunt actiones privatae, sed celebrationes Ecclesiae ipsius, quae est «unitatis sacramentum», scilicet plebs sancta sub Episcopis adunata et ordinata; quare ad universum corpus Ecclesiae pertinent illudque manifestant et afficiunt; sin[153]gula vero membra ipsius attingunt diverso modo, pro diversitate ordinum, munerum et actualis participationis. 4379

§ 2. Actiones liturgicae, quatenus suapte natura celebrationem communem secumferant, ubi id fieri potest, cum frequentia et actuosa participatione christifidelium celebrentur.

*Can. 838* - § 1. Sacrae liturgiae moderatio ab Ecclesiae auctoritate unice pendet: quae quidem est penes Apostolicam Sedem et, ad normam iuris, penes Episcopum dioecesanum. 4380

§ 2. Apostolicae Sedis est sacram liturgiam Ecclesiae universae ordinare, libros liturgicos edere eorumque versiones in linguas vernaculas recognoscere, necnon advigilare ut ordinationes liturgicae ubique fideliter observentur.

§ 3. Ad Episcoporum conferentias spectat versiones librorum liturgicorum in linguas vernaculas convenienter intra limites in ipsis libris liturgicis definitos aptatas, parare, easque edere, praevia recognitione Sanctae Sedis.

§ 4. Ad Episcopum dioecesanum in Ecclesia sibi commissa pertinet, intra limites suae competentiae, normas de re liturgica dare, quibus omnes tenentur.

*Can. 839* - § 1. Aliis quoque mediis munus sanctificationis peragit Ecclesia, sive orationibus, quibus Deum deprecatur ut christifideles sanctificati sint in veritate, sive paenitentiae et caritatis operibus, quae quidem magnopere ad Regnum Christi in animis radicandum et roborandum adiuvant et ad mundi salutem conferunt. 4381

§ 2. Curent locorum Ordinarii ut orationes necnon pia et sacra exercitia populi christiani normis Ecclesiae plene congruant.

#### Pars I. DE SACRAMENTIS

*Can. 840* - Sacramenta Novi Testamenti, a Christo Domino instituta et Ecclesiae concredita, uptote actiones Christi et Ecclesiae, signa existant ac media quibus fides exprimitur et roboratur, cultus Deo redditur et hominum sanctificatio efficitur, atque ideo ad communionem ecclesiasticam inducendam, firmandam et manifestandam summopere conferunt; quapropter in iis celebrandis summa veneratione debitaque diligentia uti debent tum sacri ministri tum ceteri christifideles. 4382

- 4383 *Can. 841* - Cum sacramenta eadem sint pro universa Ecclesia et ad divinum depositum pertineant, unius supremae Ecclesiae auctoritatis est probare vel definire quae ad eorum validitatem sunt requisita, [154] atque eiusdem aliusve auctoritatis competentis, ad normam can. 838, §§ 3 et 4, est decernere quae ad eorum celebrationem, administrationem et receptionem licitam necnon ad ordinem in eorum celebratione servandum spectant.
- 4384 *Can. 842* - § 1. Ad cetera sacramenta valide admitti nequit, qui baptismum non recepit.  
§ 2. Sacramenta baptismi, confirmationis et sanctissimae Eucharistiae ita inter se coalescunt, ut ad plenam initiationem christianam requirantur.
- 4385 *Can. 843* - § 1. Ministri sacri denegare non possunt sacramenta iis qui opportune eadem petant, rite sint dispositi, nec iure ab iis recipiendis prohibeantur.  
§ 2. Animarum pastores ceterique christifideles, pro suo quisque ecclesiastico munere, officium habent curandi ut qui sacramenta petunt debita evangelizatione necnon catechetica institutione ad eadem recipienda praeparentur, attentis normis a competenti auctoritate editis.
- 4386 *Can. 844* - § 1. Ministri catholici sacramenta licite administrant solis christifidelibus catholicis, qui pariter eadem a solis ministris catholicis licite recipiunt, salvo huius canonis §§ 2, 3 et 4, atque can. 861, § 2 praescriptis.  
§ 2. Quoties necessitas id postulet aut vera spiritualis utilitas id suadeat, et dummodo periculum vitetur erroris vel indifferentismi, licet christifidelibus quibus physice aut moraliter impossibile sit accedere ad ministrum catholicum, sacramenta poenitentiae, Eucharistiae et unctionis infirmorum recipere a ministris non catholicis, in quorum Ecclesia valida existunt praedicta sacramenta.  
§ 3. Ministri catholici licite sacramenta poenitentiae, Eucharistiae et unctionis infirmorum administrant membris Ecclesiarum orientalium quae plenam cum Ecclesia catholica communionem non habent, si sponte id petant et rite sint disposita; quod etiam valet quoad membra aliarum Ecclesiarum, quae iudicio Sedis Apostolicae, ad sacramenta quod attinet, in pari condicione ac praedictae Ecclesiae orientales versantur.  
§ 4. Si adsit periculum mortis aut, iudicio Episcopi dioecesanis aut Episcoporum conferentiae, alia urgeat gravis necessitas, ministri catholici licite eadem sacramenta administrant ceteris quoque christianis plenam communionem cum Ecclesia catholica non habentibus, qui ad suae communitatis ministrum accedere nequeant atque sponte id petant, dummodo quoad eadem sacramenta fidem catholicam manifestent et rite sint dispositi.  
§ 5. Pro casibus de quibus in §§ 2, 3 et 4, Episcopus dioecesanus aut Episcoporum conferentia generales normas ne ferant, nisi post[155] consultationem cum auctoritate competenti saltem locali Ecclesiae vel communitatis non catholicae, cuius interest.

*Can. 845 - § 1.* Sacramenta baptismi, confirmationis et ordinis, quippe quae characterem imprimant, iterari nequeunt. 4387  
*§ 2.* Si, diligenti inquisitione peracta, prudens adhuc dubium supersit num sacramenta de quibus in § 1 revera aut valide collata fuerint, sub condicione conferantur.

*Can. 846 - § 1.* In sacramentis celebrandis fideliter serventur libri liturgici a competenti auctoritate probati; quapropter nemo in iisdem quidpiam proprio Marte addat, demat aut mutet. 4388  
*§ 2.* Minister sacramenta celebret secundum proprium ritum.

*Can. 847 - § 1.* In administrandis sacramentis, in quibus sacra olea adhibenda sunt, minister uti debet oleis ex olivis aut aliis ex plantis expressis atque, salvo praescripto can. 999, n. 2, ab Episcopo consecratis vel benedictis, et quidem recenter; veteribus ne utatur, nisi adsit necessitas. 4389

*§ 2.* Parochus olea sacra a proprio Episcopo impetret eaque decenti custodia diligenter asservet.

*Can. 848 -* Minister, praeter oblationes a competenti auctoritate definitas, pro sacramentorum administratione nihil petat, cauto semper ne egentes priventur auxilio sacramentorum ratione paupertatis. 4390

#### Titulus I. De baptismo

*Can. 849 -* Baptismus, ianua sacramentorum, in re vel saltem in voto ad salutem necessarius, quo homines a peccatis liberantur, in Dei filios regenerantur atque indelebili characterе Christo configurati Ecclesiae incorporantur, valide confertur tantummodo per lavacrum aquae verae cum debita verborum forma. 4391

#### Caput I. De baptismi celebratione

*Can. 850 -* Baptismus ministratur secundum ordinem in probatis liturgicis libris praescriptum, excepto casu necessitatis urgentis, in quo ea tantum observari debent, quae ad validitatem sacramenti requiruntur. 4392

[156] *Can. 851 -* Baptismi celebratio debite praeparetur oportet; itaque: 4393

1° adultus, qui baptismum recipere intendit, ad catechumenatum admittatur et, quatenus fieri potest, per varios gradus ad initiationem sacramentalem perducatur, secundum ordinem initiationis ab Episcoporum conferentia aptatum et peculiare normas ab eadem editas;

2° infantis baptizandi parentes, itemque qui munus patrini sunt suscepturi, de significatione huius sacramenti deque obligationibus cum eo cohaerentibus rite edoceantur; parochus per se vel per alios curet ut ita pastoralibus monitionibus, immo et comuni precatone, debite parentes instruantur, plures adunando familias atque, ubi fieri possit, eas visitando.

*Can. 852 - § 1.* Quae in canonibus de baptismo adulti habentur praescripta, applicantur omnibus qui, infantia egressi, rationis usum assecuti sunt. 4394

§ 2. Infanti assimilatur, etiam ad baptismum quod attinet, qui non est sui compos.

- 4395 *Can. 853* - Aqua in baptismo conferendo adhibenda, extra casum necessitatis, benedicta sit oportet, secundum librorum liturgicorum praescripta.
- 4396 *Can. 854* - Baptismus conferatur sive per immersionem sive per infusionem, servatis Episcoporum conferentiae praescriptis.
- 4397 *Can. 855* - Curent parentes, patrini et parochus ne imponatur nomen a sensu christiano alienum.
- 4398 *Can. 856* - Licet baptismus quolibet die celebrari possit, commendatur tamen ut ordinarie die dominica aut, si fieri possit, in vigilia Paschatis, celebretur.
- 4399 *Can. 857* - § 1. Extra casum necessitatis, proprius baptismi locus est ecclesia aut oratorium.  
§ 2. Pro regula habeatur ut adultus baptizetur in propria ecclesia paroeciali, infans vero in ecclesia paroeciali parentum propria, nisi iusta causa aliud suadeat.
- 4400 *Can. 858* - § 1. Quaevis ecclesia paroecialis baptismalem fontem habeat, salvo iure cumulativo aliis ecclesiis iam quaesito.  
§ 2. Loci Ordinarius, audito loci paroco, potest ad fidelium commoditatem permittere aut iubere, ut fons baptismalis habeatur etiam in alia ecclesia aut oratorio intra paroeciae fines.
- 4401 *Can. 859* - Si ad ecclesiam paroecialem aut ad aliam ecclesiam vel oratorium, de quo in can. 858, § 2, baptizandus, propter locorum [157] distantiam aliave adiuncta, sine gravi incommodo accedere vel transferri nequeat, baptismus conferri potest et debet in alia propinquiore ecclesia vel oratorio, aut etiam alio in loco decenti.
- 4402 *Can. 860* - § 1. Praeter casum necessitatis, baptismus ne conferatur in domibus privatis, nisi loci Ordinarius gravi de causa id permiserit.  
§ 2. In valetudinariis, nisi aliter Episcopus dioecesanus statuerit, baptismus ne celebretur, nisi in casu necessitatis vel alia ratione pastoralis cogente.

#### Caput II. *De baptismi ministro*

- 4403 *Can. 861* - § 1. Minister ordinarius baptismi est Episcopus, presbyter et diaconus, firmo praescripto can. 530, n. 1.  
§ 2. Absente aut impedito ministro ordinario, licite baptismum confert catechista aliusve ad hoc munus ab Ordinario loci deputatus, immo, in casu necessitatis, quilibet homo debita intentione motus; solliciti sint animarum pastores, praesertim parochus, ut christifideles de recto baptizandi modo edoceantur.
- 4404 *Can. 862* - Excepto casu necessitatis, nemini licet, sine debita licentia, in alieno territorio baptismum conferre, ne suis quidem subditis.

*Can. 863* - Baptismus adultorum, saltem eorum qui aetatem quattuordecim annorum expleverunt, ad Episcopum dioecesanum deferatur ut, si id expedire iudicaverit, ab ipso administretur. 4405

Caput III. *De baptizandis*

*Can. 864* - Baptismi capax est omnis et solus homo nondum baptizatus. 4406

*Can. 865* § 1. Ut adultus baptizari possit, oportet voluntatem baptismum recipiendi manifestaverit, de fidei veritatibus obligationibusque christianis sufficienter sit instructus atque in vita christiana per catechumenatum sit probatus, admoneatur etiam ut de peccatis suis doleat. 4407

§ 2. Adultus, qui in periculo mortis versatur, baptizari potest si, aliquam de praecipuis fidei veritatibus cognitionem habens, quovis [158] modo intentionem suam baptismum recipiendi manifestaverit et promittat se christianae religionis mandata esse servaturum.

*Can. 866* - Adultus qui baptizatur, nisi gravis obstet ratio, statim post baptismum confirmetur atque celebrationem eucharisticam, communionem etiam recipiendo, participet. 4408

*Can. 867* - § 1. Parentes obligatione tenentur curandi ut infantes intra priores hebdomadas baptizentur; quam primum post nativitatem, immo iam ante eam, parochum adeant ut sacramentum pro filio petant et debite ad illud praeparentur. 4409

§ 2. Si infans in periculo mortis versetur, sine ulla mora baptizetur.

*Can. 868* - § 1. Ut infans licite baptizetur, oportet: 4410  
1° parentes, saltem eorum unus aut qui legitime eorundem locum tenet, consentiant;

2° spes habeatur fundata eum in religione catholica educatum iri; quae si prorsus deficiat, baptismus secundum praescripta iuris particularis differatur, monitis de ratione parentibus.

§ 2. Infans parentum catholicorum, immo et non catholicorum, in periculo mortis licite baptizatur, etiam invitis parentibus.

*Can. 869* - § 1. Si dubitetur num quis baptizatus fuerit, aut baptismus valide collatus fuerit, dubio quidem post seriam investigationem permanente, baptismus eidem sub condicione conferatur. 4411

§ 2. Baptizati in communitate ecclesiali non catholica non sunt sub condicione baptizandi, nisi, inspecta materia et verborum forma in baptismo collato adhibitis necnon attenta intentione baptizati adulti et ministri baptizantis, seria ratio adsit de baptismi validitate dubitandi.

§ 3. Quod si, in casibus de quibus in §§ 1 e 2, dubia remaneat baptismi collatio aut validitas, baptismus ne conferatur nisi postquam baptizando, si sit adultus, doctrina de baptismi sacramento exponatur, atque eidem aut, si de infante agitur, eius parentibus rationes dubiae validitatis baptismi celebrati declarentur.

*Can. 870* - Infans expositus aut inventus, nisi re diligenter investigata de eius baptismo constet, baptizetur. 4412

4413 *Can. 871* - Fetus abortivi, si vivant, quatenus fieri potest, baptizentur.

#### Caput IV. *De patrinis*

4414 [159] *Can. 872* - Baptizando, quantum fieri potest, detur patrinus, cuius est baptizando adulto in initiatione christiana adstare, et baptizandum infantem una cum parentibus ad baptismum praesentare itemque operam dare ut baptizatus vitam christianam baptismo congruam ducat obligationesque eidem inhaerentes fideliter adimpleat.

4415 *Can. 873* - Patrinus unus tantum vel matrina una vel etiam unus et una assumantur.

4416 *Can. 874* - § 1. Ut quis ad munus patrini suscipiendum admittatur, oportet:

1° ab ipso baptizando eiusve parentibus aut ab eo qui eorum locum tenet aut, his deficientibus, a parochi vel ministro sit designatus atque aptitudinem et intentionem habeat hoc munus gerendi;

2° decimum sextum aetatis annum expleverit, nisi alia aetas ab Episcopo dioecesano statuta fuerit vel exceptio iusta de causa parochi aut ministro admittenda videatur;

3° sit catholicus, confirmatus et sanctissimum Eucharistiae sacramentum iam receperit, idemque vitam ducat fidei et muneri suscipiendo congruam;

4° nulla poena canonica legitime irrogata vel declarata sit innodatus;

5° non sit pater aut mater baptizandi.

§ 2. Baptizatus ad communitatem ecclesiam non catholicam perti-  
nens, non nisi una cum patrino catholico, et quidem ut testis tantum  
baptismi, admittatur.

#### Caput V. *De collati baptismi probatione et adnotatione*

4417 *Can. 875* - Qui baptismum administrat curet, ut, nisi adsit patrinus, habeatur saltem testis quo collatio baptismi probari possit.

4418 *Can. 876* - Ad collatum baptismum comprobandum, si nemini fiat praeiudicium, sufficit declaratio unius testis omni exceptione maioris, aut ipsius baptizati iusiurandum, si ipse in aetate adulta baptismum receperit.

4419 *Can. 877* - § 1. Parochus loci, in quo baptismus celebratur, debet nomina baptizatorum, mentione facta de ministro, parentibus, patrinis necnon, si adsint, testibus, de loco ac die collati baptismi, in baptizatorum libro sedulo et sine ulla mora referre, simul indicatis die et loco nativitatis.

§ 2. Si de filio agatur e matre non nupta nato, matris nomen inserendum est, si publice de eius maternitate constet aut ipsa sponte sua, scripto vel coram duobus testibus, id petat; item nomen patris inscribendum est, si eius paternitas probatur aliquo publico documento aut ipsius declaratione coram parochi et duobus testibus facta; in ceteris casibus, inscribatur baptizatus, nulla facta de patris aut parentum nomine indicatione.



§ 3. Si de filio adoptivo agitur, inscribantur nomina adoptantium necnon, saltem si ita fiat in actu civili regionis, parentum naturalium ad normam §§ 1 et 2, attentis Episcoporum conferentiae praescriptis.

*Can. 878* - Si baptismus neque a parochus neque eo praesente ministratus fuerit, minister baptismi, quicumque est, de collato baptismo certiores facere debet parochum paroeciae in qua baptismus ministratus est, ut baptismum adnotet ad normam can. 877, § 1. 4420

## Titulus II. De sacramento confirmationis

*Can. 879* - Sacramentum confirmationis, quod characterem imprimit et quo baptizati, iter initiationis christianae prosequentes, Spiritus Sancti dono ditantur atque perfectius Ecclesiae vinculantur, eosdem roborat arctiusque obligat ut verbo et opere testes sint Christi fidemque diffundant et defendant. 4421

### Caput I. De confirmationis celebratione

*Can. 880* - § 1. Sacramentum confirmationis confertur per unctionem chrysmatis in fronte, quae fit manus impositione atque per verba in probatis liturgicis libris praescripta. 4422

§ 2. Chrysmum in sacramento confirmationis adhibendum debet esse ab Episcopo consecratum, etiamsi sacramentum a presbytero ministretur.

*Can. 881* - Expedit ut confirmationis sacramentum in ecclesia, et quidem intra Missam, celebretur; ex causa tamen iusta et rationabili, extra Missam et quolibet loco digno celebrari potest. 4423

### Caput II. De confirmationis ministro

[161] *Can. 882* - Confirmationis minister ordinarius est Episcopus; valide hoc sacramentum confert presbyter quoque hac facultate vi iuris universalis aut peculiaris concessionis competentis auctoritatis instructus. 4424

*Can. 883* - Ipso iure facultate confirmationem ministrandi gaudent: 4425  
1° intra fines suae ditionis, qui iure Episcopo dioecetano aequiparantur;  
2° quoad personam de qua agitur, presbyter qui, vi officii vel mandati Episcopi dioecetani, infantia egressum baptizat aut iam baptizatum in plenam Ecclesiae catholicae communionem admittit;  
3° quoad eos qui in periculo mortis versantur, parochus, immo quilibet presbyter.

*Can. 884* - § 1. Episcopus dioecetanus confirmationem administret per se ipse aut curet ut per alium Episcopum administretur; quod si necessitas id requirat, facultatem concedere potest uni vel pluribus determinatis presbyteris, qui hoc sacramentum administrent. 4426

§ 2. Gravi de causa, Episcopus itemque presbyter, vi iuris aut peculiaris concessionis competentis auctoritatis facultate confirmandi donatus, possunt in singulis casibus presbyteros, ut et ipsi sacramentum administrent, sibi sociare.

4427 *Can. 885 - § 1.* Episcopus dioecesanus obligatione tenetur curandi ut sacramentum confirmationis subditis rite et rationabiliter petentibus conferatur.

§ 2. Presbyter, qui hac facultate gaudet, eadem uti debet erga eos in quorum favorem facultas concessa est.

4428 *Can. 886 - § 1.* Episcopus in sua dioecesi sacramentum confirmationis legitime administrat etiam fidelibus non subditis, nisi obstet expressa proprii ipsorum Ordinarii prohibitio.

§ 2. Ut in aliena dioecesi confirmationem licite administret, Episcopus indiget, nisi agatur de suis subditis, licentia saltem rationabiliter praesumpta Episcopi dioecesani.

4429 *Can. 887 -* Presbyter facultate confirmationem ministrandi gaudens, in territorio sibi designato hoc sacramentum extraneis quoque licite confert, nisi obstet proprii eorum Ordinarii vetitum; illud vero in alieno territorio nemini valide confert, salvo praescripto can. 883, n. 3.

4430 *Can. 888 -* Intra territorium in quo confirmationem conferre valent, ministri in locis quoque exemptis eam ministrare possunt.

#### Caput III. *De confirmandis*

4431 [162] *Can. 889 - § 1.* Confirmationis recipiendae capax est omnis et solus baptizatus, nondum confirmatus.

§ 2. Extra periculum mortis, ut quis licite confirmationem recipiat, requiritur, si rationis usu polleat, ut sit apte institutus, rite dispositus et promissiones baptismales renovare valeat.

4432 *Can. 890 -* Fideles tenentur obligatione hoc sacramentum tempestive recipiendi; curent parentes, animarum pastores, praesertim parochi, ut fideles ad illud recipiendum rite instruantur et opportuno tempore accedant.

4433 *Can. 891 -* Sacramentum confirmationis conferatur fidelibus circa aetatem discretionis, nisi Episcoporum conferentia aliam aetatem determinaverit, aut adsit periculum mortis vel, de iudicio ministri, gravis causa aliud suadeat.

#### Caput IV. *De patrinis*

4434 *Can. 892 -* Confirmando, quantum id fieri potest, adsit patrinus, cuius est curare ut confirmatus tamquam verus Christi testis se gerat obligationesque eidem sacramento inhaerentes fideliter adimpleat.

4435 *Can. 893 - § 1.* Ut quis patrini munere fungatur, condiciones adimpleat oportet, de quibus in can. 874.

§ 2. Expediit ut tamquam patrinus assumatur qui idem munus in baptismo suscepit.

#### Caput V. *De collatae confirmationis probatione et adnotatione*

4436 *Can. 894 -* Ad collatam confirmationem probandam servantur praescripta can. 876.

*Can. 895* - Nomina confirmatorum, facta mentione ministri, parentum et patrinorum, loci et diei collatae confirmationis in librum confirmatorum Curiae dioecesanae adnotentur, vel, ubi id praescripserit Episcoporum conferentia aut Episcopus dioecesanus, in librum in archivo paroeciali conservandum; parochus debet de collata confirmatione monere parochum loci baptismi, ut adnotatio fiat in libro baptizatorum, ad normam can. 535, § 2. 4437

*Can. 896* - Si parochus loci praesens non fuerit, eundem de collata confirmatione minister per se vel per alium quam primum certiozem faciat. 4438

### Titulus III. De sanctissima Eucharistia

*Can. 897* - Augustissimum Sacramentum est sanctissima Eucharistia, in qua ipsemet Christus Dominus continetur, offertur ac sumitur, et qua continuo vivit et crescit Ecclesia. Sacrificium eucharisticum, memoriale mortis et resurrectionis Domini, in quo Sacrificium crucis in saecula perpetuatur, totius cultus et vitae christianae est culmen et fons, quo significatur et efficitur unitas populi Dei et corporis Christi aedificatio perficitur. Cetera enim sacramenta et omnia ecclesiastica apostolatus opera cum sanctissima Eucharistia cohaerent et ad eam ordinantur. 4439

*Can. 898* - Christifideles maximo in honore sanctissimam Eucharistiam habeant, actuosam in celebratione augustissimi Sacrificii partem habentes, devotissime et frequenter hoc sacramentum recipientes, atque summa cum adoratione idem colentes; animarum pastores doctrinam de hoc sacramento illustrantes, fideles hanc obligationem sedulo edoceant. 4440

#### Caput I. De eucharistica celebratione

*Can. 899* - § 1. Eucharistica celebratio actio est ipsius Christi et Ecclesiae, in qua Christus Dominus, ministerio sacerdotis, semetipsum, sub speciebus panis et vini substantialiter praesentem, Deo Patri offert atque fidelibus in sua oblatione sociatis se praebet ut cibum spiritualem. § 2. In eucharistica Synaxi populus Dei in unum convocatur, Episcopo aut, sub eius auctoritate, presbytero praeside, personam Christi gerente, atque omnes qui intersunt fideles, sive clerici sive laici, suo quisque modo pro ordinum et liturgicorum munerum diversitate, participando concurrunt. 4441

§ 3. Celebratio eucharistica ita ordinetur, ut omnes participantes exinde plurimos capiant fructus, ad quos obtinendos Christus Dominus Sacrificium eucharisticum instituit.

#### Art. 1. De sanctissimae Eucharistiae ministro

[164] *Can. 900* - § 1. Minister, qui in persona Christi sacramentum Eucharistiae conficere valet, est solus sacerdos valide ordinatus. 4442

§ 2. Licite Eucharistiam celebrat sacerdos lege canonica non impeditus, servatis praescriptis canonum qui sequuntur.

- 4443 *Can. 901* - Integrum est sacerdoti Missam applicare pro quibusvis, tum vivis tum defunctis.
- 4444 *Can. 902* - Nisi utilitas christifidelium aliud requirat aut suadeat, sacerdotes Eucharistiam concelebrare possunt, integra tamen pro singulis libertate manente Eucharistiam individuali modo celebrandi, non vero eo tempore, quo in eadem ecclesia aut oratorio concelebratio habetur.
- 4445 *Can. 903* - Sacerdos ad celebrandum admittatur etiamsi rectori ecclesiae sit ignotus, dummodo aut litteras commendatitias sui Ordinarii vel sui Superioris, saltem intra annum datas, exhibeat, aut prudenter existimari possit eundem a celebratione non esse impeditum.
- 4446 *Can. 904* - Sacerdotes, memoria semper tenentes in mysterio Sacrificii eucharistici opus redemptionis continuo exerceri, frequenter celebrent; immo enixe commendatur celebratio cotidiana, quae quidem, etiam si praesentia fidelium haberi non possit, actus est Christi et Ecclesiae, in quo peragendo munus suum praecipuum sacerdotes adimplent.
- 4447 *Can. 905* - § 1. Exceptis casibus in quibus ad normam iuris licitum est pluries eadem die Eucharistiam celebrare aut concelebrare, non licet sacerdoti plus semel in die celebrare.  
§ 2. Si sacerdotum penuria habeatur, concedere potest loci Ordinarius ut sacerdotes, iusta de causa, bis in die, immo, necessitate pastorali id postulante, etiam ter in diebus dominicis et festis de praecepto, celebrent.
- 4448 *Can. 906* - Nisi iusta et rationabili de causa, sacerdos Sacrificium eucharisticum ne celebret sine participatione alicuius saltem fidelis.
- 4449 *Can. 907* - In celebratione eucharistica diaconis et laicis non licet orationes, speciatim precem eucharisticam, proferre vel actionibus fungi, quae sacerdotis celebrantis sunt propriae.
- 4450 *Can. 908* - Sacerdotibus catholicis vetitum est una cum sacerdotibus vel ministris Ecclesiarum communitatumve ecclesialium plenam communionem cum Ecclesia catholica non habentium, Eucharistiam concelebrare.
- 4451 [165] *Can. 909* - Sacerdos ne omittat ad eucharistici Sacrificii celebrationem oratione debite se praeparare, eoque expleto Deo gratias agere.
- 4452 *Can. 910* - § 1. Minister ordinarius sacrae communionis est Episcopus, presbyter et diaconus.  
§ 2. Extraordinarius sacrae communionis minister est acolythus necnon alius christifidelis ad normam can. 230, § 3 deputatus.
- 4453 *Can. 911* - § 1. Officium et ius sanctissimam Eucharistiam per modum Viatici ad infirmos deferendi habent parochus et vicarii paroeciales, cappellani, necnon Superior communitatis in clericalibus institutis religiosi aut societatibus vitae apostolicae quoad omnes in domo versantes.

§ 2. In casu necessitatis aut de licentia saltem praesumpta parochi, cappellani vel Superioris, cui postea notitiam dari oportet, hoc facere debet quilibet sacerdos vel alius sacrae communionis minister.

Art. 2. De sanctissima Eucharistia participanda

Can. 912 - Quilibet baptizatus, qui iure non prohibeatur, admitti potest et debet ad sacram communionem. 4454

Can. 913 - § 1. Ut sanctissima Eucharistia ministrari possit pueris, requiritur ut ipsi sufficienti cognitione et accurata praeparatione gaudeant, ita ut mysterium Christi pro suo captu percipiant et Corpus Domini cum fide et devotione sumere valeant. 4455

§ 2. Pueris tamen in periculo mortis versantibus sanctissima Eucharistia ministrari potest, si Corpus Christi a communi cibo discernere et communionem reverenter suscipere possint.

Can. 914 - Parentum imprimis atque eorum qui parentum locum tenent necnon parochi officium est curandi ut pueri usum rationis assecuti debite praeparentur et quam primum, praemissa sacramentali confessione, hoc divino cibo reficiantur; parochi etiam est advigilare ne ad sacram Synaxim accedant pueri, qui rationis usum non sint adepti aut quos non sufficienter dispositos iudicaverit. 4456

Can. 915 - Ad sacram communionem ne admittantur excommunicati et interdicti post irrogationem vel declarationem poenae aliique in manifesto gravi peccato obstinate perseverantes. 4457

Can. 916 - Qui conscius est peccati gravis, sine praemissa sacramentali confessione Missam ne celebret neve Corpori Domini communicet, nisi adsit gravis ratio et deficiat opportunitas confitendi; quo in casu meminerit se obligatione teneri ad eliciendum actum perfectae contritionis, qui includit propositum quam primum confitendi. 4458

[166] Can. 917 - Qui sanctissimam Eucharistiam iam recepit, potest eam iterum eadem die suscipere solummodo intra eucharisticam celebrationem cui participat, salvo praescripto can. 921, § 2. <sup>a</sup> 4459

Can. 918 - Maxime commendatur ut fideles in ipsa eucharistica celebratione sacram communionem recipiant; ipsis tamen iusta de causa petentibus extra Missam ministretur, servatis liturgicis ritibus. 4460

Can. 919 - § 1. Sanctissimam Eucharistiam recepturus per spatium 4461

---

<sup>a</sup> Die 11 iulii 1984 Ioannes Paulus II sequentem decisionem Patrum Pontificiae Commissionis Codici Iuris Canonici interpretando relate ad dubium propositum publicari iussit: AAS 76 (1984) 746; N 20 (1984) 598: D. - Utrum, ad normam Can. 917, fidelis qui Sanctissimam Eucharistiam iam recepit, possit eam eadem die suscipere altera tantum vice, an quoties eucharisticam celebrationem participat.

R. - *Affirmative ad primum; Negative ad secundum.*

saltem unius horae ante sacram communionem abstineat a quocumque cibo et potu, excepta tantummodo aqua atque medicina.

§ 2. Sacerdos, qui eadem die bis aut ter sanctissimam Eucharistiam celebrat, aliquid sumere potest ante secundam aut tertiam celebrationem, etiamsi non intercesserit spatium unius horae.

§ 3. Aetate proveci et infirmitate quadam laborantes necnon eorum curae addicti, sanctissimam Eucharistiam accipere possunt, etiamsi intra horam antecedentem aliquid sumpserint.

4462 *Can. 920 - § 1.* Omnis fidelis, postquam ad sanctissimam Eucharistiam initiatus sit, obligatione tenetur semel saltem in anno, sacram communionem recipiendi.

§ 2. Hoc praeceptum impleri debet tempore paschali, nisi iusta de causa alio tempore intra annum adimpleatur.

4463 *Can. 921 - § 1.* Christifideles qui versantur in periculo mortis, quavis ex causa procedenti, sacra communione per modum Viatici reficiantur.

§ 2. Etiamsi eadem die sacra communione refecti fuerint, valde tamen suaderetur at qui in vitae discrimen adducti sint, denuo communicent.

§ 3. Perdurante mortis periculo, commendatur ut sacra communio pluries, distinctis diebus, administretur.

4464 *Can. 922 -* Sanctum Viaticum infirmis ne nimium differatur; qui animarum curam gerunt sedulo advigilent, ut eodem infirmi plene sui compotes reficiantur.

4465 *Can. 923 -* Christifideles Sacrificium eucharisticum participare et sacram communionem suscipere possunt quolibet ritu catholico, firmo praescripto can. 844.

### Art. 3. De ritibus et caeremoniis eucharisticae celebrationis

4466 *Can. 924 - § 1.* Sacrosanctum eucharisticum Sacrificium offerri debet ex pane et vino, cui modica aqua miscenda est.

§ 2. Panis debet esse mere triticeus et recenter confectus, ita ut nullum sit periculum corruptionis.

[167] § 3. Vinum debet esse naturale de genimine vitis et non corruptum.

4467 *Can. 925 -* Sacra communio conferatur sub sola specie panis aut, ad normam legum liturgicarum, sub utraque specie; in casu autem necessitatis, etiam sub sola specie vini.

4468 *Can. 926 -* In eucharistica celebratione secundum antiquam Ecclesiae latinae traditionem sacerdos adhibeat panem azymum ubicumque litat.

4469 *Can. 927 -* Nefas est, urgente etiam extrema necessitate, alteram materiam sine altera, aut etiam utramque extra eucharisticam celebrationem, consecrare.

4470 *Can. 928 -* Eucharistica celebratio peragatur lingua latina aut alia lingua, dummodo textus liturgici legitime approbati fuerint.

*Can. 929* - Sacerdotes et diaconi in Eucharistia celebranda et ministranda sacra ornamenta rubricis praescripta deferant. 4471

*Can. 930* - § 1. Sacerdos infirmus aut aetate proventus, si stare nequeat, Sacrificium eucharisticum celebrare potest sedens, servatis quidem legibus liturgicis, non tamen coram populo, nisi de licentia loci Ordinarii. 4472

§ 2. Sacerdos caecus aliave infirmitate laborans licite eucharisticum Sacrificium celebrat, adhibendo textum quemlibet Missae ex probatis, adstante, si casus ferat, alio sacerdote vel diacono, aut etiam laico rite instructo, qui eundem adiuvet.

#### Art. 4. De tempore et loco celebrationis Eucharistiae

*Can. 931* - Eucharistiae celebratio et distributio fieri potest qualibet die et hora, iis exceptis, quae secundum liturgicas normas excluduntur. 4473

*Can. 932* - § 1. Celebratio eucharistica peragatur in loco sacro, nisi in casu particulari necessitas aliud postulet; quo in casu, in loco honesto celebratio fieri debet. 4474

§ 2. Sacrificium eucharisticum peragendum est super altare dedicatum vel benedictum; extra locum sacrum adhiberi potest mensa conveniens, retentis semper tobalea et corporali.

*Can. 933* - Iusta de causa et de licentia expressa Ordinarii loci licet sacerdoti Eucharistiam celebrare in templo alicuius Ecclesiae aut communitalis ecclesialis plenam communionem cum Ecclesia catholica non habentium, remoto scandalo. 4475

#### Caput II. De sanctissima Eucharistia asservanda et veneranda

[168] *Can. 934* - § 1. Sanctissima Eucharistia: 4476

1° asservari debet in ecclesia cathedrali aut eidem aequiparata, in qualibet ecclesia paroeciali necnon in ecclesia vel oratorio domui instituti religiosi aut societatis vitae apostolicae adnexo;

2° asservari potest in sacello Episcopi et, de licentia Ordinarii loci, in aliis ecclesiis, oratoriis et sacellis.

§ 2. In locis sacris ubi sanctissima Eucharistia asservatur, adesse semper debet qui eius curam habeat et, quantum fieri potest, sacerdos saltem bis in mense Missam ibi celebret.

*Can. 935* - Nemini licet sanctissimam Eucharistiam apud se retinere aut secum in itinere deferre, nisi necessitate pastorali urgente et servatis Episcopi dioecesanis praescriptis. 4477

*Can. 936* - In domo instituti religiosi aliave pia domo, sanctissima Eucharistia asservetur tantummodo in ecclesia aut in oratorio principali domui adnexo; potest tamen iusta de causa Ordinarius permittere, ut etiam in alio oratorio eiusdem domus asservetur. 4478

*Can. 937* - Nisi gravis obstet ratio, ecclesia in qua sanctissima Eucharistia asservatur, per aliquot saltem horas cotidie fidelibus pateat, ut coram sanctissimo Sacramento orationi vacare possint. 4479

- 4480 *Can. 938 - § 1.* Sanctissima Eucharistia habitualiter in uno tantum ecclesiae vel oratorii tabernaculo asservetur.  
§ 2. Tabernaculum, in quo sanctissima Eucharistia asservatur, situm sit in aliqua ecclesiae vel oratorii parte insigni, conspicua, decore ornata, ad orationem apta.  
§ 3. Tabernaculum, in quo habitualiter sanctissima Eucharistia asservatur, sit inamovibile, materia solida non transparenti confectum, et ita clausum ut quam maxime periculum profanationis vitetur.  
§ 4. Gravi de causa, licet sanctissimam Eucharistiam, nocturno praesertim tempore, alio in loco tutiore et decore asservare.  
§ 5. Qui ecclesiae vel oratorii curam habet, prospiciat ut clavis tabernaculi, in quo sanctissima Eucharistia asservatur, diligentissime custodiatur.
- 4481 *Can. 939 -* Hostiae consecratae quantitate fidelium necessitatibus sufficienti in pyxide seu vasculo serventur, et frequenter, veteribus rite consumptis, renoventur.
- 4482 [169] *Can. 940 -* Coram tabernaculo, in quo sanctissima Eucharistia asservatur, peculiaris perenniter luceat lampas, qua indicetur et honoretur Christi praesentia.
- 4483 *Can. 941 - § 1.* In ecclesiis aut oratoriis quibus datum est asservare sanctissimam Eucharistiam, fieri possunt expositiones sive cum pyxide sive cum ostensorio, servatis normis in libris liturgicis praescriptis.  
§ 2. Celebratione Missae durante, ne habeatur in eadem ecclesiae vel oratorii aula sanctissimi Sacramenti expositio.
- 4484 *Can. 942 -* Commendatur ut in iisdem ecclesiis et oratoriis quotannis fiat sollemnis sanctissimi Sacramenti expositio per congruum tempus, etsi non continuum, protracta, ut communitas localis eucharisticum mysterium impensius meditetur et adoret; huiusmodi tamen expositio fiat tantum si congruus praevideatur fidelium concursus et servatis normis statutis.
- 4485 *Can. 943 -* Minister expositionis sanctissimi Sacramenti et benedictionis eucharisticae est sacerdos vel diaconus; in peculiaribus adiunctis, solius expositionis et repositionis, sine tamen benedictione, est acolythus, minister extraordinarius sacrae communionis aliusve ab Ordinario loci deputatus, servatis Episcopi dioecesani praescriptis.
- 4486 *Can. 944 - § 1.* Ubi de iudicio Episcopi dioecesani fieri potest, in publicum erga sanctissimam Eucharistiam venerationis testimonium, habeatur, praesertim in sollemnitate Corporis et Sanguinis Christi, processio per vias publicas ducta.  
§ 2. Episcopi dioecesani est de processionibus statuere ordinationes, quibus earum participationi et dignitati prospiciatur.

Caput III. *De oblata ad Missae celebrationem stipe*

- 4487 *Can. 945 - § 1.* Secundum probatum Ecclesiae morem, sacerdoti cuilibet Missam celebranti aut concelebranti licet stipem oblatam recipere, ut iuxta certam intentionem Missam applicet.



- § 2. Enixe commendatur sacerdotibus ut, etiam nulla recepta stipe, Missam ad intentionem christifidelium praecipue egentium celebrent.
- Can. 946* - Christifideles stipem offerentes ut ad suam intentionem Missa applicetur, ad bonum conferunt Ecclesiae atque eius curam in ministris operibusque sustinendis ea oblatione participant. 4488
- Can. 947* - A stipe Missarum quaelibet etiam species negotiationis vel mercaturae omnino arceatur. 4489
- [170] *Can. 948* - Distinctae applicandae sunt Missae ad eorum intentiones pro quibus singulis stips, licet exigua, oblata et acceptata est. 4490
- Can. 949* - Qui obligatione gravatur Missam celebrandi et applicandi ad intentionem eorum qui stipem obtulerunt, eadem obligatione tenentur, etiamsi sine ipsius culpa stipes perceptae perierint. 4491
- Can. 950* - Si pecuniae summa offertur pro Missarum applicatione, non indicato Missarum celebrandarum numero, hic supputetur attendita stipe statuta in loco in quo oblatores commorantur, nisi aliam fuisse eius intentionem legitime praesumi debeat. 4492
- Can. 951* - § 1. Sacerdos plures eadem die Missas celebrans, singulas applicare potest ad intentionem pro qua stips oblata est, ea tamen lege ut, praeterquam in die Nativitatis Domini, stipem pro una tantum Missa faciat suam, ceteras vero in fines ab Ordinario praescriptos concedat, admissa quidem aliqua retributione ex titulo extrinseco. 4493
- § 2. Sacerdos alteram Missam eadem die concelebrans, nullo titulo pro ea stipem recipere potest.
- Can. 952* - § 1. Concilii provincialis aut conventus Episcoporum provinciae est pro universa provincia per decretum definire quaenam pro celebratione et applicatione Missae sit offerenda stips, nec licet sacerdoti summam maiorem expetere; ipsi tamen fas est stipem sponte oblatam definita maiorem pro Missae applicatione accipere, et etiam minorem. 4494
- § 2. Ubi desit tale decretum, servetur consuetudo in dioecesi vigens.
- § 3. Sodales quoque institutorum religiosorum quorumlibet stare debent eidem decreto aut consuetudini loci, de quibus in §§ 1 et 2.
- Can. 953* - Nemini licet tot stipes Missarum per se applicandarum accipere, quibus intra annum satisfacere non potest. 4495
- Can. 954* - Si certis in ecclesiis aut oratoriis Missae petuntur celebrandae numero plures quam ut ibidem celebrari possint, earundem celebratio alibi fieri licet, nisi contrariam voluntatem oblatores expresse manifestaverint. 4496
- Can. 955* - § 1. Qui celebrationem Missarum applicandarum aliis committere intendat, earum celebrationem quam primum sacerdotibus sibi acceptis committat, dummodo ipsi constet eos esse omni exceptione maiores; integram stipem receptam transmittere debet, nisi certo constet excessum supra summam in dioecesi debitam datum esse intuitu personae; obligatione etiam tenetur Missarum celebrationem 4497

curandi, donec tum susceptae obligationis tum receptae stipis testimonium acceperit.

[171] § 2. Tempus intra quod Missae celebrandae sunt, initium habet a die quo sacerdos easdem celebraturus recepit, nisi aliud constet.

§ 3. Qui aliis Missas celebrandas committunt, sine mora in librum referant tum Missas quas acceperunt, tum eas, quas aliis tradiderunt, notatis etiam earundem stipibus.

§ 4. Quilibet sacerdos accurate notare debet Missas quas celebrandas acceperit, quibusque satisfecerit.

4498 *Can. 956* - Omnes et singuli administratores causarum piarum aut quoquo modo obligati ad Missarum celebrationem curandam, sive clerici sive laici, onera Missarum quibus intra annum non fuerit satisfactum suis Ordinariis tradant, secundum modum ab his definiendum.

4499 *Can. 957* - Officium et ius advigilandi ut Missarum onera adimpleantur, in ecclesiis cleri saecularis pertinet ad loci Ordinarium, in ecclesiis institutorum religiosorum aut societatum vitae apostolicae ad eorum Superiores.

4500 *Can. 958* - § 1. Parochus necnon rector ecclesiae aliusve pii loci, in quibus stipes Missarum recipi solent, peculiarem habeant librum, in quo accurate adnotent Missarum celebrandarum numerum, intentionem, stipem oblatam, necnon celebrationem peractam.

§ 2. Ordinarius obligatione tenetur singulis annis huiusmodi libros per se aut per alios recognoscendi.

#### Titulus IV. De sacramento paenitentiae

4501 *Can. 959* - In sacramento paenitentiae fideles peccata legitimo ministro confitentes, de iisdem contriti atque propositum sese emendandi habentes, per absolutionem ab eodem ministro impertitam, veniam peccatorum quae post baptismum commiserint a Deo obtinent, simulque reconciliantur cum Ecclesia, quam peccando vulneraverunt.

#### Caput I. De celebratione sacramenti

4502 *Can. 960* - Individualis et integra confessio atque absolutio unicum constituunt modum ordinarium, quo fidelis peccati gravis sibi conscius cum Deo et Ecclesia reconciliatur; solummodo impossibilitas physica vel moralis ab huiusmodi confessione excusat, quo in casu aliis quoque modis reconciliatio haberi potest.

4503 *Can. 961* - § 1. Absolutio pluribus insimul paenitentibus sine praevia individuali confessione, generali modo impertiri non potest, nisi: [172] 1° immineat periculum mortis et tempus non suppetat sacerdoti vel sacerdotibus ad audiendas singulorum paenitentium confessiones; 2° adsit gravis necessitas, videlicet quando, attento paenitentium numero, confessorum copia praesto non est ad rite audiendas singulorum confessiones intra congruum tempus, ita ut paenitentes, sine propria culpa, gratia sacramentali aut sacra communione diu carere cogantur; necessitas vero non censetur sufficiens, cum confessarii praesto

esse non possunt, ratione solius magni concursus paenitentium, qualis haberi potest in magna aliqua festivitate aut peregrinatione.

§ 2. Iudicium ferre an dentur condiciones ad normam § 1, n. 2 requisitae, pertinet ad Episcopum dioecesanum, qui, attentis criteriis cum ceteris membris Episcoporum conferentiae concordatis, casus talis necessitatis determinare potest.

*Can. 962 - § 1.* Ut christifidelis sacramentali absolutione una simul pluribus data valide fruatur, requiritur non tantum ut sit apte dispositus, sed ut insimul sibi proponat singillatim debito tempore confiteri peccata gravia, quae in praesens ita confiteri nequit. 4504

§ 2. Christifideles, quantum fieri potest etiam occasione absolutionis generalis recipiendae, de requisitis ad normam § 1 edoceantur et absolutioni generali, in casu quoque periculi mortis, si tempus suppetat, praemittatur exhortatio ut actum contritionis quisque elicere curet.

*Can. 963 - Firma* manente obligatione de qua in can. 989, is cui generali absolutione gravia peccata remittuntur, ad confessionem individuaalem quam primum, occasione data, accedat, antequam aliam recipiat absolutionem generalem, nisi iusta causa interveniat. 4505

*Can. 964 - § 1.* Ad sacramentales confessiones excipiendas locus proprius est ecclesia aut oratorium. 4506

§ 2. Ad sedem confessionalem quod attinet, normae ab Episcoporum conferentia statuuntur, cauto tamen ut semper habeantur in loco patienti sedes confessionales crate fixa inter paenitentem et confessarium instructae, quibus libere uti possint fideles, qui id desiderent.

§ 3. Confessiones extra sedem confessionalem ne excipiantur, nisi iusta de causa.

## Caput II. *De sacramenti paenitentiae ministro*

*Can. 965 - Minister* sacramenti paenitentiae est solus sacerdos. 4507

*Can. 966 - § 1.* Ad validam peccatorum absolutionem requiritur ut minister, praeterquam potestate ordinis, facultate gaudeat eandem in fideles, quibus absolutionem impertitur, exercendi. 4508

[173] § 2. Hac facultate donari potest sacerdos, sive ipso iure sive concessione ab auctoritate competenti facta ad normam can 969.

*Can. 967 - § 1.* Praeter Romanum Pontificem, facultate christifidelium ubique terrarum confessiones excipiendi ipso iure gaudent Cardinales; itemque Episcopi, qui eadem et licite ubique utuntur, nisi Episcopus dioecesanus in casu particulari renuerit. 4509

§ 2. Qui facultate confessiones habitualiter excipiendi gaudent sive vi officii sive vi concessionis Ordinarii loci incardinationis aut loci in quo domicilium habent, eandem facultatem ubique exercere possunt, nisi loci Ordinarius in casu particulari renuerit, firmis praescriptis can. 974, §§ 2 et 3.

§ 3. Ipso iure eadem facultate ubique potiuntur erga sodales aliosque in domo instituti aut societatis diu noctuque degentes, qui vi officii aut concessionis Superioris competentis ad normam cann. 968, § 2 et 969,

§ 2 facultate confessiones excipiendi sunt instructi; qui quidem eadem et licite utuntur, nisi aliquis Superior maior quoad proprios subditos in casu particulari renuerit.

- 4510 *Can. 968 - § 1.* Vi officii pro sua quisque ditione facultate ad confessiones excipiendas gaudent loci Ordinarius, canonicus paenitentarius, itemque parochus aliique qui loco parochi sunt.  
§ 2. Vi officii facultate gaudent confessiones excipiendi suorum subditorum aliorumque, in domo diu noctuque degentium, Superiores instituti religiosi aut societatis vitae apostolicae, si sint clericales iuris pontificii, ad normam constitutionum potestate regiminis executiva fruentes, firmo tamen praescripto can. 630, § 4.
- 4511 *Can. 969 - § 1.* Solus loci Ordinarius competens est qui facultatem ad confessiones quorumlibet fidelium excipiendas conferat presbyteris quibuslibet; presbyteri autem qui sodales sunt institutorum religiosorum, eadem ne utantur sine licentia saltem praesumpta sui Superioris.  
§ 2. Superior instituti religiosi aut societatis vitae apostolicae, de quo in can. 968, § 2, competens est qui facultatem ad excipiendas confessiones suorum subditorum aliorumque in domo diu noctuque degentium presbyteris quibuslibet conferat.
- 4512 *Can. 970 -* Facultas ad confessiones excipiendas ne concedatur nisi presbyteris qui idonei per examen reperti fuerint, aut de eorum idoneitate aliunde constet.
- 4513 *Can. 971 -* Facultatem ad excipiendas habitualiter confessiones loci Ordinarius presbytero, etsi domicilium vel quasi-domicilium in sua ditione habenti, ne concedat, nisi prius, quantum fieri potest, audito eiusdem presbyteri Ordinario.
- 4514 [174] *Can. 972 -* Facultas ad confessiones excipiendas a competenti auctoritate, de qua in can. 969, concedi potest ad tempus sive indeterminatum sive determinatum.
- 4515 *Can. 973 -* Facultas ad confessiones habitualiter excipiendas scripto concedatur.
- 4516 *Can. 974 - § 1.* Loci Ordinarius, itemque Superior competens, facultatem ad confessiones excipiendas habitualiter concessam ne revocet nisi gravem ob causam.  
§ 2. Revocata facultate ad confessiones excipiendas a loci Ordinario qui eam concessit, de quo in can. 967, § 2, presbyter eandem facultatem ubique amittit; revocata eadem facultate ab alio loci Ordinario, eandem amittit tantum in territorio revocantis.  
§ 3. Quilibet loci Ordinarius qui alicui presbytero revocaverit facultatem ad confessiones excipiendas, certiore reddat Ordinarium qui ratione incardinationis est presbyteri proprius, aut, si agatur de sodali instituti religiosi, eiusdem competentem Superiorem.  
§ 4. Revocata facultate ad confessiones excipiendas a proprio Superiore maiore, facultatem ad excipiendas confessiones ubique erga sodales instituti amittit presbyter; revocata autem eadem facultate ab alio Su-

periore competenti, eandem amittit erga solos in eiusdem ditione subditos.

*Can. 975* - Praeterquam revocatione, facultas de qua in can. 967, § 2 cessat amissione officii vel excardinatione aut amissione domicili. 4517

*Can. 976* - Quilibet sacerdos, licet ad confessiones excipiendas facultate careat, quoslibet paenitentes in periculo mortis versantes valide et licite absolvit a quibusvis censuris et peccatis, etiamsi praesens sit sacerdos approbatus. 4518

*Can. 977* - Absolutio complicitis in peccato contra sextum Decalogi praeceptum invalida est, praeterquam in periculo mortis. 4519

*Can. 978* - § 1. Meminerit sacerdos in audiendis confessionibus se iudicis pariter et medici personam sustinere ac divinae iustitiae simul et misericordiae ministrum a Deo constitutum esse, ut honori divino et animarum saluti consulat. 4520

§ 2. Confessarius, utpote minister Ecclesiae, in administrando sacramento, doctrinae Magisterii et normis a competenti auctoritate latis fideliter adhaereat.

*Can. 979* - Sacerdos in quaestionibus ponendis cum prudentia et discretionem procedat, attenta quidem condicione et aetate paenitentis, absteatque a nomine complicitis inquirendo. 4521

*Can. 980* - Si confessario dubium non est de paenitentis dispositione et hic absolutionem petat, absolutio ne denegetur nec differatur. 4522

[175] *Can. 981* - Pro qualitate et numero peccatorum, habita tamen ratione paenitentis condicionis, salutare et convenientes satisfactiones confessarius iniungat; quas paenitens per se ipse implendi obligatione tenetur. 4523

*Can. 982* - Qui confitetur se falso confessarium innocentem apud auctoritatem ecclesiasticam denunciasset de crimine sollicitationis ad peccatum contra sextum Decalogi praeceptum, ne absolvatur nisi prius falsam denuntiationem formaliter retractaverit et paratus sit ad damna, si quae habeantur, reparanda. 4524

*Can. 983* - § 1. Sacramentale sigillum inviolabile est; quare nefas est confessario verbis vel alio quovis modo et quavis de causa aliquatenus prodere paenitentem. 4525

§ 2. Obligatione secretum servandi tenentur quoque interpretes, si detur, necnon omnes alii ad quos ex confessione notitia peccatorum quoquo modo pervenerit.

*Can. 984* - § 1. Omnino confessario prohibetur scientiae ex confessione acquisitae usus cum paenitentis gravamine, etiam quovis revelationis periculo excluso. 4526

§ 2. Qui in auctoritate est constitutus, notitia quam de peccatis in confessione quovis tempore excepta habuerit, ad exteriorem gubernationem nullo modo uti potest.

*Can. 985* - Magister novitiorum eiusque socius, rector seminarii alius- 4527

ve instituti educationis sacramentales confessiones suorum alumnorum in eadem domo commorantium ne audiant, nisi alumni in casibus particularibus sponte id petant.

4528 *Can. 986 - § 1.* Omnis cui animarum cura vi muneris est demandata, obligatione tenetur providendi ut audiantur confessiones fidelium sibi commissorum, qui rationabiliter audiri petant, utque iisdem opportunitas praebeatur ad confessionem individualement, diebus ac horis in eorum commodum statutis, accedendi.

§ 2. Urgente necessitate, quilibet confessarius obligatione tenetur confessiones christifidelium excipiendi, et in periculo mortis quilibet sacerdos.

### Caput III. *De ipso paenitente*

4529 *Can. 987 -* Christifidelis, ut sacramenti paenitentiae remedium percipiat salutarum, ita dispositus sit oportet ut, peccata quae commiserit repudiando et propositum sese emendandi habens, ad Deum convertatur.

4530 [176] *Can. 988 - § 1.* Christifidelis obligatione tenetur in specie et numero confitendi omnia peccata gravia post baptismum perpetrata et nondum per claves Ecclesiae directe remissa neque in confessione individuali accusata, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habeat.

§ 2. Commendatur christifidelibus ut etiam peccata venialia confiteantur.

4531 *Can. 989 -* Omnis fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, obligatione tenetur peccata sua gravia, saltem semel in anno, fideliter confitendi.

4532 *Can. 990 -* Nemo prohibetur quominus per interpretem confiteatur, vitatis quidem abusibus et scandalis atque firmo praescripto can. 983, § 2.

4533 *Can. 991 -* Cuivis christifideli integrum est confessario legitime approbato etiam alius ritus, cui maluerit, peccata confiteri.

### Caput IV. *De indulgentiis*

4534 *Can. 992 -* Indulgentia est remissio coram Deo poenae temporalis pro peccatis, ad culpam quod attinet iam deletis, quam christifidelis, apte dispositus et certis ac definitis condicionibus, consequitur ope Ecclesiae quae, ut ministra redemptionis, thesaurum satisfactionum Christi et Sanctorum auctoritative dispensat et applicat.

4535 *Can. 993 -* Indulgentia est partialis aut plenaria, prout a poena temporali pro peccatis debita liberat ex parte aut ex toto.

4536 *Can. 994 -* Quivis fidelis potest indulgentias sive partiales sive plenarias, aut sibi ipsi lucrari, aut defunctis applicare ad modum suffragii.

4537 *Can. 995 - § 1.* Praeter supremam Ecclesiae auctoritatem ii tantum

possunt indulgentias elargiri, quibus haec potestas iure agnoscitur aut a Romano Pontifice conceditur.

§ 2. Nulla auctoritas infra Romanum Pontificem potest potestatem concedendi indulgentias aliis committere, nisi id ei a Sede Apostolica expresse fuerit indultum.

*Can. 996 - § 1.* Ut quis capax sit lucrandi indulgentias debet esse baptizatus, non excommunicatus, in statu gratiae saltem in fine operum praescriptorum. 4538

§ 2. Ut vero subiectum capax eas lucretur, habere debet intentionem saltem eas acquirendi et opera iniuncta implere statuto tempore ac debito modo, secundum concessionis tenorem.

[177] *Can. 997 -* Ad indulgentiarum concessionem et usum quod attinet, servanda sunt insuper cetera praescripta quae in peculiaribus Ecclesiae legibus continentur. 4539

#### Titulus V. De sacramento unctionis infirmorum

*Can. 998 -* Unctio infirmorum, qua Ecclesia fideles periculose aegrotantes Domino patienti et glorificato, ut eos allevet et salvet, commendat, confertur eos liniendo oleo atque verba proferendo in liturgicis libris praescripta. 4540

#### Caput I. De sacramenti celebratione

*Can. 999 -* Praeter Episcopum, oleum in unctione infirmorum adhibendum benedicere possunt. 4541

1° qui iure Episcopo dioecetano equiparantur;

2° in casu necessitatis, quilibet presbyter in ipsa tamen celebratione sacramenti.

*Can. 1000 - § 1.* Uctiones verbis, ordine et modo praescriptis in liturgicis libris, accurate peragantur; in casu tamen necessitatis, sufficit unctio unica in fronte vel etiam in alia corporis parte, integra formula prolata. 4542

§ 2. Uctiones peragat minister propria manu, nisi gravis ratio usum instrumenti suadeat.

*Can. 1001 -* Curent animarum pastores et infirmorum propinqui, ut tempore opportuno infirmi hoc sacramento subleventur. 4543

*Can. 1002 -* Celebratio communis unctionis infirmorum, pro pluribus infirmis simul, qui apte sint praeparati et rite dispositi, iuxta Episcopi dioecetani praescripta peragi potest. 4544

#### Caput II. De ministro unctionis infirmorum

*Can. 1003 - § 1.* Uctionem infirmorum valide administrat omnis et solus sacerdos. 4545

§ 2. Officium et ius unctionis infirmorum ministrandi habent omnes sacerdotes, quibus demandata est cura animarum, erga fideles suo pastoralis officio commissos; ex rationabili causa, quilibet alius sacerdos

[178] hoc sacramentum ministrare potest de consensu saltem praesumpto sacerdotis de quo supra.

§ 3. Cuilibet sacerdoti licet oleum benedictum secumferre ut, in casu necessitatis, sacramentum unctionis infirmorum ministrare valeat.

### Caput III. De iis quibus unctio infirmorum conferenda sit

- 4546 *Can. 1004* - § 1. Unctio infirmorum ministrari potest fideli qui, adepti rationis usu, ob infirmitatem vel senium in periculo incipit versari.  
§ 2. Hoc sacramentum iterari potest, si infirmus, postquam convalescit, denuo in gravem infirmitatem incidit aut si, eadem infirmitate perdurante, discrimen factum gravius sit.
- 4547 *Can. 1005* - In dubio utrum infirmus rationis usum attigerit, an periculose aegrotet vel mortuus sit, hoc sacramentum ministretur.
- 4548 *Can. 1006* - Infirmis qui, cum suae mentis compotes essent, hoc sacramentum implicite saltem petierint, conferatur.
- 4549 *Can. 1007* - Unctio infirmorum ne conferatur illis, qui manifesto gravi peccato obstinate perseverent.

### Titulus VI. De ordine

- 4550 *Can. 1008* - Sacramento ordinis ex divina institutione inter christifideles quidam, caractere indelebili quo signantur, constituuntur sacri ministri, qui nempe consecrantur et deputantur ut, pro suo quisque gradu, in persona Christi Capitis munera docendi, sanctificandi et regendi adimplentes, Dei populum pascant.
- 4551 *Can. 1009* - § 1. Ordines sunt episcopatus, presbyteratus et diaconatus.  
§ 2. Conferuntur manuum impositione et precatione consecratoria, quam pro singulis gradibus libri liturgici praescribunt.

### Caput I. De ordinationis celebratione et ministro

- 4552 *Can. 1010* - Ordinatio intra Missarum sollemnia celebretur, die dominico vel festo de praeepto, sed ob rationes pastorales aliis etiam diebus, ferialibus non exceptis, fieri potest.
- 4553 [179] *Can. 1011* - § 1. Ordinatio generaliter in cathedrali ecclesia celebretur; ob rationes tamen pastorales in alia ecclesia aut oratorio celebrari potest.  
§ 2. Ad ordinationem invitandi sunt clerici aliique christifideles, ut quam maxima frequentia celebrationi intersint.
- 4554 *Can. 1012* - Sacrae ordinationis minister est Episcopus consecratus.
- 4555 *Can. 1013* - Nulli Episcopo licet quemquam consecrare in Episcopum, nisi prius constet de pontificio mandato.
- 4556 *Can. 1014* - Nisi Sedis Apostolicae dispensatio intercesserit, Episcopus consecrator principalis in consecratione episcopali duos saltem Episco-



pos consecrantes sibi adiungat; valde convenit autem, ut una cum iisdem omnes Episcopi praesentes electum consecrent.

*Can. 1015* - § 1. Unusquisque ad presbyteratum et ad diaconatum a proprio Episcopo ordinetur aut cum legitimis eiusdem litteris dimissoriis. 4557

§ 2. Episcopus proprius, iusta de causa non impeditus, per se ipse suos subditos ordinet; sed subditum orientalis ritus, sine apostolico indulto, licite ordinare non potest.

§ 3. Qui potest litteras dimissorias ad ordines recipiendos dare, potest quoque eosdem ordines per se ipse conferre, si caractere episcopali polleat.

*Can. 1016* - Episcopus proprius, quod attinet ad ordinationem diaconalem eorum qui clero saeculari se adscribi intendunt, est Episcopus dioecesis, in qua promovendus habet domicilium, aut dioecesis cui promovendus sese devovere statuit; quod attinet ad ordinationem presbyteralem clericorum saecularium, est Episcopus dioecesis, cui promovendus per diaconatum est incardinatus. 4558

*Can. 1017* - Episcopus extra propriam dicionem non nisi cum licentia Episcopi dioecesanii ordines conferre potest. 4559

*Can. 1018* - § 1. Litteras dimissorias pro saecularibus dare possunt: 4560  
1° Episcopus proprius, de quo in can. 1016;  
2° Administrator apostolicus atque, de consensu collegii consultorum, Administrator dioecesanus de consensu consilii, de quo in can. 495, § 2, Pro-vicarius et Pro-praefectus apostolicus.

§ 2. Administrator dioecesanus, Pro-vicarius et Pro-praefectus apostolicus litteras dimissorias ne iis concedant, quibus ab Episcopo dioecesano aut a Vicario vel Praefecto apostolico accessus ad ordines denegatus fuerit.

*Can. 1019* - § 1. Superiori maiori instituti clericalis iuris pontificii aut societatis clericalis vitae apostolicae iuris pontificii com[180]petit ut suis subditis, iuxta constitutiones perpetuo vel definitive instituto aut societati adscriptis, concedat litteras dimissorias ad diaconatum et ad presbyteratum. 4561

§ 2. Ordinatio ceterorum omnium alumnorum cuiusvis instituti aut societatis regitur iure clericorum saecularium, revocato quolibet indulto Superioribus concesso.

*Can. 1020* - Litterae dimissoriae ne concedantur, nisi habitis antea omnibus testimoniis et documentis, quae iure exiguntur ad normam cann. 1050 et 1051. 4562

*Can. 1021* - Litterae dimissoriae mitti possunt ad quemlibet Episcopum communionem cum Sede Apostolica habentem, excepto tantum, citra apostolicum indultum, Episcopo ritus diversi a ritu promovendi. 4563

*Can. 1022* - Episcopus ordinans, acceptis legitimis litteris dimissoriis, ad ordinationem ne procedat, nisi de germana litterarum fide plane constet. 4564

- 4565 *Can. 1023* - Litterae dimissoriae possunt ab ipso concedente aut ab eius successore limitibus circumscribi aut revocari, sed semel concessae non extinguuntur resoluta iure concedentis.

#### Caput II. *De ordinandis*

- 4566 *Can. 1024* - Sacram ordinationem valide recipit solus vir baptizatus.
- 4567 *Can. 1025* - § 1. Ad licite ordines presbyteratus vel diaconatus conferendos requiritur ut candidatus, probatione ad normam iuris peracta, debitis qualitatibus, iudicio proprii Episcopi aut Superioris maioris competentis, praeditus sit, nulla detineatur irregularitate nulloque impedimento, atque praerequisita, ad normam cann. 1033-1039, adimplerit; praeterea documenta habeantur, de quibus in can. 1050, atque scrutinium peractum sit, de quo in can. 1051.
- § 2. Insuper requiritur ut, iudicio eiusdem legitimi Superioris, ad Ecclesiae ministerium utilis habeatur.
- § 3. Episcopo ordinanti proprium subditum, qui servitio alius dioecesis destinetur, constare debet ordinandum huic dioecesi addictum iri.

#### Art. 1. *De requisitis in ordinandis*

- 4568 *Can. 1026* - Ut quis ordinetur debita libertate gaudeat oportet; nefas est quemquam, quovis modo, ob quamlibet causam ad ordines recipiendos cogere, vel canonicè idoneum ab iisdem recipiendis avertere.
- 4569 [181] *Can. 1027* - Aspirantes ad diaconatum et presbyteratum accurata praeparatione efformentur, ad normam iuris.
- 4570 *Can. 1028* - Curet Episcopus dioecesanus aut Superior competens ut candidati, antequam ad ordinem aliquem promoveantur, rite edoceantur de iis, quae ad ordinem eiusque obligationes pertinent.
- 4571 *Can. 1029* - Ad ordines ii soli promoveantur qui, prudenti iudicio Episcopi proprii aut Superioris maioris competentis, omnibus perpensis, integram habent fidem, recta moventur intentione, debita pollent scientia, bona gaudent existimatione, integris moribus probatisque virtutibus atque aliis qualitatibus physicis et psychicis ordini recipiendo congruentibus sunt praediti.
- 4572 *Can. 1030* - Nonnisi ex causa canonica, licet occulta, proprius Episcopus vel Superior maior competens diaconis ad presbyteratum destinatis, sibi subditis, ascensum ad presbyteratum interdicere potest, salvo recurso ad normam iuris.
- 4573 *Can. 1031* - § 1. Presbyteratus ne conferatur nisi iis qui aetatis annum vigesimum quintum expleverint et sufficienti gaudeant maturitate, servato in super intervallo sex saltem mensium inter diaconatum et presbyteratum; qui ad presbyteratum destinantur, ad diaconatus ordinem tantummodo post expletum aetatis annum vigesimum tertium admittantur.
- § 2. Candidatus ad diaconatum permanentem qui non sit uxoratus ad eundem diaconatum ne admittatur, nisi post expletum vigesimum quintum saltem aetatis annum; qui matrimonio coniunctus est, nonni-

si post expletum trigesimum quintum saltem aetatis annum, atque de uxoris consensu.

§ 3. Integrum est Episcoporum conferentiis normam statuere, qua provector ad presbyteratum et ad diaconatum permanentem requiratur aetas.

§ 4. Dispensatio ultra annum super aetate requisita ad normam §§ 1 et 2, Apostolicae Sedi reservatur.

*Can. 1032* - § 1. Aspirantes ad presbyteratum promoveri possunt ad diaconatum solummodo post expletum quintum curriculi studiorum philosophico-theologicorum annum. 4574

§ 2. Post expletum studiorum curriculum, diaconus per tempus congruum, ab Episcopo vel a Superiore maiore competenti definiendum, in cura pastorali partem habeat, diaconalem exercens ordinem, antequam ad presbyteratum promoveatur.

§ 3. Aspirans ad diaconatum permanentem, ad hunc ordinem ne promoveatur nisi post expletum formationis tempus.

Art. 2. De praerequisitis ad ordinationem

[182] *Can. 1033* - Licite ad ordines promovetur tantum qui recepit sacrae confirmationis sacramentum. 4575

*Can. 1034* - § 1. Ad diaconatum vel presbyteratum aspirans ne ordinetur, nisi prius per liturgicum admissionis ritum ab auctoritate, de qua in cann. 1016 et 1019, adscriptionem inter candidatos obtinuerit post praeviam suam petitionem propria manu exaratam et subscriptam, atque ab eadem auctoritate in scriptis acceptatam. 4576

§ 2. Ad eandem admissionem obtinendam non tenetur, qui per vota in clericale institutum cooptatus est.

*Can. 1035* - § 1. Antequam quis ad diaconatum sive permanentem sive transeuntem promoveatur, requiritur ut ministeria lectoris et acolythi receperit et per congruum tempus exercuerit. 4577

§ 2. Inter acolythatus et diaconatus collationem intervallum intercedat sex saltem mensium.

*Can. 1036* - Candidatus, ut ad ordinem diaconatus aut presbyteratus promoveri possit, Episcopo proprio aut Superiori maiori competenti declarationem tradat propria manu exaratam et subscriptam, qua testificetur se sponte ac libere sacrum ordinem suscepturum atque se ministerio ecclesiastico perpetuo mancipaturum esse, insimul petens ut ad ordinem recipiendum admittatur. 4578

*Can. 1037* - Promovendus ad diaconatum permanentem qui non sit uxoratus, itemque promovendus ad presbyteratum, ad ordinem diaconatus ne admittantur, nisi ritu praescripto publice coram Deo et Ecclesia obligationem caelibatus assumpserint, aut vota perpetua in instituto religioso emisierint. 4579

*Can. 1038* - Diaconus, qui ad presbyteratum promoveri renuat, ab ordinis recepti exercitio prohiberi non potest, nisi impedimento detinea-

tur canonico aliave gravi causa, de iudicio Episcopi dioecesanii aut Superioris maioris competentis aestimanda.

- 4581 *Can. 1039* - Omnes qui ad aliquem ordinem promovendi sunt, exercitiis spiritualibus vacent per quinque saltem dies, loco et modo ab Ordinario determinatis; Episcopus, antequam ad ordinationem procedat, certior factus sit oportet candidatos rite iisdem exercitiis vacasse.

Art. 4. De documentis requisitis et de scrutinio

- 4582 [185] *Can. 1050* - Ut quis ad sacros ordines promoveri possit, sequentia requiruntur documenta:

1° testimonium de studiis rite peractis ad normam can. 1032;

2° si agatur de ordinandis ad presbyteratum, testimonium recepti diaconatus;

3° si agatur de promovendis ad diaconatum, testimonium recepti baptismi et confirmationis, atque receptorum ministeriorum de quibus in can. 1035; item testimonium factae declarationis de qua in can. 1036, necnon, si ordinandus qui promovendus est ad diaconatum permanentem sit uxoratus, testimonia celebrati matrimonii et consensus uxoris.

- 4583 *Can. 1051* - Ad scrutinium de qualitatibus in ordinando requisitis quod attinet, serventur praescripta quae sequuntur:

1° habeatur testimonium rectoris seminarii vel domus formationis de qualitatibus ad ordinem recipiendum requisitis, scilicet de candidati recta doctrina, genuina pietate, bonis moribus, aptitudine ad ministerium exercendum; itemque, rite peracta inquisitione, de eius statu valetudinis physicae et psychicae;

2° Episcopus dioecesanus aut Superior maior, ut scrutinium rite peragatur, potest alia adhibere media quae sibi, pro temporis et loci adiunctis, utilia videantur, uti sunt litterae testimoniales, publicationes vel aliae informationes.

- 4584 *Can. 1052* - § 1. Ut Episcopus ordinationem iure proprio conferens ad eam procedere possit, ipsi constare debet documenta, de quibus in can. 1050, praesto esse atque, scrutinio ad normam iuris peracto, idoneitatem candidati positivis argumentis esse probatam.

§ 2. Ut Episcopus ad ordinationem procedat alieni subditi, sufficit ut litterae dimissoriae referant eadem documenta praesto esse, scrutinium ad normam iuris esse peractum atque de idoneitate candidati constare; quod si promovendus sit sodalis instituti religiosi aut societatis vitae apostolicae, eadem litterae insuper testari debent ipsum in [186] institutum vel societatem definitive cooptatum fuisse et esse subditum Superioris qui dat litteras.

§ 3. Si, his omnibus non obstantibus, ob certas rationes Episcopus dubitat num candidatus sit idoneus ad ordines recipiendos, eundem ne promoveat.

Caput III. De adnotatione ac testimonio peractae ordinationis

- 4585 *Can. 1053* - § 1. Expleta ordinatione, nomina singulorum ordinatorum ac ministri ordinantis, locus et dies ordinationis notentur in pecu-

liari libro apud curiam loci ordinationis diligenter custodiendo, et omnia singularum ordinationum documenta accurate serventur.

§ 2. Singulis ordinatis det Episcopus ordinans authenticum ordinationis receptae testimonium; qui, si ab Episcopo extraneo cum litteris dimissoriis promoti fuerint, illud proprio Ordinario exhibeant pro ordinationis adnotatione in speciali libro in archivo servando.

*Can. 1054* - Loci Ordinarius, si agatur de saecularibus, aut Superior maior competens, si agatur de ipsius subditis, notitiam uniuscuiusque celebratae ordinationis transmittat ad parochum loci baptismi, qui id adnotet in suo baptizatorum libro, ad normam can. 535, § 2. 4586

#### Titulus VII. De matrimonio

*Can. 1055* - § 1. Matrimoniale foedus, quo vir et mulier inter se totius vitae consortium constituunt, indole sua naturali ad bonum coniugum atque ad prolis generationem et educationem ordinatum, a Christo Domino ad sacramenti dignitatem inter baptizatos evectum est. 4587

§ 2. Quare inter baptizatos nequit matrimonialis contractus validus consistere, quin sit eo ipso sacramentum.

*Can. 1056* - Essentiales matrimoni proprietates sunt unitas et indissolubilitas, quae in matrimonio christiano ratione sacramenti peculiarem obtinent firmitatem. 4588

*Can. 1057* - § 1. Matrimonium facit partium consensus inter personas iure habiles legitime manifestatus, qui nulla humana potestate suppleri valet. 4589

§ 2. Consensus matrimonialis est actus voluntatis, quo vir et mulier foedere irrevocabili sese mutuo tradunt et accipiunt ad constituendum matrimonium.

[187] *Can. 1058* - Omnes possunt matrimonium contrahere, qui iure non prohibentur. 4590

*Can. 1059* - Matrimonium catholicorum, etsi una tantum sit catholica, regitur iure non solum divino, sed etiam canonico, salva competentia civilis potestatis circa mere civiles eiusdem matrimonii effectus. 4591

*Can. 1060* - Matrimonium gaudet favore iuris; quare in dubio standum est pro valori matrimonii, donec contrarium probetur. 4592

*Can. 1061* - § 1. Matrimonium inter baptizatos validum dicitur ratum tantum, si non est consummatum; ratum et consummatum, si coniuges inter se humano modo posuerunt coniugalem actum per se aptum ad prolis generationem, ad quem natura sua ordinatur matrimonium, et quo coniuges fiunt una caro. 4593

§ 2. Celebrato matrimonio, si coniuges cohabitaverint, praesumitur consummatio, donec contrarium probetur.

§ 3. Matrimonium invalidum dicitur putativum, si bona fide ab una saltem parte celebratum fuerit, donec utraque pars de eiusdem nullitate certa evadat.

*Can. 1062* - § 1. Matrimonii promissio sive unilateralis sive bilatera- 4594

lis, quam sponsalia vocant, regitur iure particulari, quod ab Episcoporum conferentia, habita ratione consuetudinum et legum civilium, si quae sint, statutum fuit.

§ 2. Ex matrimonii promissione non datur actio ad petendam matrimonii celebrationem; datur tamen ad reparationem damnorum, si qua debeat.

Caput I. *De cura pastorali et de iis quae matrimonii celebrationi praemitti debent*

- 4595 *Can. 1063* - Pastores animarum obligatione tenentur curandi ut propria ecclesiastica communitas christifidelibus assistentiam praebet, qua status matrimonialis in spiritu christiano servetur et in perfectione progrediatur. Haec assistentia imprimis praebenda est:  
1° praedicatione, catechesi minoribus, iuvenibus et adultis aptata, immo usu instrumentorum communicationis socialis, quibus christifideles de significatione matrimonii christiani deque munere coniugum ac parentum christianorum instituuntur;  
2° praeparatione personali ad matrimonium ineundum, qua sponsi ad novi sui status sanctitatem et officia disponantur;  
[188] 3° fructuosa liturgica matrimonii celebratione, qua eluceat coniuges mysterium unitatis et fecundi amoris inter Christum et Ecclesiam significare atque participare;  
4° auxilio coniugatis praestito, ut ipsi foedus coniugale fideliter servantes atque tuentes, ad sanctiorem in dies pleniorumque in familia vitam ducendam perveniant.
- 4596 *Can. 1064* - Ordinarii loci est curare ut debite ordinetur eadem assistentia, auditis etiam, si opportunum videatur, viris et mulieribus experientia et peritia probatis.
- 4597 *Can. 1065* - § 1. Catholici qui sacramentum confirmationis nondum receperint, illud, antequam ad matrimonium admittantur, recipiant, si id fieri possit sine gravi incommodo.  
§ 2. Ut fructuose sacramentum matrimonii recipiatur, enixe sponsis commendatur, ut ad sacramenta paenitentiae et sanctissimae Eucharistiae accedant.
- 4598 *Can. 1066* - Antequam matrimonium celebretur, constare debet nihil eius validae ac licitae celebrationi obsistere. <sup>a</sup>

---

<sup>a</sup> Die 11 iulii 1984 Ioannes Paulus II sequentem decisionem Patrum Pontificiae Commissionis Codici Iuris Canonici interpretando relate ad dubium propositum publicari iussit: AAS 76 (1984) 747:

D. - Utrum ad comprobandum statum liberum eorum qui, etsi ad canonicam formam adstricti, matrimonium attentarunt coram civili officiali aut ministro acatholico, necessario requiratur processus documentalibus de quo in Can. 1686, an sufficiat investigatio praematrimonialis ad normam Cann. 1066-1067.

R. - *Negative ad primum; Affirmative ad secundum.*

*Can. 1067* - Episcoporum conferentia statuatur normas de examine sponsorum, necnon de publicationibus matrimonialibus aliisque opportunis mediis ad investigationes peragendas, quae ante matrimonium necessariae sunt, quibus diligenter observatis, parochus procedere possit ad matrimonium assistendum. <sup>a</sup> 4599

*Can. 1068* - In periculo mortis, si aliae probationes haberi nequeant, sufficit, nisi contraria adsint indicia, affirmatio contrahentium, si casus ferat etiam iurata, se baptizatos esse et nullo detineri impedimento. 4600

*Can. 1069* - Omnes fideles obligatione tenentur impedimenta, si quae norint, parochus aut loci Ordinario, ante matrimonii celebrationem, revelandi. 4601

*Can. 1070* - Si alius quam parochus, cuius est assistere matrimonio, investigationes peregerit, de harum exitu quam primum per authenticum documentum eundem parochum certiore reddat. 4602

*Can. 1071* - § 1. Excepto casu necessitatis, sine licentia Ordinarii loci ne quis assistat: 4603

1° matrimonio vagorum;

2° matrimonio quod ad normam legis civilis agnosci vel celebrari nequeat;

3° matrimonio eius qui obligationibus teneatur naturalibus erga aliam partem filiosve ex praecedenti unione ortis;

[189] 4° matrimonio eius qui notorie catholicam fidem abiecerit;

5° matrimonio eius qui censura innodatus sit;

6° matrimonio filii familias minoris, insciis aut rationabiliter invitis parentibus;

7° matrimonio per procuratorem ineundo, de quo in can. 1105.

§ 2. Ordinarius loci licentiam assistendi matrimonio eius qui notorie catholicam fidem abiecerit ne concedat, nisi servatis normis de quibus in can. 1125, congrua congruis referendo.

*Can. 1072* - Curent animarum pastores a matrimonii celebratione avertere iuvenes ante aetatem, qua secundum regionis receptos mores matrimonium iniri solet. 4604

### Caput II. De impedimentis dirimentibus in genere

[190] *Can. 1079* - § 3. In periculo mortis confessarius gaudet potestate dispensandi ab impedimentis occultis pro foro interno sive intra sive extra actum sacramentalis confessionis. 4605

### Caput III. De impedimentis dirimentibus in specie

[191] *Can. 1087* - Invalide matrimonium attentant, qui in sacris ordinibus sunt constituti. 4606

*Can. 1088* - Invalide matrimonium attentant, qui voto publico perpetuo castitatis in instituto religioso adstricti sunt. 4607

<sup>a</sup> Cf. annotationem in pagina praecedente.

Caput IV. De consensu matrimoniali

- 4608 [193] *Can. 1104* - § 1. Ad matrimonium valide contrahendum necesse est ut contrahentes sint praesentes una simul sive per se ipsi, sive per procuratorem.  
§ 2. Sponsi consensum matrimonialem verbis exprimant; si vero loqui non possunt, signis aequipollentibus.
- 4609 [194] *Can. 1105* - § 1. Ad matrimonium per procuratorem valide ineundum requiritur:  
1° ut adsit mandatum speciale ad contrahendum cum certa persona;  
2° ut procurator ab ipso mandante designetur, et munere suo per se ipse fungatur.  
§ 2. Mandatum, ut valeat, subscribendum est a mandante et praeterea a parochi vel Ordinario loci in quo mandatum datur, aut a sacerdote ab alterutro delegato, aut a duobus saltem testibus; aut confici debet per documentum ad normam iuris civilis authenticum.  
§ 3. Si mandans scribere nequeat, id in ipso mandato adnotetur et alius testis addatur qui scripturam ipse quoque subsignet; secus mandatum irritum est.  
§ 4. Si mandans, antequam procurator eius nomine contrahat, mandatum revocaverit aut in amentiam inciderit, invalidum est matrimonium, licet sive procurator sive altera pars contrahens haec ignoraverit.
- 4610 *Can. 1106* - Matrimonium per interpretem contrahi potest; cui tamen parochus ne assistat, nisi de interpretis fide sibi constet.

Caput V. De forma celebrationis matrimonii

- 4611 *Can. 1108* - § 1. Ea tantum matrimonia valida sunt, quae contrahuntur coram loci Ordinario aut parochi aut sacerdote vel diacono ab alterutro delegato qui assistant, necnon coram duobus testibus, secundum tamen regulas expressas in canonibus qui sequuntur, et salvis exceptionibus de quibus in cann. 144, 1112, § 1, 1116 et 1127, §§ 2-3.  
§ 2. Assistens matrimonio intellegitur tantum qui praesens exquirat manifestationem contrahentium consensus eamque nomine Ecclesiae recipit.
- 4612 *Can. 1109* - Loci Ordinarius et parochus, nisi per sententiam vel per decretum fuerint excommunicati vel interdicti vel suspensi ab officio aut tales declarati, vi officii, intra fines sui territorii, valide matrimoniis assistunt non tantum subditorum, sed etiam non subditorum, dummodo eorum alteruter sit ritus latini.
- 4613 [195] *Can. 1110* - Ordinarius et parochus personalis vi officii matrimonio solummodo eorum valide assistunt, quorum saltem alteruter subditus sit intra fines suae ditionis.
- 4614 *Can. 1111* - § 1. Loci Ordinarius et parochus, quamdiu valide officio funguntur, possunt facultatem intra fines sui territorii matrimoniis assistendi, etiam generalem, sacerdotibus et diaconis delegare.



§ 2. Ut valida sit delegatio facultatis assistendi matrimoniis, determinatis personis expresse dari debet; si agitur de delegatione speciali, ad determinatum matrimonium danda est; si vero agitur de delegatione generali, scripto est concedenda.

*Can. 1112* - § 1. Ubi desunt sacerdotes et diaconi, potest Episcopus dioecesanus, praevio voto favorabili Episcoporum conferentiae et obtenta licentia Sanctae Sedis, delegare laicos, qui matrimoniis assistant. 4615  
§ 2. Laicus seligatur idoneus, ad institutionem nupturientibus tradendam capax et qui liturgiae matrimoniali rite peragenda aptus sit.

*Can. 1113* - Antequam delegatio concedatur specialis, omnia provideantur, quae ius statuit ad libertatem status comprobendam. 4616

*Can. 1114* - Assistens matrimonio illicite agit, nisi ipsi constiterit de libero statu contrahentium ad normam iuris atque, si fieri potest, de licentia parochi, quoties vi delegationis generalis assistit. 4617

*Can. 1115* - Matrimonia celebrentur in paroecia ubi alterutra pars contrahentium habet domicilium vel quasi-domicilium vel menstruam commorationem, aut, si de vagis agitur, in paroecia ubi actu commorantur; cum licentia proprii Ordinarii aut parochi proprii, alibi celebrari possunt. 4618

*Can. 1116* - § 1. Si haberi vel adiri nequeat sine gravi incommodo assistens ad normam iuris competens, qui intendunt verum matrimonium inire, illud valide ac licite coram solis testibus contrahere possunt: 4619  
1° in mortis periculo;  
2° extra mortis periculum, dummodo prudenter praevideatur earum rerum condicionem esse per mensem duraturam.

§ 2. In utroque casu, si praesto sit alius sacerdos vel diaconus qui adesse possit, vocari et, una cum testibus, matrimonii celebrationi adesse debet, salva coniugii validitate coram solis testibus.

*Can. 1117* - Statuta superius forma servanda est, si saltem alterutra pars matrimonium contrahentium in Ecclesia catholica baptizata vel in eandem recepta sit neque actu formali ab ea defecerit, salvis praescriptis can. 1127, § 2. 4620

[196] *Can. 1118* - § 1. Matrimonium inter catholicos vel inter partem catholicam et partem non catholicam baptizatam celebretur in ecclesia paroeciali; in alia ecclesia aut oratorio celebrari poterit de licentia Ordinarii loci vel parochi. 4621

§ 2. Matrimonium in alio convenienti loco celebrari Ordinarius loci permittere potest.

§ 3. Matrimonium inter partem catholicam et partem non baptizatam in ecclesia vel in alio convenienti loco celebrari poterit.

*Can. 1119* - Extra casum necessitatis, in matrimonii celebratione servantur ritus in libris liturgicis, ab Ecclesia probatis, praescripti aut legitimis consuetudinibus recepti. 4622

*Can. 1120* - Episcoporum conferentia exarare potest ritum proprium matrimonii, a Sancta Sede recognoscendum, congruentum locorum et 4623

populorum usibus ad spiritum christianum aptatis, firma tamen lege ut assistens matrimonio praesens requirat manifestationem consensus contrahentium eamque recipiat.

4624 *Can. 1121 - § 1.* Celebrato matrimonio, parochus loci celebrationis vel qui eius vices gerit, etsi neuter eidem astiterit, quam primum adnotet in matrimoniorum registis nomina coniugum, assistentis ac testium, locum et diem celebrationis matrimonii, iuxta modum ab Episcoporum conferentia aut ab Episcopo dioecesano praescriptum.

§ 2. Quoties matrimonium ad normam can. 1116 contrahitur, sacerdos vel diaconus, si celebrationi adfuerit, secus testes tenentur in solidum cum contrahentibus parochum aut Ordinarium loci de inito coniugio quam primum certiore reddere.

§ 3. Ad matrimonium quod attinet cum dispensatione a forma canonica contractum, loci Ordinarius, qui dispensationem concessit, curet ut inscribatur dispensatio et celebratio in libro matrimoniorum tum curiae tum paroeciae propriae partis catholicae, cuius parochus inquisitiones de statu libero peregit; de celebrato matrimonio eundem Ordinarium et parochum quam primum certiore reddere tenetur coniux catholicus, indicans etiam locum celebrationis necnon formam publicam servatam.

4625 *Can. 1122 - § 1.* Matrimonium contractum adnotetur etiam in registis baptizatorum, in quibus baptismus coniugum inscriptus est.

§ 2. Si coniux matrimonium contraxerit non in paroecia in qua baptizatus est, parochus loci celebrationis notitiam initi coniugii ad parochum loci collati baptismi quam primum transmittat.

4626 *Can. 1123 -* Quoties matrimonium vel convalidatur pro foro externo, vel nullum declaratur, vel legitime praeterquam morte solvitur, parochus loci celebrationis matrimonii certior fieri debet, ut adnotatio in registis matrimoniorum et baptizatorum rite fiat.

#### Caput VI. *De matrimoniis mixtis*

4627 [197] *Can. 1124 -* Matrimonium inter duas baptizatas, quarum altera sit in Ecclesia catholica baptizata vel in eandem post baptismum recepta, quaeque nec ab ea actu formali defecerit, altera vero Ecclesiae vel communitati ecclesiali plenam communionem cum Ecclesia catholica non habenti adscripta, sine expressa auctoritatis competentis licentia prohibitum est.

4628 *Can. 1125 -* Huiusmodi licentiam concedere potest Ordinarius loci, si iusta et rationabilis causa habeatur; eam ne concedat, nisi impletis condicionibus quae sequuntur:

1° pars catholica declaret se paratam esse pericula a fide deficiendi remove atque sinceram promissionem praestet se omnia pro viribus facturam esse, ut universa proles in Ecclesia catholica baptizetur et educetur;

2° de his promissionibus a parte catholica faciendis altera pars tempes-  
tively certior fiat, adeo ut constet ipsam vere consciam esse promissionis et obligationis partis catholicae;

3º ambae partes edoceantur de finibus et proprietatibus essentialibus matrimonii, a neutro contrahente excludendis.

*Can. 1126* - Episcoporum conferentiae est tum modum statuere, quo hae declarationes et promissiones, quae semper requiruntur, faciendae sint, tum rationem definire, qua de ipsis et in foro externo constet et pars non catholica certior reddatur. 4629

*Can. 1127* - § 1. Ad formam quod attinet in matrimonio mixto adhibendam, serventur praescripta can. 1108; si tamen pars catholica matrimonium contrahit cum parte non catholica ritus orientalis, forma canonica celebrationis servanda est ad liceitatem tantum; ad validitatem autem requiritur interventus ministri sacri, servatis aliis de iure servandis. 4630

§ 2. Si graves difficultates formae canonicae servandae obstant, Ordinario loci partis catholicae ius est ab eadem in singulis casibus dispensandi, consulto tamen Ordinario loci in quo matrimonium celebratur, et salva ad validitatem aliqua publica forma celebrationis; Episcoporum conferentiae est normas statuere, quibus praedicta dispensatio concordi ratione concedatur.

§ 3. Vetatur, ne ante vel post canonicam celebrationem ad normam § 1, alia habeatur eiusdem matrimonii celebratio religiosa ad matrimoniale consensum praestandum vel renovandum; item ne fiat celebratio religiosa, in qua assistens catholicus et minister non catholicus insimul, suum quisque ritum peragens, partium consensum exquirant.

*Can. 1128* - Locorum Ordinarii aliique animarum pastores curent, ne coniugi catholico et filiis e matrimonio mixto natis auxilium spirituale desit ad eorum obligationes adimplendas atque coniuges adiuvent ad vitae coniugalis et familiaris fovendam unitatem. 4631

*Can. 1129* - Praescripta cann. 1127 et 1128 applicanda sunt quoque matrimoniis, quibus obstat impedimentum disparitatis cultus, de quo in can. 1086, § 1. 4632

#### Caput VII. *De matrimonio secreto celebrando*

*Can. 1130* - Ex gravi et urgente causa loci Ordinarius permittere potest, ut matrimonium secreto celebretur. 4633

*Can. 1131* - Permissio matrimonium secreto celebrandi secumfert: 4634  
1º ut secreto fiant investigationes quae ante matrimonium peragendaesunt;  
2º ut secretum de matrimonio celebrato servetur ab Ordinario loci, assistente, testibus, coniugibus.

*Can. 1132* - Obligatio secretum servandi, de qua in can. 1131, n. 2, ex parte Ordinarii loci cessat si grave scandalum aut gravis erga matrimonii sanctitatem iniuria ex secreti observantia immineat, idque notum fiat partibus ante matrimonii celebrationem. 4635

*Can. 1133* - Matrimonium secreto celebratum in peculiari tantummodo regesto, servando in secreto curiae archivo, adnotetur. 4636

### Caput VIII. De matrimonii effectibus

- 4637 *Can. 1134* - Ex valido matrimonio enascitur inter coniuges vinculum natura sua perpetuum et exclusivum; in matrimonio praeterea christiano coniuges ad sui status officia et dignitatem peculiari sacramento roborantur et veluti consecrantur.

### Caput IX. De separatione coniugum

#### Art. 1. De dissolutione vinculi

- 4638 [199] *Can. 1141* - Matrimonium ratum et consummatum nulla humana potestate nullaque causa, praeterquam mortem, dissolvi potest.
- 4639 *Can. 1144* - § 1. Ut pars baptizata novum matrimonium valide contrahat, pars non baptizata semper interpellari debet an:  
1° velit et ipsa baptismum recipere;  
2° saltem velit cum parte baptizata pacifice cohabitare, sine contumelia Creatoris.  
[200] § 2. Haec interpellatio post baptismum fieri debet; at loci Ordinarius, gravi de causa, permittere potest ut interpellatio ante baptismum fiat, immo et ab interpellatione dispensare, sive ante sive post baptismum, dummodo constet modo procedendi saltem summario et extraiudiciali eam fieri non posse aut fore inutilem.

### Caput X. De matrimonii convalidatione

#### Art. 1. De convalidatione simplici

- 4640 [202] *Can. 1156* - § 1. Ad convalidandum matrimonium irritum ob impedimentum dirimens, requiritur ut cesset impedimentum vel ab eodem dispensetur, et consensum renovet saltem pars impedimenti conscia.  
§ 2. Haec renovatio iure ecclesiastico requiritur ad validitatem convalidationis, etiamsi initio utraque pars consensum praestiterit nec postea revocaverit.
- 4641 *Can. 1157* - Renovatio consensus debet esse novus voluntatis actus in matrimonium, quod pars renovans scit aut opinatur ab initio nullum fuisse.
- 4642 *Can. 1158* - § 1. Si impedimentum sit publicum, consensus ab utraque parte renovandus est forma canonica, salvo praescripto can. 1127, § 2.  
§ 2. Si impedimentum probari nequeat, satis est ut consensus renovetur privatim et secreto, et quidem a parte impedimenti conscia, dummodo altera in consensu praestito perseveret, aut ab utraque parte, si impedimentum sit utrique parti notum.
- 4643 *Can. 1159* - § 1. Matrimonium irritum ob defectum consensus convalidatur, si pars quae non consenserat, iam consentiat, dummodo consensus ab altera parte praestitus perseveret.

§ 2. Si defectus consensus probari nequeat, satis est ut pars, quae non consenserat, privatim et secreto consensum praestet.

§ 3. Si defectus consensus probari potest, necesse est ut consensus forma canonica praestetur.

*Can. 1160* - Matrimonium nullum ob defectum formae, ut validum fiat, contrahi denuo debet forma canonica, salvo praescripto can. 1127, § 2. 4644

## Pars II. DE CETERIS ACTIBUS CULTUS DIVINI

### Titulus I. De sacramentalibus

[203] *Can. 1166* - Sacramentalia sunt signa sacra, quibus, ad aliquam sacramentorum imitationem, effectus praesertim spirituales significantur et ex Ecclesiae impetratione obtinentur. 4645

[204] *Can. 1167* - § 1. Nova sacramentalia constituere aut recepta authentice interpretari, ex eis aliqua abolere aut mutare, sola potest Sedes Apostolica. 4646

§ 2. In sacramentalibus conficiendis seu administrandis accurate servantur ritus et formulae ab Ecclesiae auctoritate probata.

*Can. 1168* - Sacramentalium minister est clericus debita potestate instructus; quaedam sacramentalia, ad normam librorum liturgicorum, de iudicio loci Ordinarii, a laicis quoque, congruis qualitatibus praeditis, administrari possunt. 4647

*Can. 1169* - § 1. Consecrationes et dedicationes valide peragere possunt qui caractere episcopali insigniti sunt, necnon presbyteri quibus iure vel legitima concessione id permittitur. 4648

§ 2. Benedictiones, exceptis iis quae Romano Pontifici aut Episcopis reservantur, impertire potest quilibet presbyter.

§ 3. Diaconus illas tantum benedictiones impertire potest, quae ipsi expresse iure permittuntur.

*Can. 1170* - Benedictiones, imprimis impertiendae catholicis, dari possunt catechumenis quoque, immo, nisi obstet Ecclesiae prohibitio, etiam non catholicis. 4649

*Can. 1171* - Res sacrae, quae dedicatione vel benedictione ad divinum cultum destinatae sunt, reverenter tractentur nec ad usum profanum vel non proprium adhibeantur, etiamsi in dominio sint privatorum. 4650

*Can. 1172* - § 1. Nemo exorcismos in obsessos proferre legitime potest, nisi ab Ordinario loci peculiarem et expressam licentiam obtinuerit. 4651

§ 2. Haec licentia ab Ordinario loci concedatur tantummodo presbytero pietate, scientia, prudentia ac vitae integritate praedito.

### Titulus II. De Liturgia horarum

*Can. 1173* - Ecclesia, sacerdotale munus Christi adimplens, liturgiam horarum celebrat, qua Deum ad populum suum loquentem audiens et 4652

memoriam mysterii salutis agens, Ipsum sine intermissione, cantu et oratione, laudat atque interpellat pro totius mundi salute.

- 4653 *Can. 1174 - § 1.* Obligatione liturgiae horarum persolvendae adstringuntur clerici, ad normam can. 276, § 2, n. 3; sodales vero institu[205]torum vitae consecratae necnon societatum vitae apostolicae, ad normam suarum constitutionum.  
§ 2. Ad participandam liturgiam horarum, utpote actionem Ecclesiae, etiam ceteri christifideles, pro adiunctis, enixe invitantur.
- 4654 *Can. 1175 -* In liturgia horarum persolvenda, quantum fieri potest, verum tempus servetur uniuscuiusque horae.

### Titulus III. De exequiis ecclesiasticis

- 4655 *Can. 1176 - § 1.* Christifideles defuncti exequiis ecclesiasticis ad normam iuris donandi sunt.  
§ 2. Exequiae ecclesiasticae, quibus Ecclesia defunctis spiritualem opem impetrat eorumque corpora honorat ac simul vivis spei solacium affert, celebrandae sunt ad normam legum liturgicarum.  
§ 3. Enixe commendat Ecclesia, ut pia consuetudo defunctorum corpora sepeliendi servetur; non tamen prohibet cremationem, nisi ob rationes christianae doctrinae contrarias electa fuerit.

#### Caput I. De exequiarum celebratione

- 4656 *Can. 1177 - § 1.* Exequiae pro quolibet fidei defuncto generatim in propriae paroeciae ecclesia celebrari debent.  
§ 2. Fas est autem cuilibet fidei, vel iis quibus fidelis defuncti exequias curare competit, aliam ecclesiam funeris eligere de consensu eius, qui eam regit, et monito defuncti parrocho proprio.  
§ 3. Si extra propriam paroeciam mors acciderit, neque cadaver ad eam translatum fuerit, neque aliqua ecclesia funeris legitime electa, exequiae celebrentur in ecclesia paroeciae ubi mors accidit, nisi alia iure particulari designata sit.
- 4657 *Can. 1178 -* Exequiae Episcopi dioecesani in propria ecclesia cathedrali celebrentur, nisi ipse aliam ecclesiam elegerit.
- 4658 *Can. 1179 -* Exequiae religiosorum aut sodalium societatis vitae apostolicae generatim celebrentur in propria ecclesia aut oratorio a Superiore, si institutum aut societas sint clericalia, secus a cappellano.
- 4659 *Can. 1180 - § 1.* Si paroecia proprium habeat coemeterium, in eo tumulandi sunt fideles defuncti, nisi aliud coemeterium legitime electum fuerit ab ipso defuncto vel ab iis quibus defuncti sepulturam curare competit.  
[206] § 2. Omnibus autem licet, nisi iure prohibeantur, eligere coemeterium sepulturae.
- 4660 *Can. 1181 -* Ad oblationes occasione funerum quod attinet, serventur praescripta can. 1264, cauto tamen ne ulla fiat in exequiis personarum acceptio neve pauperes debitis exequiis priventur.

*Can. 1182* - Expleta tumulatione, inscriptio in librum defunctorum fiat ad normam iuris particularis. 4661

Caput II. *De iis quibus exequiae ecclesiasticae concedendae sunt aut denegandae*

*Can. 1183* - § 1. Ad exequias quod attinet, christifidelibus catechumeni accensendi sunt. 4662

§ 2. Ordinarius loci permittere potest ut parvuli, quos parentes baptizare intendebant quique autem ante baptismum mortui sunt, exequiis ecclesiasticis donentur.

§ 3. Baptizatis alicui Ecclesiae aut communitati ecclesiali non catholicae adscriptis, exequiae ecclesiasticae concedi possunt de prudenti Ordinarii loci iudicio, nisi constet de contraria eorum voluntate et dummodo minister proprius haberi nequeat.

*Can. 1184* - § 1. Exequiis ecclesiasticis privandi sunt, nisi ante mortem aliqua dederint paenitentiae signa: 4663

1° notorii apostatae, haeretici et schismatici;

2° qui proprii corporis cremationem elegerint ob rationes fidei christianae adversas;

3° alii peccatores manifesti, quibus exequiae ecclesiasticae non sine publico fidelium scandalo concedi possunt.

§ 2. Occurrente aliquo dubio, consulatur loci Ordinarius, cuius iudicio standum est.

*Can. 1185* - Excluso ab ecclesiasticis exequiis deneganda quoque est quaelibet Missa exequialis. 4664

Titulus IV. De cultu Sanctorum, sacrarum imaginum et reliquiarum

*Can. 1186* - Ad sanctificationem populi Dei fovendam, Ecclesia peculiari et filiali christifidelium venerationi commendat Beatam Mariam semper Virginem, Dei Matrem, quam Christus hominum omnium [207] Matrem constituit, atque verum et authenticum promovet cultum aliorum Sanctorum, quorum quidem exemplo christifideles aedificantur et intercessione sustentantur. 4665

*Can. 1187* - Cultu publico eos tantum Dei servos venerari licet, qui auctoritate Ecclesiae in album Sanctorum vel Beatorum relati sint. 4666

*Can. 1188* - Firma maneat praxis in ecclesiis sacras imagines fidelium venerationi proponendi; attamen moderato numero et congruo ordine exponantur, ne populi christiani admiratio excitetur, neve devotioni minus rectae ansa praebeatur. 4667

*Can. 1189* - Imagines pretiosae, idest vetustate, arte, aut cultu praestantes, in ecclesiis vel oratoriis fidelium venerationi expositae, si quando reparatione indigeant, numquam restaurentur sine data scripto licentia ab Ordinario; qui, antequam eam concedat, peritos consulat. 4668

*Can. 1190* - § 1. Sacras reliquias vendere nefas est. 4669

§ 2. Insignes reliquiae itemque aliae, quae magna populi veneratione

honorantur, nequeunt quoquo modo valide alienari neque perpetuo transferri sine Apostolicae Sedis licentia.

§ 3. Praescriptum § 2 valet etiam pro imaginibus, quae in aliqua ecclesia magna populi veneratione honorantur.

### Pars III. DE LOCIS ET TEMPORIBUS SACRIS

#### Titulus I. De locis sacris

- 4670 [209] *Can. 1205* - Loca sacra ea sunt quae divino cultui fideliumve sepulturae deputantur dedicatione vel benedictione, quam liturgici libri ad hoc praescribunt.
- 4671 *Can. 1206* - Dedicatio alicuius loci spectat ad Episcopum dioecesanum et ad eos qui ipsi iure aequiparantur; iidem possunt cuilibet Episcopo vel, in casibus exceptionalibus, presbytero munus committere dedicationem peragendi in suo territorio.
- 4672 *Can. 1207* - Loca sacra benedicuntur ab Ordinario; benedictio tamen ecclesiarum reservatur Episcopo dioecesano; uterque vero potest alium sacerdotem ad hoc delegare.
- 4673 [210] *Can. 1208* - De peracta dedicatione vel benedictione ecclesiae, itemque de benedictione coemeterii redigatur documentum, cuius alterum exemplar in curia dioecesana, alterum in ecclesiae archivo servetur.
- 4674 *Can. 1209* - Dedicatio vel benedictio alicuius loci, modo nemini damnum fiat, satis probatur etiam per unum testem omni exceptione maiorem.
- 4675 *Can. 1210* - In loco sacro ea tantum admittantur quae cultui, pietati, religioni exercendis vel promovendis inserviunt, ac vetatur quidquid a loci sanctitate absonum sit. Ordinarius vero per modum actus alios usus, sanctitati tamen loci non contrarios, permittere potest.
- 4676 *Can. 1211* - Loca sacra violantur per actiones graviter iniuriosas cum scandalo fidelium ibi positas, quae, de iudicio Ordinarii loci, ita graves et sanctitati loci contrariae sunt ut non liceat in eis cultum exercere, donec ritu paenitentiali ad normam librorum liturgicorum iniuria reparetur.
- 4677 *Can. 1212* - Dedicationem vel benedictionem amittunt loca sacra, si magna ex parte destructa fuerint, vel ad usus profanos permanentiter decreto competentis Ordinarii vel de facto reducta.
- 4678 *Can. 1213* - Potestates suas et munera auctoritas ecclesiastica in locis sacris libere exercet.

#### Caput I. De ecclesiis

- 4679 *Can. 1214* - Ecclesiae nomine intellegitur aedes sacra divino cultui destinata, ad quam fidelibus ius est adeundi ad divinum cultum praesertim publice exercendum.



*Can. 1215 - § 1.* Nulla ecclesia aedificetur sine expresso Episcopi dioecesanis consensu scriptis dato. 4680

§ 2. Episcopus dioecesanus consensum ne praebeat nisi, audito consilio presbyterali et vicinarum ecclesiarum rectoribus, censeat novam ecclesiam bono animarum inservire posse, et media ad ecclesiae aedificationem et ad cultum divinum necessaria non esse defutura.

§ 3. Etiam instituta religiosa, licet consensum constituendae novae domus in dioecesi vel civitate ab Episcopo dioecesano rettulerint, antequam tamen ecclesiam in certo ac determinato loco aedificent, eiusdem licentiam obtinere debent.

*Can. 1216 -* In ecclesiarum aedificatione et refectione, adhibito peritorum consilio, serventur principia et normae liturgiae et artis sacrae. 4681

[211] *Can. 1217 - § 1.* Aedificatione rite peracta, nova ecclesia quam primum dedicetur aut saltem benedicatur, sacrae liturgiae legibus servatis. 4682

§ 2. Sollemni ritu dedicentur ecclesiae, praesertim cathedrales et paroeciales.

*Can. 1218 -* Unaquaeque ecclesia suum habeat titulum qui, peracta ecclesiae dedicatione, mutari nequit. 4683

*Can. 1219 -* In ecclesia legitime dedicata vel benedicta omnes actus cultus divini perfici possunt, salvo iuribus paroecialibus. 4684

*Can. 1220 - § 1.* Curent omnes ad quos res pertinet, ut in ecclesiis illa munditia ac decor serventur, quae domum Dei addeceant, et ab iisdem arceatur quidquid a sanctitate loci absonum sit. 4685

§ 2. Ad bona sacra et pretiosa tuenda ordinaria conservationis cura et opportuna securitatis media adhibeantur.

*Can. 1221 -* Ingressus in ecclesiam tempore sacrarum celebrationum sit liber et gratuitus. 4686

*Can. 1222 - § 1.* Si qua ecclesia nullo modo ad cultum divinum adhiberi queat et possibilitas non detur eam reficiendi, in usum profanum non sordidum ab Episcopo dioecesano redigi potest. 4687

§ 2. Ubi aliae graves causae suadeant ut aliqua ecclesia ad divinum cultum amplius non adhibeatur, eam Episcopus dioecesanus, audito consilio presbyterali, in usum profanum non sordidum redigere potest, de consensu eorum qui iura in eadem sibi legitime vindicent, et dummodo animarum bonum nullum inde detrimentum capiat.

## Caput II. *De oratoriis et de sacellis privatis*

*Can. 1223 -* Oratorii nomine intellegitur locus divino cultui, in commodum alicuius communitatis vel coetus fidelium eo convenientium de licentia Ordinarii destinatus, ad quem etiam alii fideles de consensu Superioris competentis accedere possunt. 4688

*Can. 1224 - § 1.* Ordinarius licentiam ad constituendum oratorium requisitam ne concedat, nisi prius per se vel per alium locum ad oratorium destinatum visitaverit et decenter instructum reppererit. 4689

§ 2. Data autem licentia, oratorium ad usus profanos converti nequit sine eiusdem Ordinarii auctoritate.

- 4690 [212] *Can. 1225* - In oratoriis legitime constitutis omnes celebrationes sacrae peragi possunt, nisi quae iure aut Ordinarii loci praescripto excipiantur, aut obstent normae liturgicae.
- 4691 *Can. 1226* - Nomine sacelli privati intellegitur locus divino cultui, in commodum unius vel plurium personarum physicarum, de licentia Ordinarii loci destinatus.
- 4692 *Can. 1227* - Episcopi sacellum privatum sibi constituere possunt, quod iisdem iuribus ac oratorium gaudet.
- 4693 *Can. 1228* - Firmo praescripto can. 1227, ad Missam aliasve sacras celebrationes in aliquo sacello privato peragendas requiritur Ordinarii loci licentia.
- 4694 *Can. 1229* - Oratoria et sacella privata benedici convenit secundum ritum in libris liturgicis praescriptum; debent autem esse divino tantum cultui reservata et ab omnibus domesticis usibus libera.

#### Caput III. De sanctuariis

- 4695 *Can. 1230* - Sanctuarii nomine intelleguntur ecclesia vel alius locus sacer ad quos, ob peculiarem pietatis causam, fideles frequentes, approbante Ordinario loci, peregrinantur.
- 4696 *Can. 1231* - Ut sanctuarium dici possit nationale, accedere debet approbatio Episcoporum conferentiae; ut dici possit internationale, requiritur approbatio Sanctae Sedis.
- 4697 *Can. 1232* - § 1. Ad approbanda statuta sanctuarii dioecesani, competens est Ordinarius loci; ad statuta sanctuarii nationalis, Episcoporum conferentia; ad statuta sanctuarii internationalis, sola Sancta Sedes.  
§ 2. In statutis determinentur praesertim finis, auctoritas rectoris, dominium et administratio bonorum.
- 4698 *Can. 1233* - Sanctuariis quaedam privilegia concedi poterunt, quoties locorum circumstantiae, peregrinantium frequentia et praesertim fidelium bonum id suadere videantur.
- 4699 *Can. 1234* - § 1. In sanctuariis abundantius fidelibus suppeditentur media salutis, verbum Dei sedulo annuntiando, vitam liturgicam praesertim per Eucharistiae et paenitentiae celebrationem apte fovendo, necnon probatas pietatis popularis formas colendo.  
§ 2. Votiva artis popularis et pietatis documenta in sanctuariis aut locis adiacentibus spectabilia serventur atque secure custodiantur.

#### Caput IV. De altaribus

- 4700 [213] *Can. 1235* - § 1. Altare, seu mensa super quam Sacrificium eucharisticum celebratur, *fixum* dicitur, si ita exstruatur ut cum pavimento cohaereat ideoque amoveri nequeat; *mobile* vero, si transferri possit.

§ 2. Expedit in omni ecclesia altare fixum inesse; ceteris vero in locis, sacris celebrationibus destinatis, altare fixum vel mobile.

*Can. 1236* - § 1. Iuxta traditum Ecclesiae morem mensa altaris fixi sit lapidea, et quidem ex unico lapide naturali; attamen etiam alia materia digna et solida, de iudicio Episcoporum conferentiae, adhiberi potest. Stipites vero seu basis ex qualibet materia confici possunt. § 2. Altare mobile ex qualibet materia solida, usui liturgico congruenti, extrui potest. 4701

*Can. 1237* - § 1. Altaria fixa dedicanda sunt, mobilia vero dedicanda aut benedicenda, iuxta ritus in liturgicis libris praescriptos. § 2. Antiqua traditio Martyrum aliorumve Sanctorum reliquias sub altari fixo condendi servetur, iuxta normas in libris liturgicis traditas. 4702

*Can. 1238* - § 1. Altare dedicationem vel benedictionem amittit ad normam can. 1212. § 2. Per reductionem ecclesiae vel alius loci sacri ad usus profanos, altaria sive fixa sive mobilia non amittunt dedicationem vel benedictionem. 4703

*Can. 1239* - § 1. Altare tum fixum tum mobile divino dumtaxat cultui reservandum est, quolibet profano usu prorsus excluso. § 2. Subtus altare nullum sit reconditum cadaver; secus Missam super illud celebrare non licet. 4704

#### Caput V. De coemeteriis

*Can. 1240* - § 1. Coemeteria Ecclesiae propria, ubi fieri potest, habeantur, vel saltem spatia in coemeteriis civilibus fidelibus defunctis destinata, rite benedicenda. § 2. Si vero hoc obtineri nequeat, toties quoties singuli tumuli rite benedicantur. 4705

*Can. 1241* - § 1. Paroeciae et instituta religiosa coemeterium proprium habere possunt. [214] § 2. Etiam aliae personae iuridicae vel familiae habere possunt peculiare coemeterium seu sepulcrum, de iudicio Ordinarii loci benedicendum. 4706

*Can. 1242* - In ecclesiis cadavera ne sepeliantur, nisi agatur de Romano Pontifice aut Cardinalibus vel Episcopis dioecesanis etiam emeritis in propria ecclesia sepeliendis. 4707

*Can. 1243* - Opportunae normae de disciplina in coemeteriis servanda, praesertim ad eorum indolem sacram tuendam et fovendam quod attinet, iure particulari statuuntur. 4708

#### Titulus II. De temporibus sacris

*Can. 1244* - § 1. Dies festos itemque dies paenitentiae, universae Ecclesiae communes, constituere, transferre, abolere, unius est supremae ecclesiasticae auctoritatis, firmo praescripto can. 1246, § 2. 4709

§ 2. Episcopi dioecesani peculiare suis dioecesibus seu locis dies festos aut dies paenitentiae possunt, per modum tantum actus, indicare.

- 4710 *Can. 1245* - Firmo iure Episcoporum dioecesanorum de quo in can. 87, parochus, iusta de causa et secundum Episcopi dioecesanii praescripta, singulis in casibus concedere potest dispensationem ab obligatione servandi diem festum vel diem paenitentiae aut commutationem eiusdem in alia pia opera; idque potest etiam Superior instituti religiosi aut societatis vitae apostolicae, si sint clericalia iuris pontificii, quoad proprios subditos aliosque in domo diu noctuque degentes.

#### Caput I. *De diebus festis*

- 4711 *Can. 1246* - § 1. Dies dominica in qua mysterium paschale celebratur, ex apostolica traditione, in universa Ecclesia uti primordialis dies festus de praecepto servanda est. Itemque servari debent dies Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi, Epiphaniae, Ascensionis et sanctissimi Corporis et Sanguinis Christi, Sanctae Dei Genetricis Mariae, eiusdem Immaculatae Conceptionis et Assumptionis, sancti Ioseph, sanctorum Petri et Pauli Apostolorum, omnium denique Sanctorum.

§ 2. Episcoporum conferentia tamen potest, praevia Apostolicae Sedis approbatione, quosdam ex diebus festis de praecepto abolere vel ad diem dominicam transferre.

- 4712 [215] *Can. 1247* - Die dominica aliisque diebus festis de praecepto fideles obligatione tenentur Missam participandi; abstineant insuper ab illis operibus et negotiis quae cultum Deo reddendum, laetitiam diei Domini propriam, aut debitam mentis ac corporis relaxationem impediant.

- 4713 *Can. 1248* - § 1. Praecepto de Missa participanda satisfacit qui Missae assistit ubicumque celebratur ritu catholico vel ipso die festo vel vespere diei praecedentis.

§ 2. Si deficiente ministro sacro aliave gravi de causa participatio eucharisticae celebrationis impossibilis evadat, valde commendatur ut fideles in liturgia Verbi, si quae sit in ecclesia paroeciali aliove sacro loco, iuxta Episcopi dioecesanii praescripta celebrata, partem habeant, aut orationi per debitum tempus personaliter aut in familia vel pro opportunitate in familiarum coetibus vacent.

#### Caput II. *De diebus paenitentiae*

- 4714 *Can. 1249* - Omnes christifideles, suo quisque modo, paenitentiam agere ex lege divina tenentur; ut vero cuncti communi quadam paenitentiae observatione inter se coniungantur, dies paenitentiales praescribuntur, in quibus christifideles speciali modo orationi vacent, opera pietatis et caritatis exercent, se ipsos abnegent, proprias obligationes fidelius adimplendo et praesertim ieiunium et abstinentiam, ad normam canonum qui sequuntur, observando.

- 4715 *Can. 1250* - Dies et tempora paenitentia in universa Ecclesia sunt singulae feriae sextae totius anni et tempus quadragesimae.

*Can. 1251* - Abstinentia a carnis comestione vel ab alio cibo iuxta conferentiae Episcoporum praescripta, servetur singulis anni sextis feriis, nisi cum aliquo die inter sollemnitates recensito occurrant; abstinentia vero et ieiunium, feria quarta Cinerum et feria sexta in Passione et Morte Domini Nostri Iesu Christi. 4716

*Can. 1252* - Lege abstinentiae tenentur qui decimum quartum aetatis annum expleverint; lege vero ieiunii adstringuntur omnes aetate maiores usque ad annum inceptum sexagesimum. Curent tamen animarum pastores et parentes ut etiam ii qui, ratione minoris aetatis ad legem ieiunii et abstinentiae non tenentur, ad genuinum paenitentiae sensum informentur. 4717

*Can. 1253* - Episcoporum conferentia potest pressius determinare observantiam ieiunii et abstinentiae, necnon alias formas paenitentiae, praesertim opera caritatis et exercitationes pietatis, ex toto vel ex parte pro abstinentia et ieiunio substituere. 4718

## LIBER V. DE BONIS ECCLESIAE TEMPORALIBUS

[216] *Can. 1254* - § 1. Ecclesia catholica bona temporalia iure nativo, independenter a civili potestate, acquirere, retinere, administrare et alienare valet ad fines sibi proprios prosequendos. 4719

§ 2. Fines vero proprii praecipue sunt: cultus divinus ordinandus, honesta cleri aliorumque ministrorum sustentatio procuranda, opera sacri apostolatus et caritatis, praesertim erga egenos, exercenda.

### Titulus I. De acquisitione bonorum

[217] *Can. 1264* - Nisi aliud iure cautum sit, conventus Episcoporum provinciae est: 4719<sup>bis</sup>  
2° definire oblationes occasione ministracionis sacramentorum et sacramentalium.

*Can. 1266* - In omnibus ecclesiis et oratoriis, etiam ad instituta religiosa pertinentibus, quae de facto habitualiter christifidelibus pateant, Ordinarius loci praecipere potest ut specialis stips colligatur pro determinatis inceptis paroecialibus, dioecesanis, nationalibus vel universalibus, ad curiam dioecesanam postea sedulo mittenda. 4720

[218] *Can. 1269* - Res sacrae, si in dominio privatorum sunt, praescriptione acquiri a privatis personis possunt, sed eas adhibere ad usus profanos non licet, nisi dedicationem vel benedictionem amiserint; si vero ad personam iuridicam ecclesiasticam publicam pertinent, tantum ab alia persona iuridica ecclesiastica publica acquiri possunt. 4721

### Titulus IV. De piis voluntatibus in genere et de piis foundationibus

[224] *Can. 1303* - § 1. Nomine piarum foundationum in iure veniunt: 4722  
2° *pie foundationes non autonomae*, scilicet bona temporalia alicui personae iuridicae publicae quoquo modo data cum onere in diuturnum tempus, iure particulari determinandum, ex redditibus annuis Missas celebrandi aliasque praefinitas functiones ecclesiasticas peragendi,

aut fines de quibus in can. 114, § 2 aliter perseguendi.

4723 [225] *Can. 1308* - § 1. Reductio onerum Missarum, ex iusta tantum et necessaria causa facienda, reservatur Sedi Apostolicae, salvo praescriptis quae sequuntur.

§ 2. Si in tabulis foundationum id expresse caveatur, Ordinarius ob imminutos redditus onera Missarum reducere valet.

§ 3. Episcopo dioecesano competit potestas reducendi ob deminutionem reddituum, quamdiu causa perduret, ad rationem eleemosynae in dioecesi legitime vigentis, Missas legatorum vel quoquo modo fundatas, quae sint per se stantia, dummodo nemo sit qui obligatione teneatur et utiliter cogi possit ad eleemosynae augmentum faciendum.

§ 4. Eidem competit potestas reducendi onera seu legata Missarum gravantia institutum ecclesiasticum, si redditus insufficientes evaserint ad finem proprium eiusdem instituti congruenter consequendum.

§ 5. Iisdem potestatibus, de quibus in §§ 3 et 4, gaudet supremus Moderator instituti religiosi clericalis iuris pontificii.

4724 *Can. 1309* - Iisdem auctoritatibus, de quibus in can. 1308, potestas insuper competit transferendi, congrua de causa, onera Missarum in dies, ecclesias vel altaria diversa ab illis, quae in foundationibus sunt statuta.

4725 [227] *Can. 1310* - § 2. Si executio onerum impositorum, ob imminutos redditus aliamve causam, nulla administratorum culpa, impossibilis evaserit, Ordinarius, auditis iis quorum interest et proprio consilio a rebus oeconomicis atque servata, meliore quo fieri potest modo, fundatoris voluntate, poterit eadem onera aequè imminuere, excepta Missarum reductione, quae praescriptis can. 1308 regitur.

## LIBER VI. DE SANCTIONIBUS IN ECCLESIA

### Pars III. DE DELICTIS ET POENIS IN GENERE

#### Titulus IV. De poenis aliisque punctionibus

##### Caput I. De censuris

- 4726 [231] *Can. 1331* - § 1. Excommunicatus vetatur:  
1° ullam habere participationem ministerialem in celebrandis Eucharistiae Sacrificio vel quibuslibet aliis cultus caerimoniis;  
2° sacramenta vel sacramentalia celebrare et sacramenta recipere;  
§ 2. Quod si excommunicatio irrogata vel declarata sit, reus:  
1° si agere velit contra praescriptum § 1, n. 1, est arcendus aut a liturgica actione est cessandum, nisi gravis obstet causa;
- 4727 *Can. 1333* - § 1. Suspendio, quae clericos tantum afficere potest, vetat:  
1° vel omnes vel aliquos actus potestatis ordinis;
- 4728 [232] *Can. 1335* - Si censura vetet celebrare sacramenta vel sacramentalia vel ponere actum regiminis, vetitum suspenditur, quoties id necessarium sit ad consulendum fidelibus in mortis periculo constitutis; quod si censura latae sententiae non sit declarata, vetitum praeterea.

suspenditur, quoties fidelis petit sacramentum vel sacramentale vel actum regiminis; id autem petere ex qualibet iusta causa licet.

#### Caput II. De poenis expiatoriis

[233] *Can. 1338 - § 2.* Potestatis ordinis privatio dari nequit, sed tantum prohibitio eam vel aliquos eius actus exercendi; item dari nequit privatio graduum academicorum. 4729

#### Titulus V. De poenis applicandis

[235] *Can. 1352 - § 1.* Si poena vetet recipere sacramenta vel sacramentalia, vetitum suspenditur, quamdiu reus in mortis periculo versatur. 4730

#### Titulus VI. De poenarum cessatione

[236] *Can. 1357 - § 1.* Firmis praescriptis cann. 508 et 976, censuram latae sententiae excommunicationis vel interdicti non declaratam confessarius remittere potest in foro interno sacramentali, si paenitenti durum sit in statu gravis peccati permanere per tempus necessarium ut Superior competens provideat. 4731

§ 2. In remissione concedenda confessarius paenitenti onus iniungat recurrenti intra mensem sub poena reincidentiae ad Superiorem competentem vel ad sacerdotem facultate praeditum, et standi huius mandatis; interim imponat congruam paenitentiam et, quatenus urgeat, scandali et damni reparationem; recursus autem fieri potest etiam per confessarium, sine nominis mentione.

§ 3. Eodem onere recurrenti tenentur, postquam convaluerint, ii quibus ad normam can. 976 remissa est censura irrogata vel declarata vel Sedi Apostolicae reservata.

### Pars II. DE POENIS IN SINGULA DELICTA

#### Titulus I. De delictis contra religionem et ecclesiae unitatem

[238] *Can. 1365 -* Reus vetitae communicationis in sacris iusta poena puniatur. 4732

*Can. 1366 -* Parentes vel parentum locum tenentes, qui liberos in religione acatholica baptizandos vel educandos tradunt, censura aliave iusta poena puniantur. 4733

*Can. 1367 -* Qui species consecratas abicit aut in sacrilegum finem abducit vel retinet, in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae reservatam incurrit; clericus praeterea alia poena, non exclusa dimissione e statu clericali, puniri potest. 4734

#### Titulus II. De delictis contra ecclesiasticas auctoritates et ecclesiae libertatem

[239] *Can. 1376 -* Qui rem sacram, mobilem vel immobilem, profanat iusta poena puniatur. 4735

Titulus III. De munerum ecclesiasticorum usurpatione deque delictis  
in iis exercendis

- 4736 *Can. 1378 - § 1.* Sacerdos qui contra praescriptum can. 977 agit, in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae reservatam incurrit.  
§ 2. In poenam latae sententiae interdicti vel, si sit clericus, suspensionis incurrit:  
1° qui ad ordinem sacerdotalem non promotus liturgicam eucharistici Sacrificii actionem attentat;  
2° qui, praeter casum de quo in § 1, cum sacramentalem absolutionem dare valide nequeat, eam impertire attentat, vel sacramentalem confessionem audit.  
§ 3. In casibus de quibus in § 2, pro delicti gravitate, aliae poenae, non exclusae excommunicatione, addi possunt.
- 4737 *Can. 1379 -* Qui, praeter casus de quibus in can. 1378, sacramentum se administrare simulat, iusta poena puniatur.
- 4738 *Can. 1380 -* Qui per simoniam sacramentum celebrat vel recipit, interdicto vel suspensione puniatur.
- 4739 *Can. 1381 - § 1.* Quicumque officium ecclesiasticum usurpat, iusta poena puniatur.  
§ 2. Usurpationi aequiparatur illegitima, post privationem vel cessationem a munere, eiusdem retentio.
- 4740 [240] *Can. 1382 -* Episcopus qui sine pontificio mandato aliquem consecrat in Episcopum, itemque qui ab eo consecrationem recipit, in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae reservatam incurrit.
- 4741 *Can. 1383 -* Episcopus qui, contra praescriptum can. 1015, alienum subditum sine legitimis litteris dimissoriis ordinavit, prohibetur per annum ordinem conferre. Qui vero ordinationem recepit, est ipso facto a recepto ordine suspensus.
- 4742 *Can. 1384 -* Qui, praeter casus, de quibus in cann. 1378-1383, sacerdotale munus vel aliud sacrum ministerium illegitime exsequitur, iusta poena puniri potest.
- 4743 *Can. 1385 -* Qui quaestum illegitime facit ex Missae stipe, censura vel alia iusta poena puniatur.
- 4744 *Can. 1386 -* Qui quidvis donat vel pollicetur ut quis, munus in Ecclesia exercens, illegitime quid agat vel omittat, iusta poena puniatur; item qui ea dona vel pollicitationes acceptat.
- 4745 *Can. 1387 -* Sacerdos, qui in actu vel occasione vel praetextu confessionis paenitentem ad peccatum contra sextum Decalogi praeceptum sollicitat, pro delicti gravitate, suspensione, prohibitionibus, privationibus puniatur, et in casibus gravioribus dimittatur e statu clericali.
- 4746 *Can. 1388 - § 1.* Confessarius, qui sacramentale sigillum directe violat, in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae reserva-



tam incurrat; qui vero indirecte tantum, pro delicti gravitate puniatur.  
§ 2. Interpreter aliique, de quibus in can. 983, § 2, qui secretum violant,  
iusta poena puniantur, non exclusa excommunicatione.

*Can. 1389 - § 1.* Ecclesiastica potestate vel munere abutens pro actus vel omissionis gravitate puniatur, non exclusa officii privatione, nisi in eum abusum iam poena sit lege vel praecepto constituta. **4747**

§ 2. Qui vero, ex culpabili negligentia, ecclesiasticae potestatis vel ministerii vel muneris actum illegitime cum damno alieno ponit vel omittit, iusta poena puniatur.

## LIBER VII. DE PROCESSIBUS

### Pars I. DE IUDICIIS IN GENERE

[243] *Can. 1403 - § 1.* Causae canonizationis Servorum Dei reguntur peculiari lege pontificia. **4748**

§ 2. Iisdem causis applicantur praeterea praescripta huius Codicis, quoties in eadem lege ad ius universale remissio fit vel de normis agitur quae, ex ipsa rei natura, easdem quoque causas afficiunt.

### Titulus II. De variis tribunalium gradibus et speciebus

#### Caput I. *De tribunalis primae instantiae*

##### Art. 1. De iudice

[247] *Can. 1425 - § 1.* Reprobata contraria consuetudine, tribunalis collegiali trium iudicium reservantur: **4748bis**

1<sup>o</sup> causae contentiosae: a) de vinculo sacrae ordinationis; b) de vinculo matrimonii, firmis praescriptis cann. 1686 et 1688.

## «Divinus perfectionis magister»

Die 25 ianuarii 1983 Ioannes Paulus II per Constitutionem Apostolicam modum procedendi in Causarum canonizationis instructione recognovit et Sacrae Congregationi pro Causis Sanctorum novam dedit ordinationem. In qua Constitutione Summus Pontifex etiam de veneratione Sanctorum loquitur.

---

ED. - Lat.: AAS 75 (1983) 341-355. Gall.: *Code de droit canonique latin-français*, Paris-Bourges 1984, 304-310; DC 80 (1983) 1138-1140. Germ.: *Codex des kanonischen Rechtes. Lateinisch-deutsche Ausgabe*, Kvelaer <sup>2</sup>1984, LXVII-LXXXVII. Hisp.: E 43 (1983) 326-328. Ital.: EV 8, 467-481.

COMM. - Ital.: F. VERAJA, in: OR 27-II-1983, 1 et 4.

---

4749 [349] DIVINUS PERFECTIONIS MAGISTER et exemplar, Christus Iesus, qui una cum Patre et Spiritu Sancto «unus sanctus» celebratur, Ecclesiam tamquam sponsam dilexit atque seipsum pro ea tradidit, ut illam sanctificaret sibi ipse gloriosam exhiberet. Praecepto igitur dato omnibus discipulis suis, ut perfectionem Patris imitarentur, in omnes Spiritum Sanctum mittit, qui eos intus moveat, ut Deum diligant ex toto corde, utque invicem sese diligant, quemadmodum ille eos dilexit. Christi asseclae — uti per Concilium Vaticanum II monemur — non secundum opera sua, sed secundum propositum et gratiam Eius vocati atque in Iesu Domino iustificati, in fidei baptismo vere filii Dei et consortes divinae naturae, ideoque reapse sancti effecti sunt.<sup>1</sup>

Inter hos quovis tempore plures Deus eligit, qui Christi exemplum proximius secuti, sanguinis effusione aut heroico virtutum exercitio praeclarum Regni caelorum praebeant testimonium.

Ecclesia autem, quae inde a primaevis christianae religionis temporibus Apostolos et Martyres in Christo arctius nobis coniunctos esse semper credit, eos simul cum beata Virgine Maria et sanctis Angelis peculiari veneratione prosecuta est, eorumque intercessionis auxilium pie imploravit. Quibus mox adnumerati sunt alii quoque qui Christi virginitatem et paupertatem pressius erant imitati, et tandem ceteri quos praeclarum virtutum christianarum exercitium ac divina charismata piae fidelium devotioni et imitationi commendabant.

<sup>1</sup> *Lumen gentium*, n. 40

Dum illorum vitam conspiciamus, qui Christum fideliter sunt secuti, nova quadam ratione ad futuram Civitatem inquirendam incitamus et tutissime viam edocemur qua, inter mundanas varietates, secundum statum condicionemque unicuique propriam, ad perfectam cum Christo coniunctionem seu sanctitatem pervenire possumus. Nimirum tantam habentes impositam nubem testium, per quos Deus nobis fit praesens nosque alloquitur, ad Regnum suum in caelis adipiscendum magna virtute attrahimur. <sup>2</sup>

Quae signa et vocem Domini sui maxima cum reverentia et docilitate suscipiens, Sedes Apostolica, ab immemorabilibus temporibus, pro gravi munere sibi concredito docendi, sanctificandi atque regendi Populum Dei, fidelium imitationi, venerationi et invocationi proponit viros et mulieres caritatis aliarumque evangelicarum virtutum fulgore praestantes, eosque, post debitas pervestigaciones peractas, in sollemni canonizationis actu Sanctos vel Sanctas esse declarat.

*Causarum canonizationis instructio*, quam Praedecessor Noster Xystus V Congregationi Sacrorum Rituum ab ipso conditae concredidit, <sup>3</sup> decursu temporum novis semper aucta fuit normis, praesertim Urbani VIII opera, <sup>4</sup> quas Prosper Lambertini (postea Benedictus XIV), experientias quoque transacti temporis colligens, posteris tradidit in opere quod *De Servorum Dei beatificatione et de Beatorum canonizatione* inscribitur, quodque regula existit per duo fere saecula apud Sacram Rituum Congregationem. Huiusmodi normae tandem substantialiter receptae fuerunt in *Codicem Iuris Canonici*, anno 1917 publici iuris factum. 4750

[351] Cum vero maxime auctus historiarum disciplinarum progressus nostris temporibus necessitatem ostendisset aptiore laboris instrumento competentem Congregationem ditandi, ut postulatis artis criticae melius responderet, Decessor Noster f.r. Pius XI Apostolicis Litteris *Già da qualche tempo* motu proprio die 6 mensis februarii anno 1930 editis, «Sectionem historicam» apud Sacram Rituum Congregationem instituit, eique studium causarum «historiarum» concredidit. <sup>5</sup> Die autem 4 ianuarii anno 1939 idem Pontifex *Normas servandas in construendis processibus ordinariis super causis historicis* <sup>6</sup> edi iussit, quibus processum «apostolicum» reapse supervacaneum reddidit, ita ut in causis «historicis» exinde unicus processus auctoritate ordinaria factus sit.

Paulus VI autem, Litteris Apostolicis *Sanctitas clarior* motu proprio die 19 martii anno 1969 editis, <sup>7</sup> statuit, ut etiam in causis recentioribus unicus fieret processus cognitionalis seu ad colligendas probatio-

<sup>2</sup> Cf. *ibid.*, n. 50.

<sup>3</sup> Const. Apost. *Immensa Aeterni Dei*, diei 22 ianuarii 1588. Cf. *Bullarium Romanum*, Ed. Taurinensis, VIII, 985-999.

<sup>4</sup> Litt. Apost. *Caelestis Hierusalem cives*, diei 5 iulii 1634; Urbani VIII P.O.M. *Decreta servanda in canonizatione et beatificatione Sanctorum*, diei 12 martii 1642.

<sup>5</sup> AAS 22 (1930) 87-88.

<sup>6</sup> AAS 31 (1939) 174-175.

<sup>7</sup> AAS 61 (1969) 149-153.

nes, quem Episcopus instruit praevia tamen venia Sanctae Sedis.<sup>8</sup> Idem Pontifex, Constitutione Apostolica *Sacra Rituum Congregatio*<sup>9</sup> diei 8 maii 1969, loco Sacrae Rituum Congregationis duo nova constituit Dicasteria, quorum uni munus concedit Cultum divinum ordinandi, alteri vero causas sanctorum tractandi; eadem data occasione ordinem in iisdem procedendi aliquantum immutavit.

- 4751 Post novissimas experientias, denique, Nobis peropportuno visum est instructionis causarum viam ac rationem ulterius recognoscere ipsamque Congregationem pro Causis Sanctorum ita ordinare, ut et doctorum exigentiis obviam fieremus, et desideriis Fratrum Nostrorum in episcopatu, qui pluries flagitaverunt ipsius rationis agilitatem, servata tamen soliditate investigationum in negotio tantae gravitatis. Putamus etiam, praevalente doctrina de collegialitate a Concilio Vaticano II proposita, valde convenire ut ipsi Episcopi magis Apostolicae Sedi socientur in causis sanctorum pertractandis.
- In posterum, igitur, abrogatis ad rem quod attinet omnibus legibus cuiusvis generis, has quae sequuntur statuimus normas servandas.

#### I. De inquisitionibus ab Episcopis faciendis

- 4752 [352] 1) Episcopis dioecesanis vel Hierarchis ceterisque in iure aequiparatis, intra fines suae iurisdictionis, sive ex officio, sive ad instantiam singulorum fidelium vel legitimorum coetuum eorumque procuratorum, ius competit inquirendi circa vitam, virtutes vel martyrismum ac famam sanctitatis vel martyrii, asserta miracula, necnon, si casus ferat, antiquum cultum Servi Dei, cuius canonizatio petitur.
- 4753 2) In huiusmodi inquisitionibus Episcopus iuxta peculiare Normas a Sacra Congregatione pro Causis Sanctorum edendas procedat,<sup>a</sup> hoc quidem ordine:
- 6<sup>o</sup> Inquisitionibus peractis, transcriptum omnium actorum in duplici exemplari ad Sacram Congregationem mittatur, una cum exemplari librorum Servi Dei a censoribus theologis examinerent eorumque iudicio.
- Episcopus praeterea adiungat declarationem de observantia decretorum Urbani VIII super non cultu.

#### II. De sacra Congregatio pro Causis Sanctorum

- 4754 [353] 3) Sacrae Congregationis pro Causis Sanctorum, cui praees Cardinalis Praefectus, adiuvante Secretario, munus est, ut ea agat quae ad canonizationem Servorum Dei pertinent, et quidem tum Episcopis

<sup>8</sup> Litt. Apost. *Sanctitas clarior*, diei 19 martii 1969, nn. 3-4: AAS 61 (1969) 151.  
<sup>9</sup> AAS 61 (1969) 297-305.

<sup>a</sup> «Normae servandae in inquisitionibus ab Episcopis faciendis in Causis Sanctorum» die 7 februarii 1983 publici iuris factae sunt: AAS 75 (1983) 396-403.

in causis instruendis consilio atque instructionibus assistendo, tum  
causis funditus studendo, tum denique vota ferendo.  
Ad eandem Congregationem spectat decernere de iis omnibus quae ad  
authenticitatem et conservationem reliquiarum referentur.

## Ordo Cantus Officii

Die 25 martii 1983 Sectio pro Cultu Divino SCSCD novum Ordinem Cantus Officii approbavit.

---

ED. DECRETI - Lat.: N 19 (1983) 244-245.

---

4755 [244] Cantum gregorianum, ab Ecclesia ut Liturgiae Romanae proprium agnitum, principem locum habere in actionibus liturgicis constitutio de Sacra Liturgia expresse declarat (n. 116).

Ut hoc musicae sacrae genus servetur et opportune adhibeatur, praesertim post novos libros liturgicos, ad mentem Concilii Vaticani II instauratos et editos, Sacra haec Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino elementa plurima statuit, quibus Antiphonale Romanum necnon ceteri libri cantus Officii novae rerum conditioni accomodentur et nullus textus cantus gregoriani deperdatur.

Sacra haec Congregatio, de mandato Summi Pontificis IOANNIS PAULI II, decernit proinde, ut, qui celebrationem Liturgiae Horarum [245] lingua latina peragunt, novam hanc ordinationem in disponendis cantibus ad illam pertinentibus sequantur.

---

ED. TYP.VOLUMINIS: *Officium divinum ex decreto Sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani II instauratum auctoritate Pauli Pp. VI promulgatum, Ordo Cantus Officii, Typis Polyglottis Vaticanis 1983 (= N 19 [1983] 357-528).<sup>a</sup>*

---

Praenotanda hic referuntur iuxta ed. typ.

---

ED. - Lat.: N 19 (1983) 363-365. Gall.: N 19 (1983) 245-247.

COMM. - Ital.: F. RAINOLDI, in: RPL 22 (1984) 48-53.

---

<sup>a</sup> Iam antea editum est volumen die 24 iunii 1982 a SCSCD approbatum: *Antiphonale Romanum secundum Liturgiam Horarum Ordinemque Cantus Officii dispositum a Solesmensibus Monachis praeparatum, Tomus alter. Liber Hymnarius cum Invitatoriis et aliquibus Responsoriis*, Solesmes 1983.

## PRAENOTANDA

[7] Liber *Ordo cantus Officii* se exhibet sub specie repertorii liturgico ordine dispositi, sicut habetur in *Liturgia Horarum*, ad Officium liturgiae romanae gregoriano cantu persolvendum. Ipsa autem *Liturgia Horarum* fundamentum manet istius Officii. 4756

Ad commodum in praesentatione facilius obtinendum, loci cantus tribus classibus dispositi referri possunt, quarum examen materiam Ordinis huius definire sinet.

### 1. RECITATIVI

Locorum Officii maior pars canitur super recitativos. Hoc fit pro psalmis et canticis, quae partem essentialem Officii constituunt quaeque canuntur tono psalmico antiphonae, quae ipsa introducit. Idem habetur etiam pro lectionibus, versibus atque responsoriis brevibus. Melodia responsoriorum brevium, sicut invenitur in Antiphonario et Psalterio monastico pro diversis temporibus, bene aptatur textibus Liturgiae Horarum. Canticum in II Vesperis dominicae (Ap. 19) *Salus et gloria* semper canitur *more responsoriali* super tonos psalmodiae responsorialis, cuius expemplum praebetur in Psalterio monastico, 365. 4757

Cum in omnibus istis locis melodia recitativum sit, quod latino textui aptatur, necessarium haud est ipsorum textum repeti in praesenti Ordine cantus Officii, quia hic nullam inducit quoad Liturgiam Horarum variationem. E contra, psalmi invitatorii recitativi sunt praecipue ornati. Numerus quidam tonorum pro Ps. 94 invenitur in Libro Hymnario, 133-173.

Alii toni iuxta manuscripta antiqua restitui possunt, sed, complexitate habita in recitativo delicate aptando, textum antiquae versionis huius psalmi servari praefertur.

### 2. HYMNI

In Ordine cantus Officii, «incipit» hymnorum signatur sive propria annotatione sive annotatione rationem habente ad alium hymnum eiusdem metri et illius toni, super quem hymnus ipse cani potest. Quando tonus est ineditus, «incipit» asterisco signatur. Cum autem hymni cantantur per strophas, quae eandem repetunt melodiam, et cum huiusmodi melodiae fundamentum habeant in metro hymni, ex una parte sequitur quod textus hymnorum idem manet ac in Liturgia [8] Horarum; ex altera vero parte, quod semper possibile evadit hymnum canere super integram melodiam alterius hymni eiusdem metri. 4758

Ad cantum etiam facilitandum, ob magnam optionis copiam, quae datur in hymnis Liturgiae Horarum pro memoriarum celebratione seligendis, hymnos de Communi adhibere semper licet.

### 3. LOCI QUI PROPRIAS REQUIRUNT MELODIAS

#### a) Antiphonae

Unaquaque antiphona suam peculiarem habet melodiam. Ideoque, 4759

quotiescumque antiphonae in Liturgia Horarum adhibitae ad traditionem gregorianam non pertinent, in ista oportuit antiphonas quaerere textus aequipollentis, quae in earum locum substitui valerent.

Finis igitur, in quem redactus est *Ordo cantus Officii*, est imprimis ut indicentur antiphonae Officii cantu persolvendi. In libro hoc praebeatur «incipit» antiphonarum, quae editae sunt cum propria melodia et quae remittuntur ad paginas librorum, in quibus inveniuntur. Pro iis, cuius melodia nondum edita est, textus indicatur completus, quando proposita antiphona ab illa differt Liturgiae Horarum. Magnus numerus antiphonarum antiquioris generis in catalogum redactae sunt a Dom Hesbert in *Corpus Antiphonarum Officii*, fontes manuscriptos indicans, ad quod fit remissio. Antiphonae quarum melodia est inedita quaeque in illo «corpore» non inveniuntur, asterisco signantur.

Necessarium videtur animadvertere libros, in quibus antiphonae editae sunt cum suis notis musicis, multum inter se differre origine ac aetate; qua de re earum scriptura restitutio melodica permultas exhibent disparitates. Haud ergo possibile esset directe adhibere indicationes Ordinis cantus, ad opus practicum cantui destinatum componendum. Praeterea, melodiarum indicatarum maior pars ad dominium pertinet privatum: quapropter ipsa minime rursus produci possent in libro, sine editorum facultate expresse data. Adhibiti sunt insuper libri antiqui, qui in praesenti non amplius venundantur. Quod vero limites huius repertorii manifestat, cum ad practicas editiones conficiendas integram exigit melodiarum revisionem iuxta fontes manuscriptos.

Selectio antiphonarum, quae diversae sunt ab antiphonis Liturgiae Horarum, facta est secundum methodum aequipollentiarum nuncupatam, in *Ordine cantus Missae* iam adhibitam. Nihilominus semper permittitur, loco antiphonarum quae hoc in Ordine proponuntur, aliam seligere antiphonam textus aequipollentis vel antiphonam, cuius textus ad lectiones pertinet diei.

#### *b) Responsoria*

- 4760 [9] Ad absentiam actualem supplendam alicuius responsoralis, quod omnia Officii responsoria comprehendat, responsoriorum reducta selectio in appendice proponitur, satis tamen variata, ita ut in dominicis et sollemnitatibus unum vel plura cani possint responsoria, si hoc desideratur.



## De Calendario

Die 25 martii 1983 Sectio pro Cultu Divino SCSCD Decretum, «quo memoria liturgica Sancti Maximiliani Mariae Kolbe ad universam Ecclesiam extenditur», edidit.

ED. - Lat.: AAS 75 (1983) 527-528; N 19 (1983) 238-239. Hisp.: *Misa y Officio de S. Maximiliano Kolbe*, Madrid 1984.

COMM. - Ital.: J. SIKORSKI, in: CC 133/IV (1983) 245-256; OR 10-X-1982, 2.

[527] Memorias Martyrum aliorumque Sanctorum, qui per multiformem Dei gratiam ad perfectionem sunt provecti, atque aeternam iam adepti salutem circulo anni celebrandas inseruit Ecclesia. In Sanctorum enim nataliciis praedicat ipsa Ecclesia paschale mysterium in Sanctis cum Christo compassis et conglorificatis, et fidelibus exempla eorum proponit, omnes per Christum ad Patrem trahentia, eorumque meritis Dei beneficia impetrat (Cf. *Sacrosanctum Concilium*, n. 104). Calendarium Romanum generale illas autem memorias Sanctorum inscriptas retinet, quarum celebratio momentum universale in Ecclesia prae se fert (*ibid.*, n. 111). 4761

Iamvero inter Sanctos, qui fidelibus cunctis ubique terrarum opportunum praebent exemplum imitandum, praesertim nostris temporibus, Sanctus Maximilianus Maria Kolbe, presbyter et martyr, est annumerandus, quippe qui Christi amore succensus eiusque vestigia fideliter secutus, vitam posuerit pro fratribus suis, signum constituens verum Dei bonitatis erga Ecclesiam et homines nostrae aetatis.

Etenim in Sancto martyre Maximiliano Maria homines huius temporis mirabile deprehendunt testimonium dignitati hominis in Christo datum atque caritati illi, qua omnia prorsus vincuntur, et mors salutiferam gignit virtutem.

Cum vero nonnullae pervenissent Conferentiarum Episcopalium petitiones, ut memoria liturgica Sancti Maximiliani Mariae Kolbe ad universam extenderetur Ecclesiam, Summus Pontifex Ioannes Paulus II Sacrae huic Congregationi mandavit ut easdem petitiones ad effectum deduceret.

Sacra porro Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino, praedicto obsequens mandato, celebrationem Sancti Maximiliani Mariae Kolbe, presbyteri et martyris, in Calendarium generale inseri [528] decernit, quotannis die 14 augusti eius natalicio, gradu *memoriae obligatoriae* peragendam.

## De ministerio sacerdotum

Die 27 martii 1983 Ioannes Paulus II ad universo Ecclesiae sacerdotes Epistulam de eorum ministerio misit, in qua etiam de ministerio liturgico loquitur.

ED. - Lat.: AAS 75 (1983) 413-422. Gall.: DC 80 (1983) 333-335. Germ.: VAS 45. Hisp.: E 43 (1983) 440-442. Ital.: OR 28/29-III-1983, 1-2. Neer.: AK 38 (1983) n. 5, 42-45; Analecta voor het bisdom Roermond 63 (1983) n. 2, 58-64.

4762 1. [...] [414] Nunc vero, in exordio novi huius Anni Redemptionis et Iubilaei extraordinarii, post paucos dies quam eius est factum initium, iam *Feria V in Cena domini hoc anno MCMLXXXIII* occurrit. Ea in memoriam revocat — quemadmodum scimus — diem, quo Christus sacerdotium ministeriale una cum Eucharistia instituit. Illud institutum est pro Eucharistia ideoque pro Ecclesia, quae, ut communitas Populi Dei, per Eucharistiam formatur. Quod quidem sacerdotium — ministeriale et hierarchicum — nosmet participamus. Die ordinationis id accepimus ope ministerii Episcopi, qui in unumquemque nostrum sacramentum, *inchoatum in Apostolis*, in Cena novissima, in Cenaculo, *Feria V*, inchoatum, transfudit. Itaque, licet diversa sint tempora, quibus ordinationem suscepimus, tamen *Feria V* Hebdomadae Sanctae singulis annis est dies natalis sacerdotii nostri ministerialis. Hoc sacro die unusquisque nostrum, ut sacerdotum Novi Testamenti, natus est in sacerdotio Apostolorum. Unusquisque nostrum natus est in revelatione unici et aeterni sacerdotii Iesu Christi ipsius. Haec enim revelatio facta est in Cenaculo, ob *Feriam V* memorabili, ante Passionem in Golgotha. Eo ipso loco Christus mysterii sui paschalis initia posuit: id «aperuit»; reseravit quidem, Eucharistia et Sacerdotio quasi clavi usus.

Hac de causa nos «ministri Novi Testamenti», <sup>1</sup> *Feria V* Hebdomadae Sanctae *congregamur in unum* cum Episcopis in cathedralia templa Ecclesiarum nostrarum, *congregamur* coram Christo, unico et aeterno fonte sacerdotii nostri. Qua in coniunctione, quae fit hac *Feria V*, *Eum invenimus* atque insimul per Ipsum, cum Ipso et in Ipso *nosmet ipsos invenimus*. Bene[415]dictus Deus Pater, Filius et Spiritus Sanctus propter gratiam huiusmodi coniunctionis.

<sup>1</sup> Cf. 2 Cor. 3, 6.

2. [...] Annus Redemptionis et Iubilaeum extraordinarium moment ut sacerdotium nostrum ministeriale denuo illa ratione consideremus, qua id Christus in mysterium Redemptionis inseruit. 4763

«Iam non dicam vos servos..., vos autem dixi amicos». <sup>2</sup> In ipso Cenaculo haec verba sunt prolata, in ipsis adiunctis temporis, quo Eucharistia et sacerdotium ministeriale sunt instituta. Christus Apostolis et cunctis, qui ab illis quasi hereditate accipiunt sacerdotium ordinatione collatum, significavit eos ob hanc vocationem et per hoc ministerium fieri debere *amicos suos - amicos illius mysterii*, quod ipse perfecit. Esse sacerdotem idem valet ac singulari amicitiae necessitudine coniungi cum mysterio Christi, cum mysterio Redemptionis, in quo ille «carnem suam dat pro mundi vita». <sup>3</sup> Nobis, qui cotidie Eucharistiam celebramus, salutiferum sacramentum Corporis et Sanguinis, oportet sit intimus usus cum mysterio, unde hoc sacramentum sumpsit initium. Sacerdotium ministeriale quid sit ostenditur unice et simpliciter, quatenus huius [416] mysterii divini ratio habetur — ac tantummodo hac habita ratione ad effectum adducitur.

In intima conscientia nostra ut sacerdotum, propter id ipsum, quod unusquisque nostrum tempore Ordinationis est factus, sumus «amici»: *sumus testes singulariter propinqui Amori illi*, qui Redemptione manifestatur. [...]

Nos ergo sacerdotes, *ministri Eucharistiae*, sumus «amici»: singulari necessitudine hunc Amorem redimentem contingimus, quo Filius Unigenitus mundum est persecutus — et continenter prosequitur. Quod si hoc nobis sanctum incit timorem, tamen oportet fateamur mysterium illius amoris redimentis una cum Eucharistia quodammodo in manibus nostri versari; cotidie in ore esse nostro; firmiter contineri in vocatione nostra et ministerio nostro.

O quam intime unusquisque id quod est ut sacerdos, *efficitur* ope mysterii Redemptionis! De hoc ipso nos edocet liturgia Feriae V in Cena domini. [...]

[417] 3. Redemptio arctissime cum culparum remissione coniungitur. 4764  
Deus nos in Iesu Christo redemit, quia in Iesu Christo nobis peccata dimisit; Deus nos in Christo «novam creaturam» fecit, quia in eo nobis est gratificatus de venia.

Deus in Christo mundum sibi reconciliavit. <sup>8</sup> Quoniam ergo eum sibi in Iesu Christo, ut primogenito omnis creaturae, <sup>9</sup> reconciliavit, *coniunctio hominis cum Deo est irrevocabiliter firmata.*

Quae quidem coniunctio, quam «primus Adam» olim passus est in se ipso toti familiae humanae auferri, a nullo adimi potest hominum generi, ex quo hoc in Christo, «altero Adam», fundatum est et solidatum. Quam ob rem humanum genus in Iesu Christo indesinenter fit «nova creatura». Talis vero efficitur, quia in Ipso et per Ipsum gratia

<sup>2</sup> Io. 15, 15.

<sup>3</sup> Io. 6, 51.

<sup>8</sup> Cf. 2 Cor. 5, 19.

<sup>9</sup> Cf. Col. 1, 15.

remissionis peccatorum [418] respectu cuiusvis hominis manet inexhausta: *Copiosa apud eum redemptio!*

Anno Iubilaeo, dilecti Fratres, oportet singularem in modum conscii simus nos *huic reconciliationi cum Deo debere inservire*, quae semel in perpetuum in Iesu Christo est effecta. Nos servi et ministri huius sumus sacramenti, in quo Redemptio manifestatur et perficitur ut venia, ut remissio peccatorum.

O quam significanter accidit ut Christus post resurrectionem iterum in Cenaculum illud ingrederetur, ubi Feria V hebdomadae Passionis Apostolis, una cum Eucharistia, sacramentum tradidit sacerdotii ministerialis, ac tunc diceret ad eos: «Accipite Spiritum Sanctum. Quorum remiseritis peccata, remissa sunt eis; quorum retinueritis, retenta sunt». <sup>10</sup>

Quemadmodum primum iis facultatem dedit Eucharistiam celebrandi, id est suum sacrificium paschale modo sacramentali renovandi, sic iterum iis dedit facultatem peccata remittendi.

- 4765 Hoc incessanter ante oculos vestros obversetur, cum per Annum Iubilaeum meditando cogitabitis sacerdotium vestrum ministeriale in mysterium Redemptionis Christi esse insertum.

Etenim Iubilaeum peculiare est tempus, quo Ecclesia secundum perveustam traditionem in tota communitate Populi Dei conscientiam Redemptionis exacuit, eo quod *remissionem et veniam peccatorum singularem in modum reddit impensam*; hanc ipsam dicimus remissionem et veniam, quarum nos sacerdotes Novi Testamenti facti sumus, post Apostolos, ministri legitimi.

Propter remissionem peccatorum, quae in Sacramento Paenitentiae conceditur, quotquot, ministerio nostro sacerdotali usi, hoc Sacramentum suscipiunt, etiam abundantiora haurire valent munera benignitatis, quae in Redemptione Christi continentur, accipientes remissionem *poenarum temporalium*, quae, peccatorum remissione impetrata, in vita terrena aut [419] futura adhuc sunt luendae. Ecclesia credit unamquamque remissionem a Redemptione, per Christum peractam, manare; simul vero ea etiam credit ac sperat Christum ipsum in remissione peccatorum poenarumque temporalium mediationem Corporis Mystici sui accipere. Quoniam *mysterium Communionis Sanctorum*, in mysterio Corporis Christi Mystici innixum, quod est Ecclesia, panditur respectu habito aeternitatis, Ecclesia Anno Iubilaeo volvente peculiari cum fiducia hoc Mysterium intuetur.

- 4766 Ecclesia nunc cum maxime utilitatem percipere vult e meritis Beatissimae Virginis Mariae, Martyrum et Sanctorum, necnon ex illorum intercessionem, quo etiam praesentiozem reddat Redemptionem, a Christo peractam, quoad omnes eius effectus et fructus salvificos. Hoc sane modo *alta significatio evangelica patefit* usus Indulgentiarum, cum Anno Iubilaeo conexi, quatenus bonum, ab immolatione redemptrice Christi in omnes generationes Martyrum et Sanctorum Ecclesiae, ab

<sup>10</sup> Io. 20, 22s.

initio ad nostra usque tempora, profectum, iterum in animis hominum nostrae aetatis fructificat per gratiam remissionis peccatorum et effectum peccati.

Dilecti nobis Fratres in sacerdotio Christi! Per Annum Iubilaeum estote peculiari ratione *magistri veritatis* Dei, quod attinet ad veniam et remissionem; veritatis dicimus, qualis ab Ecclesia constanter docetur. Hanc veritatem cum tota eius ubertate et copia spiritali proponite; ad hanc aperiendam exquirite vias in animis et conscientiiis hominum temporum nostrorum. Praeter institutionem, per hunc Annum Sacrum esse studete, modo singulariter officioso et magnanimo, *ministri Sacramenti Paenitentiae*, quo filii et filiae Ecclesiae remissionem peccatorum accipiant. Id agite ut in ministerio confessiones audiendi sacerdotium ministeriale, quemadmodum est pernecessarium, ostendatur et comprobetur, cuius rei exempla tot sancti Sacerdotes et Pastores animarum in Ecclesia historia ad haec usque tempora praebuerunt. *Labor autem in*[420] *hoc sacro ministerio sustinendus* vos adiuvet quo altius intelligatis quam penitus in mysterium Redemptionis Christi, per crucem et resurrectionem, sacerdotium ministeriale uniuscuiusque nostrum sit insertum.

## De Calendario

Die 25 aprilis 1983 Sectio pro Cultu Divino SCSCD ad Praesides Conferentiarum Episcoporum Epistulam misit, cui Decretum de celebratione S. Maximiliani Mariae Kolbe (cf. supra n. 4761) necnon textus proprii celebrationis adnexa fuerunt.

---

ED. - Lat.: N 19 (1983) 237-238.

COMM. - Ital.: G. STANO, in: OR 18-VIII-1983, 7.

---

- 4767 [237] Gratum mihi duco ad istam Conferentiam Episcoporum textum mittere Decreti huius sacri Dicasterii, quo celebrationem Sancti Maximiliani Mariae Kolbe, presbyteri et martyris, in Calendarium Romanum generale inserendam esse decernitur, quotannis die 14 augusti gradu memoriae obligatoriae peragenda.
- Nova igitur memoria cunctis «Ordinibus» pro Missae et Liturgiae Horarum celebratione erit inscribenda atque eius indicatio ponetur in libris liturgicis cura Conferentiae Episcopalis in posterum edendis.
- Ad textus liturgicos memoriae, quod attinet, illi erunt adhibendi, qui a Sacra Congregatione pro Cultu Divino die 4 octobris 1971 (Prot. n. 1731/71) et die 21 novembris 1973 (Prot. n. 701/73) ad [238] usum Ordinis Fratrum Minorum Conventualium sunt confirmati, quique hisce litteris adnectuntur.

## De Precibus eucharisticis

Die 15 maii 1983 Sectio pro Culto Divino SCSCD Textum latinum Precum eucharisticarum pro Missis «De reconciliatione» edidit.

ED. - Lat.: N 19 (1983) 270-279. Ital.: E. MAZZA, *Le odierne Preghiere eucaristiche*, 2, Bologna 1984, 70-81.

COMM. - Ital.: E. MAZZA, *Le odierne Preghiere eucaristiche*, 1, Bologna 1984, 237-254.

[270] Preces eucharisticae «de Reconciliatione» adhiberi possunt in Missis, quibus mysterium reconciliationis peculiari modo fidelibus insinuatur, v.gr. in Missis pro reconciliatione, pro concordia fovenda, pro pace et iustitia servanda, pro remissione peccatorum, tempore belli vel eversionis, ad postulandam caritatem, de mysterio Sanctae Crucis, de SS.ma Eucharistia, de pretiosissimo Sanguine D.N.I.C. necnon in Missis Tempore Quadragesimae. 4768

Quamvis praefatione propria instructae sint, adhiberi possunt etiam cum aliis praefationibus, quae ad paenitentiam et conversionem referentur, uti v. gr. praefationibus Quadragesimae.

[275] In concelebratione, Prae eucharistica I sequenti modo dicitur: 4769

a) Praefatio, *Deus, qui a mundi origine et a Cum vero perissemus usque ad ligno crucis affigi*, a solo celebrante principali, manibus extensis, dicuntur.

b) A *Respice, quaesumus usque ad filii sumus omnes concelebrantes omnia simul proferunt*, manibus ab oblata extensis.

c) A *Sed antequam*, usque ad *in quo omnis auferatur divisio omnes concelebrantes omnia simul proferunt*, hoc modo:

— *Sed antequam*, manibus iunctis;

— verba Domini, manu dextera, si opportunum videtur, ad panem et ad calicem extensa; ad ostensionem autem hostiam et calicem aspicientes ac postea profunde se inclinantes;

— *Memores igitur* manibus extensis.

d) Intercessio *Serva nos invicem* uni e concelebrantibus committi potest, qui solus hanc precem manibus extensis profert.

e) Huius Prae eucharisticae partes quae sequuntur:

*Sed antequam*, *Similiter*, *Memores igitur* necnon doxologia finalis cantu proferri possunt.

- 4770 [279] In concelebratione, Praefatio et *Te igitur* a solo celebrante principali, manibus extensis dicuntur.
- a) Praefatio et *Te igitur* a solo celebrante principali, manibus extensis dicuntur.
- b) Ab *Ideo reconciliationem* usque ad *qui auferat ea, quae dividunt* omnes concelebrantes omnia simul proferunt.
- A *Te deprecamur* usque ad *dum Filii tui mandatum implemus* manus ad oblata extendunt; item ad verba Domini manum dexteram, si opportunum videtur, ad panem et calicem extendunt.
- c) Intercessionem *Ipsa nos* et *Quemadmodum hic* uni alterive e concelebrantibus committi possunt, qui solus has preces, manibus extensis, profert.
- d) Huius Praefationis eucharisticae partes quae sequuntur:  
*Ipsa enim, Simili modo, Domine Deus noster* necnon doxologia finalis cantu proferri possunt.



## «Sacerdotium ministeriale»

Die 6 augusti 1983 SCDF ad Ecclesiae Catholicae Episcopos Epistulam «de quibusdam quaestionibus ad Eucharistiae ministrum spectantibus» misit.

ED. - Lat.: AAS 75 (1983) 1001-1009. Gall.: DC 80 (1983) 885-887. Germ.: VAS 49. Hisp.: PLDI nn. 131-132 (1983) 3-10; Ph 24 (1984) 43-49; E 43 (1983) 1165-1167. Ital.: RD 28 (1983) 523-525. Lus.: LRC 47 (1983) 371-375. Neer.: AK 38 (1983) n. 11, 17-20; Analecta voor het bisdom Roermond 64 (1983) n. 4, 122-128.

COMM. - Ital.: A.-G. MARTIMORT, in: OR 10-IX-1983, 1 et 8; A. VANHOE, in: OR 22-IX-1983, 2; P. GRELOT, in: OR 29-IX-1983, 6; H. CROUZEL, in: OR 7-X-1983, 5; W. KASPER, in: OR 8-X-1983, 9; J.P. REZETTE, in: OR 12-X-1983, 6; A. VILAPLANO, in: OR 15-X-1983, 2; B. KLOPPENBURG, in: OR 19-X-1983, 7.

I. *Introductio*

[1001] 1. SACERDOTIUM MINISTERIALE seu hierarchicum essentia 4771  
non gradu tantum a communi fidelium sacerdotio differre docens, Concilium Vaticanum II eo ipso fidei certitudinem expressit, iuxta quam tantummodo Episcopi et Presbyteri potestate gaudent Eucharisticum mysterium peragendi. Quamvis, enim, fideles universi unum idemque Christi sacerdotium participant et in oblationem Eucharistiae concurrant, solum tamen sacerdos ministerialis, vi sacramenti Ordinis, potestate gaudet sacrificium Eucharisticum conficiendi in persona Christi illudque totius christiani populi nomine offerendi.<sup>1</sup>

2. At postremis hisce annis opiniones coeptae sunt propagari, interdum in vitae usum traductae, quae, praedicta magisterii doctrina dene- 4772  
gata, intimam Ecclesiae vitam vulnerant. Hae opiniones, variis formis et argumentis propositae, fideles etiam attrahere incipiunt sive quia scientifico fundamento fulciri dicuntur, sive quia ita perhibentur, ut necessitatibus curae pastoralis christianarum communitatem earumque vitae sacramentalis respondere videantur.

<sup>1</sup> *Lumen gentium*, nn. 10, 17, 26, 28; *Sacrosanctum Concilium*, n. 7; *Christus Dominus*, n. 15; *Presbyterorum ordinis*, nn. 2 et 3. Cf. etiam Paulus VI, Litt. Encycl. *Mysterium fidei*, d. 3 sept. 1965: AAS 57 (1965) 761.

4773 [1002] 3. Haec igitur Sacra Congregatio, desiderio permota auxiliatricem suam operam sacris Pastoribus offerendi in spiritu collegialis affectus, hic sibi proponit quaedam in mentem revocare ex essentialibus doctrinae Ecclesiae capitibus de ministro Eucharistiae, quae per vivam Traditionem transmissa sunt atque in praecedentibus ecclesiastici magisterii documentis iam continentur.<sup>2</sup> Ipsa integrum doctrinae conspectum de ministerio sacerdotali a Concilio Vaticano II prolatum praesupponens, in praesentibus rerum adiunctis necessitatem interven- tus urgere existimat, ut peculiare hoc essenziale munus sacerdotis clariore in luce ponatur.

## II. Erroneae opiniones

4774 1. Novarum opinionum fautores affirmant quamlibet christianam communitatem, eo ipso quod adunatur in nomine Christi ac proinde indivisa Eius praesentia fruitur (cf. Mt. 18, 20), omnibus gaudere potestatibus, quas Dominus Ecclesiae suae concedere voluit.

Praeterea existimant Ecclesiam esse apostolicam hoc sensu, quod omnes, qui per sacrum Baptisma abluti sunt eidemque aggregati et mun- neris Christi sacerdotalis, prophetici et regalis participes facti revera etiam Apostolorum successores habendi sunt. Quoniam vero in Apostolis Ecclesia tota praefiguratur, inde sequeretur ut verba quoque institutionis Eucharistiae, ad eos quidem directa, omnibus destinata es- sent.

4775 [1003] 2. Inde fit etiam ut ministerium Episcoporum et Presbytero- rum, quantumvis necessarium ad rectum Ecclesiae ordinem, a commu- ni fidelium sacerdotio non differat ratione participationis sacerdotii Christi sensu quidem stricto, sed ratione tantum exercitii. Quam ob rem munus moderandi, uti aiunt, communitatem — quod coniunctum habet munus verbi Dei praedicandi et sacrae Synaxi praesidendi — nonnisi mandatum esset ad rectum tuendum communitatis ordinem collatum, ac proinde «sacrum effici» non deberet. Vocatio ad tale mi- nisterium novam capacitatem «sacerdotalem» non adderet sensu stric- to — idque est causa cur plerumque ipsa vox «sacerdotii» vitetur — nec characterem imprimeret, quo quis ontologice constitueretur in conditione ministrorum, sed dumtaxat exprimeret coram communitate capacitatem initialem, quae per Baptismum collata est, ad effectum deduci.

4776 3. Vi autem apostolicitatis singularum communitatum localium, in

<sup>2</sup> Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei*, d. 20 nov. 1947: AAS 39 (1947) 553; Paulus VI, Adhort. apost. *Quinque iam anni*, d. 8 dec. 1970: AAS 63 (1971) 99; Documenta Synodi Episcoporum, a . 1971: *De sacerdotio ministeriali*, Pars prima: AAS 63 (1971) 903-908; SCDF, Declaratio *Mysterium Ecclesiae*, d. 24 iun. 1973, n. 6: AAS 65 (1973) 405-407; Declaratio *De duobus operibus Professoris Ioannis Küng*, d. 15 febr. 1975: AAS 67 (1975) 204; Declaratio *Inter insigniores*, d. 15 oct. 1976, n. 5: AAS 69 (1977) 108-113; Ioannes Paulus II, Epist. *Novo incipiente nostro ad universos Ecclesiae Sacerdotes*, d. 8 apr. 1979, nn. 2-4: AAS 71 (1979) 395-400; Epist. *Dominicae cenae ad universos Ecclesiae Episco- pos*, d. 24 febr. 1980, nn. 1-11: AAS 72 (1980) 115-134.

quibus non minus quam in structura episcopali Christus praesens adesset, quaelibet communitas, quantumvis exigua, si forte diu privaretur constitutivo illo suo elemento quod est Eucharistia, tunc posset «resumere» originariam suam potestatem ac iure gauderet suum praesidem atque animatorem designandi eique conferendi omnes facultates ad ipsam communitatem moderandam necessarias, ea non excepta quae ad praesidendum Eucharistiae eamque consecrandam spectat.

Affirmatur etiam Deum ipsum renuere non posse, in iisdem rerum adiunctis, illam potestatem etiam sine sacramento concedere, quam per sacramentalem Ordinationem conferre solet.

Ad huiusmodi conclusionem hoc etiam conducit, quod Eucharistiae celebratio saepe intellegitur tamquam simplex actus communitatis localis, quae adunatur ad ultimam Cenam Domini commemorandam per fractionem panis. Quare ageretur de convivio fraterno in quo communitas adunatur et exprimitur, potius quam de renovatione sacramentali sacrifici Chri[1004]sti, cuius salvifica efficacia ad universos homines extenditur, praesentes vel absentes, sive vivos sive defunctos.

4. Ex altera parte, in nonnullis regionibus erroneae opiniones circa necessitatem ministrorum ordinatorum in celebratione eucharistica, hoc etiam effecerunt ut quosdam inducerent ad minus in dies momentum tribuendum sacramentis Ordinis et Eucharistiae in catechesi tradenda. 4777

### III. *Doctrina Ecclesiae*

1. Opiniones supra memoratae, etsi formis sat variis atque extenuatis proponuntur, omnes tamen ad eandem conclusionem conspirant: scilicet potestatem conficiendi Sacramentum Eucharistiae non necessario conexam esse cum Ordinatione sacramentali. Manifesto patet hanc conclusionem componi nullo modo posse cum tradita fide, quia non solum hoc modo respuitur potestas sacerdotibus collata, sed etiam tota apostolica Ecclesiae structura laeditur, atque ipsa oeconomia sacramentaria salutis subvertitur. 4778

2. Secundum Ecclesiae doctrinam, verbum Domini et vita divina ab Ipso donata inde ab initio exstare atque participari debent in unico corpore, quod ipse Dominus sibi per saeculorum decursum aedificat. Hoc corpus, scilicet Ecclesia Christi, ab Ipso donis ministrarum iugiter dispositum «per nexus et coniunctiones subministratum et conexum crescit in augmentum Dei (Col. 2, 19)».<sup>3</sup> Haec ministrarum structura in sacra Traditione explicatur ope triplicis potestatis Apostolis eorumque successoribus traditae, nempe sanctificandi, docendi ac regendi nomine Christi. 4779

Apostolicitas Ecclesiae non ita intellegenda est ut omnes [1005] fideles sint Apostoli,<sup>4</sup> etsi colectivo modo; nec ulla communitas potestate

<sup>3</sup> Cf. *Lumen gentium*, nn. 7, 18, 19, 20; *Christus Dominus*, nn. 1 et 3; *Presbyterorum ordinis*, n. 2.

<sup>4</sup> Cf. Conc. Tridentinum, *Doctrina de sacramento ordinis*, cap. 4: DS 1767.

gaudet conferendi ministerium apostolicum, quod fundamentaliter ab ipso Christo Domino conceditur. Ecclesia, igitur, cum se per Symbola apostolicam profitetur, praeter concordiam magisterii sui cum doctrina Apostolorum, continuitatem exprimit muneris Apostolorum, operaturae successionis effectam, vi cuius missio apostolica usque ad consummationem saeculorum permaneat oportet.<sup>5</sup>

Huiusmodi Apostolorum successio, qua Ecclesia tota constituitur apostolica, pertinet ad vivam Traditionem, quae inde ab initio in Ecclesia facta est atque esse pergit forma vitae ipsius Ecclesiae. Quare a recto tramite aberrant, qui huic vivae Traditioni singulas Scripturarum partes opponunt, ex quibus ius ad alias structuras deducere volunt.

- 4780 3. Catholica Ecclesia, quae saeculorum decursu crevit atque crescere pergit vi donatae sibi vitae a Christo Domino per effusionem Spiritus Sancti, semper suam retinuit apostolicam structuram, fideliter servans Apostolorum traditionem quae in ea vivit atque perseverat. Ipsa, dum manus imponit super electos una cum invocatione Spiritus Sancti, conscia sibi est se ministrare virtutem Domini, qui Episcopos, Apostolorum successores peculiari modo participes efficit triplicis sui muneris sacerdotalis, prophetici et regalis. Episcopi vicissim munus ministerii sui, vario gradu, variis subiectis in Ecclesia tradunt.<sup>6</sup>

Quamobrem, etsi omnes baptizati coram Domino eadem gaudent dignitate in christiana communitate quam eius divinus Conditor voluit hierarchice constitutam, nihilominus inde ab eius primordiis exstant peculiariora apostolica munera, quae e sacramento Ordinis profluunt.

- 4781 4. Inter haec munera, quae Christus unice Apostolis eorumque successoribus commisit, recensenda est potestas Eucharistiam conficiendi. Solis igitur Episcopis, itemque Presbyteris quos ipsi participes effecerunt ministerii accepti, reservata est potestas renovandi in mysterio Eucharistico id quod Christus peregit in ultima Cena.<sup>7</sup>

Quos autem ad Episcopatum et Presbyteratum vocat, Christus Dominus, ut iidem munera sibi credita peculiari modo munus tam grave conficiendi mysterium Eucharisticum adimplere valeant, eos speciali sigillo per sacramentum Ordinis spiritualiter signat, «characterem» appellato etiam in solemnibus Magisterii documentis,<sup>8</sup> eosque sibi ita configurat ut ipsi dum proferunt consecrationis verba non communitatis mandato, sed agant «in persona Christi», quod plus sane significat quam «nomine Christi» vel etiam «Christi vicem»..., cum celebrans ratione peculiari et sacramentali idem prorsus sit ac «summus aeternusque Sacerdos» qui Auctor est princepsque Actor huius proprii sui Sacrificii, in quo nemo revera in eius locum substitui potest.<sup>9</sup>

<sup>5</sup> Cf. *Lumen gentium*, n. 20.

<sup>6</sup> Cf. *ibid.*, n. 28.

<sup>7</sup> Id confirmat usus in Ecclesia receptus Episcopos et Presbyteros appellandi sacerdotes sacri cultus, hac praesertim de causa, quod ipsis tantummodo agnita est potestas conficiendi mysterium Eucharisticum.

<sup>8</sup> Cf. *Lumen gentium*, n. 21; *Presbyterorum ordinis*, n. 2.

<sup>9</sup> Ioannes Paulus II, *Epist. Dominicae cenae*, n. 8: AAS 72 (1980) 128-129.

Cum autem ex ipsa Ecclesiae natura potestas consecrandi Eucharistiam concredita sit solis Episcopis et Presbyteris qui eius ministri constituuntur vi sacramenti Ordinis suscepti, Ecclesia docet in unaquaque communitate mysterium Eucharisticum a nullo nisi a sacerdote ordinato celebrari posse quod expressis verbis Concilium Lateranense IV declaravit.<sup>10</sup>

[1007] Singulis fidelibus aut communitatibus, qui persecutionum causa vel ob sacerdotum penuriam brevi aut etiam diuturno tempore sacrae Eucharistiae celebratione privantur, gratia Redemptoris utcumque non deest. Etenim, cum voto sacramenti intime animati atque cum universa Ecclesia precando coniuncti, Dominum invocant ad Eumque corda sua erigunt, ipsi, virtute Spiritus Sancti, cum Ecclesia, vivo Christi Corpore, et cum Domino ipso communionem fruuntur. Idem, igitur, voto sacramenti cum Ecclesia coniuncti, quamvis externe longinqui videantur, nihilominus intime ac realiter cum ea communicant, ac proinde sacramenti fructus percipiunt; qui vero illegitime ius sibi arrogant mysterium Eucharisticum conficiendi, eo tandem deveniunt, ut communitatem in se ipsa clausam efficiant.<sup>11</sup>

4782

Cuius rei conscientia tamen minime eximit Episcopos, sacerdotes omniaque Ecclesiae membra a gravi obligatione precandi «Dominum messis», ut pro temporum locorumque necessitatibus operarios mittat (cf. Mt. 9, 39 sq.), itemque omnibus viribus ad laborandum ut humili generosoque animo audiatur atque excipiatur vox Domini ad sacerdotium ministeriale capessendum invitantis.

#### IV. Adhortatio ad Vigilandum

Sacra Congregatio pro Doctrina Fidei, attentos faciens sacros Ecclesiae Pastores ad haec doctrinae capita, auxilium afferre exoptat eorum ministerio, quod attinet ad pascendum Dominicum gregem pabulo veritatis, ad depositum fidei custodiendum atque ad integram servandam Ecclesiae unitatem. Prorsus oportet ut fortes in fide obsistamus erroribus, etsi pietatis speciem prae se ferant, eo quidem consilio, ut, veritatem facientes in caritate (cf. Eph. 4, 15), errantes complecti possimus in caritate Domini. Fideles, qui Eucharistiam celebrare attentant extra sacrum successionis apostolicae vinculum in sacramento Ordinis

4783

<sup>10</sup> Conc. Lateran. IV, Const. de Fide catholica *Firmiter credimus*: «Una vero est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur, in qua idem ipse sacerdos est sacrificium Iesus Christus, cuius corpus et sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter continentur, transsubstantiatis pane in corpus et vino in sanguinem potestate divina: ut ad perficiendum mysterium unitatis accipiamus ipsi de suo, quod accepit ipse de nostro. Et hoc utique sacramentum nemo potest conficere, nisi sacerdos, qui rite fuerit ordinatus, secundum claves Ecclesiae, quas ipse concessit Apostolis eorumque successoribus Iesus Christus» (DS 802).

<sup>11</sup> Cf. Ioannes Paulus II, Epist. *Novo incipiente nostro*, n. 10: AAS 71 (1979) 411-415. Circa efficaciam voto sacramenti propriam cf. Conc. Tridentinum, Decr. *De iustificatione*, cap. 4: DS 1524; Decr. *De sacramentis*, can. 4: DS 1604; *Lumen gentium*, n. 14; S. Officium, Epist. ad archiep. *Bostoniensem*, d. 8 aug. 1949: DS 3870 et 3872.

fundatum, sese excludunt a participanda unitate cum unico corpore Domini, ac proinde neque alunt neque aedificant communitatem, sed eam destruunt.

Sacrorum Pastorum, igitur, officium est vigilare ne in catechesi et in sacra theologia tradenda praedictae erroneae opiniones serpere pergant, ac praesertim ne in usum christianae vitae traducantur; quod si casus huius generis forte contingant, tunc ipsi sacra obligatione obstringuntur hos errores publice reprobandi tamquam prorsus alienos a celebratione Eucharistici sacrificii et in ecclesiam communionem iniuriosas. Ita sese gerere debent erga eos quoque, qui minuunt essenziale momentum, quod pro Ecclesia habent sacramenta Ordinis et Eucharistiae. Etenim ad nos quoque pertinent haec verba: «Praedica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina... vigila in omnibus, labora, opus fac evangelistae, ministerium tuum imple» (2 Tim. 4, 2-5).

Collegialis sollicitudo, igitur, hisce in adiunctis ad concretam applicationem perducatur, ita quidem ut Ecclesia indivisa, etsi distincta variis Ecclesiis localibus in unum conspirantibus,<sup>12</sup> depositum custodire valeat sibi a Deo per Apostolos commissum; siquidem fidelitas erga Christi voluntatem et christiana dignitas postulant, ut tradita fides semper eadem permaneat atque hoc modo fidelibus universis pacem afferat in credendo (cf. Rom. 15, 13).

*Hanc Epistolam in Conventu ordinario huius S. Congregationis deliberatam, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, in Audentia infrascripto Cardinali Praefecto concessa, adprobavit et publici iuris fieri iussit.*

<sup>12</sup> Cf. *Lumen gentium*, n. 23.

## Variationes in libros liturgicos introducendae

Die 12 septembris 1983 Sectio pro Cultu Divino SCSCD Variationes in libros liturgicos ad normam Codicis Iuris Canonici nuper promulgati introducendas edidit.

---

ED. DECRETI - Lat.: N 19 (1983) 540-541. Gall.: CNPL, Informations, n. 139 (1983) 3; BNL 18 (1984) 27. Germ.: VAS 58, 6. Hisp.: PLDI nn. 135-136 (1984) 4; Ph 23 (1983) 498. Ital.: L 17 (1983) 721. Lus.: Boletim de Pastoral Liturgica 8 (1983) 24.

---

[540] Promulgato Codice Iuris Canonici, cuius ope Ecclesia valet 4784 proprium munus aptius secundum Concilii Vaticani II mentem et doctrinam perficere, libri liturgici vim suam retinent, ut ait can. 2 ipsius Codicis. Si tamen quaedam Codicis canonibus contraria in libris liturgicis inveniuntur, emendanda sunt.

Quapropter Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino, ope sectionis pro Cultu Divino, cuius est sacram Liturgiam pro universa Ecclesia latina sub ratione pastorali et rituali ordinare, nonnullas variationes apparare curavit in novas editiones librorum liturgicorum, ad normam Codicis Iuris Canonici nuper promulgati, introducendas.

[541] Quas peractas variationes eadem Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino approbavit, mandans ut ipsae publici iuris fiant ab omnibus ad quos spectat fideliter serventur.

---

Ipsae Variationes loco suo (cf. nn. 3602 et 4081) vel in Supplemento huius voluminis referuntur.

---

ED. - Lat.: N 19 (1983) 541-555. Angl.: ICEL (ed.), *Emendations in the Liturgical Books Following upon the New Code of Canon Law*, Washington 1984. Gall.: CNPL, Informations, n. 139 (1983) 5-15; BNL 18 (1984) 29-49. Germ.: VAS 58, 7-44. Hisp.: PLDI nn. 135-136 (1984) 5-21; Ph 23 (1983) 498-510. Ital.: L 17 (1983) 722-749. Lus.: Boletim de Pastoral Liturgica 8 (1983) 25-44.

COMM. - Angl.: A.T., in: W 56 (1984) 55-59. Gall.: P.-M. GY, in: BNL 18 (1984) 51-60. Germ.: P.-M. GY, in: VAS 58, 45-50; R. KACZYNSKI, in: LJ 34 (1984) 84-99. Hisp.: P.-M. GY, in: Ph 23 (1983) 510-515. Neer.: AA.VV., in: TvL 68 (1984) 206-254.

---

## De associationibus massonicis

Die 26 novembris 1983 SCDF Declarationem de associationibus massonicis emisit, in qua etiam de participatione liturgiae mentio fit.

---

ED. - Lat.: AAS 76 (1984) 300.

---

- 4785 [300] [...] Perstat igitur immutata sententia negativa Ecclesiae circa associationes massonicas, quia earum principia semper inconciliabilia habita sunt cum Ecclesiae doctrina ideoque eisdem adscriptio ab Ecclesia prohibita remanet. Christifideles qui associationibus massonicis nomen dant in peccato gravi versantur et ad Sacram communionem accedere non possunt. [...]



## SUPPLEMENTUM

Sequens Supplementum continet quosdam textus in vol. I iam impressos, qui ad normam Codicis Iuris Canonici anno 1983 promulgati mutandi sunt (cf. supra n. 4784), necnon solutiones dubiorum Apostolicae Sedi propositorum, quae sese referunt ad documenta in vol. I impressa, et quidem iuxta ordinem numerorum, qui in margine inscripti sunt.

Adnotatio addenda:

795

Ad quaestionem «de usu instrumentorum musicorum, quae discos phonographicos vel cistulas musicas («musicassette») vocant, ad cantum in celebratione liturgica supplendum, comitandum vel sustentandum» responsio huiusmodi invenitur in N 13 (1977) 94:

Sacra liturgia cuncta innititur signis, quae ad efficacitatem suam attingendam, authentica et «vera» esse debent. Ad quod efficiendum maxime tendit liturgica instauratio eiusque ductilis aptatio.

Musica sacra necnon cantus sacer signum constituit; qua de re authenticum et verum ponendum a congregatione fidelium non ficticia sed viva et orante.

Iam Instructio «De musica sacra et sacra Liturgia» Pii Papae XII, anno 1958 edita, principium denuo statuerat: media technica diffusiva perutilia sunt ad cantus addiscendos et ad voces sustentandas in processionibus, quae fiunt sub divo; prohibentur vero in celebrationibus «in loco sacro». Ex illo tempore, normae documentorum officialium non sunt immutatae. Solummodo in Directorio de Missa cum pueris, n. 32, verbum est de usu musicae incisae, debita cautela et prudentia adhibita.

Non fortuito recens Instructio Episcoporum Italiae de Missa cum pueris aperte dicit non esse licitum usum musicae, quae cantum solis technicis instrumentis effundit.

Adnotatio addenda ad n. 4):

966

Die 21 decembris 1979 Ioannes Paulus II sequentem decisionem Patrum Pontificiae Commissionis Decretis Concilii Vaticani II interpretandis relate ad dubium propositum ratam habuit, approbavit et publicari iussit: AAS 72 (1980) 105 (Germ.: ÖA fKR 31[1980]301):

D. - Utrum diaconus, sicut et sacerdos, qui ex potestate delegata matrimonio nomine Ecclesiae adsistit, dispensare valeat ab impedimentis matrimonialibus in iisdem rerum adiunctis de quibus in can. 1044 CIC [agitur de CIC 1917].

R. - *Affirmative.*

Adnotatio addenda ad n. 5):

Die 13 novembris 1974 Paulus VI sequentem decisionem eorundem Patrum relate ad dubium propositum ratam habuit, approbavit et publicari iussit: AAS 66 (1974) 667 (EL 90 [1976] 499. Hisp.: E 35 [1975] 176).

D. - Utrum et quatenus, ad normam can. 1147, § 1 CIC [agitur de CIC 1917], Constitutionis dogmaticae *Lumen gentium*, n. 29 et Litterarum Apostolicarum *Sacrum Diaconatus Ordinem*, n. 22, possit diaconus benedictiones sive constitutivas sive invocativas impertire, nec non sacramentalia ministrare.

R. - Eas tantum benedictiones impertire eaque sacramentalia ministrare potest diaconus, quae eidem iure expresse conceduntur.

1086 Adnotatio addenda:

Ad quaestionem: «In Ordinatione presbyteri, Episcopi forte adstantes possuntne ritum Ordinationis participare manus imponentes post celebrantem principalem et una cum eo partem essentialem orationis consecratoriae dicentes?» SCDF, cuius iudicio quaestio subiecta fuerat, sequenti modo respondit:

*Non expedire* (Epistola diei 16 maii 1972): N 16 (1980) 272.

1118 Adnotatio addenda:

Ad dubium propositum, «utrum in Eucharistia, quam plures Episcopi concelebrant, usus baculi pastoralis competat solummodo Episcopo praesidenti, etiamsi non sit Ordinarius loci in quo celebratio peragitur», responsio huiusmodi invenitur in N 17 (1981) 231:

In omnibus ritibus liturgici, usus baculi pastoralis competit soli Episcopo celebranti principali vel actioni praesidenti, exclusis ceteris omnibus, cuiusvis dignitatis.

In Episcoporum vero ordinatione, neo-ordinatus vel neo-ordinati Episcopi baculo pastorali utuntur in conclusione celebrationis iuxta rubricas Pontificalis Romani.

1291 Adnotatio addenda:

Ad dubium propositum, «utrum rubrica: "Hac et sequenti die, Ecclesia, ex antiquissima traditione, sacramenta penitus non celebrat", quae invenitur in Missali Romano, Feria VI in Passione Domini, sub n. 1, intellegi debeat de omnium sacramentorum aut tantum de Missae sacrificii celebratione», responsio huiusmodi invenitur in N 13 (1977) 602:

Rubrica intellegi debet tantummodo de Missae sacrificii celebratione. Etenim verba: «sacramenta penitus non celebrat» deprompta sunt e litteris Papae Innocentii I ad Decentium, in quibus dicitur: «Nam ubique constat apostolos biduo isto (id est feria VI et sabbato) in moerore fuisse et propter metum Iudeorum se occuluisse; quod utique non dubium est in tantum eos ieiunasse biduo memorato, ut traditio ecclesiae habeat, isto biduo sacramenta penitus non celebrari» (*Ep.* 25, 4: PL 20, 555 B-556 A).

Secundum consuetudinem primorum saeculorum, paschale sacrum ieiunium, quod celebratur Feria VI in Passione Domini, et iuxta opportunitatem etiam Sabbato Sancto usque ad Vigiliam Paschatis (cf. Normae universales de Anno liturgico et de Calendario, n. 20), com-

prehendit etiam ieiunium seu abstinentiam a celebratione eucharistica. Huiusmodi manet ratio necnon significatio rubricae, n. 1 Feriae VI in Passione Domini.

Adnotatio addenda:

1407

Ad quaestionem «Hic illic usus invaluit organo comitandi recitationem Precis eucharisticae. Potestne hoc admitti?», responsio huiusmodi invenitur in N 13 (1977) 94-95:

N. 12 Institutionis Generalis Missalis Romani aperte dicit: «Natura partium «praesidentialium» exigit ut clara et elata voce proferantur et ab omnibus cum attentione auscultentur. Proinde dum sacerdos eas profert, aliae orationes vel cantus non habeantur atque organum vel alia instrumenta musica sileant».

[95] Norma ponitur clara, quae in dubium vocari nequit, dum incommoda revocat, quae participationem fidelium in hac parte centrali Missae haud modice impediunt et adulteraverunt.

De cetero, notum est «subfundum» organi, ut aiunt, plerumque «sub» ducere quod emergere et dominari oporteret. Nemo illo «subfundo» homiliam sacerdotis comitaret: sed in Prece eucharistica verbum praesidis seu «Tou proestou», ut locutio Iustini adhibeatur, culmen significationis attingit.

Adnotationes addendae:

1416

Ad dubium propositum, «an post Communionem fideles sedere debeant necnon?», responsio huiusmodi invenitur in N 10 (1974) 407: Post Communionem fideles aut genuflectere, aut stare, aut sedere possunt. Non agitur proinde de obligatorietate sed de possibilitate.

Ad quaestionem: «Contingit in coetibus liturgicis magna varietas gestuum et corporis habituum in cursu celebrationis. Exempli gratia debentne fideles: a) stare durante oratione super oblata?, b) genuflectere post Sanctus ac tota Prece eucharistica durante?, c) sedere post Communionem?» responsio huiusmodi invenitur in N 14 (1978) 300-301: Ut assolet, IGMR dat regulas simplicissimas ad has quaestiones solvendas (n. 21):

a) Fideles stant dum orationes praesidentiales proferuntur; ergo etiam durante oratione super oblata;

[301] b) Item, fideles stant durante tota Prece eucharistica, excepta consecratione. Practice, fideles genuflexi manent ab epiclesi ante consecrationem usque ad acclamationem post consecrationem.

c) Fideles sedere possunt durante silentio post communionem.

Ea quae supra definiuntur minime supervacanea censeda sunt, quia eo tendunt, ut unitas sese gerendi habeatur in coetu qui Eucharistiam celebrat, et ideo manifestetur unitas in fide et in cultu communitatis. Videntur saepe fideles, statim post *Sanctus*, et adhuc saepius post consecrationem, corporis habitu diverso quasi oblivisci se esse participes Liturgiae Ecclesiae, quae est summa actio communitatis, et non tempus sese alienandi in actionem devotionis privatae.

1424 Adnotatio addenda:

Ad quaestionem: «In quibusdam formulis proferendis, uti v.g. *Confiteor, Agnus Dei, Domine non sum dignus*, tum ex parte sacerdotum tum ex parte fidelium gestus verba comitantes non semper iidem habentur: nonnulli in supradictis formulis dicendis triplici ictu pectus sibi percutiunt, alii vero semel. Quisnam usus legitime retinendus videtur?» responsio huiusmodi invenitur in N 14 (1978) 534-535; Haec in casu meminisse iuvabit:

1) Gestus et verba saepe saepius vim sibi invicem conferunt.  
2) Hac in materia, ut in ceteris, liturgica instauratio veritatem et simplicitatem prosecuta est, secundum illud Sacrosancti Concilii: «Ritus nobili simplicitate fulgere debent...» (SC, n. 34).

Dum in Missali Romano, auctoritate Concilii Tridentini promulgato, gestus etiam minimi frequentissime verba prosequerantur, Missalis Romani, auctoritate Concilii Vaticani II instaurati, rubricae discretionis perspicuae inveniuntur quoad gestus.

[535] Quibus dictis:

a) Verba *mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa* quae in *Confiteor* inveniuntur, huiusmodi rubrica in Missali Romano instaurato introducuntur: «Omnes simul ... percutientes sibi pectus, dicunt ...» (OM, n. 3). In priore Missali, eodem loco, rubrica sic sonabat: «Percutit sibi pectus ter». Non videtur igitur quod ter sibi pectus percutere aliquis debeat, in proferendis latino vel alio sermone talibus verbis, etiamsi dicatur *mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa*. Sufficit quod percussio pectoris fiat.

Patet etiam quod unus tantummodo gestus sufficit in illis linguis, in quibus verba ad culpam manifestandam simpliciore modo reddita sunt, uti, verbi gratia, lingua anglica: «I have sinned through my own fault», vel lingua gallica: «Oui, j'ai vraiment péché».

b) Missalis Romani instaurati discretio manifestatur praecipua etiam in ceteris memoratis textibus, scilicet *Agnus Dei* et *Domine, non sum dignus*, qui verbis aliquomodo paenitentiae et humilitatis fractionem panis et invitationem fidelibus ad Eucharistiam suscipiendam comitantur.

Uti dictum est in responsione n. 2 Commentariorum «Notitiae» 1978, p. 301 (cf. infra adnotationem ad n. 1446): ubi rubricae Missalis Pauli VI nihil dicunt, non ideo inferendum est quod servare oporteat antiquas rubricas. Missale instauratum antiquum non supplet, sed substituit. Revera Missale prius ad *Agnus Dei* indicabat: «ter pectus percutiens»; et in proferendo triplex *Domine, non sum dignus* «percutiens: pectus ... ter dicit». Cum vero Missale novum nihil de hoc dicat (OM 131 et 133), nulla ratio postulat ut his invocationibus gestus aliquis adiungatur.

1426 Adnotatio addenda:

Ad quaestionem: «Quando *Gloria* et *Credo* non canuntur sed tantummodo proferuntur, aliquando celebrans recitationem alternatim instituit cum populo de his textibus. Cum vero agatur de hymno atque fi-

dei professione, quae coetum universum aliquomodo secum trahunt, quaeritur num huiusmodi praxis secundum rubricas inveniatur.» responsio huiusmodi invenitur in N 14 (1978) 538:

Rubricae OM, modo pratico exaratae, de hymno *Gloria* haec tantummodo habent: «cantatur vel dicitur hymnus» (n. 5); et quoad *Credo*: «fit ... professio fidei» (n. 15). Uti plerumque evenit, IGMR progressum indolis spiritualis manifestat (nn. 31 et 43), qui naturam communitariam his textibus propriam inducit, formam dialogi in proferendo minime excludens. Et re vera:

a) Quoad *Gloria*, IGMR, n. 31, ratione servata valoris, haec habet: «Cantatur vel a coetu fidelium, vel a populo alternatim cum schola, vel ab ipsa schola. Si non cantatur, recitandum est ab omnibus, simul aut alternatim». Ita hymnus *Gloria* potius cani debet. Alioquin ab omnibus recitatur sive una simul sive alternatim. Celebrans autem seipsum sociabit in casu sive cantui sive communi proclamationi coetus, aut uni e coetibus, qui dialogum inter se faciunt, aut ipse hymnum profert alternatim cum coetu.

b) Quoad *Credo*, IGMR, n. 44 dicit: «Symbolum autem dicendum est a sacerdote cum populo ... Si vero in cantu profertur, de more ab omnibus aut alternatim cantetur». Ergo, sive cantatus sive recitatus, *Credo* est cuncti coetus liturgici, qui ipsum proclamant per modum unius («ab omnibus»), vel cantat duobus alternantibus choris.

#### Adnotatio addenda:

1429

Ad quaestionem: «Ante biblicas lectiones, interdum presbyteri vel lectores laici proclamant subtítulos pericopae vel etiam rubricam: *Prima lectio, altera lectio*, etc. Fas est hanc consuetudinem sequi?» responsio huiusmodi invenitur in N 14 (1978) 303:

Patet quod non. Sicut omnes rubricae, tituli *prima lectio, secunda lectio* sunt indicationes in commodum legentis. Circa subtítulos, qui constant, vel ex sententia e textu decerpta, vel ex compendio ipsius lectionis, sunt pariter indicationes utiles ad delectum peragendum inter diversos textus, praesertim in Communibus. Unicus titulus proferendus, ille est quo liber biblicus vel, si casus fert, eius auctor enuntiantur. Exempli gratia: *Lectio Epistolae secundae beati Pauli apostoli ad Timotheum ... Lectio sancti Evangelii secundum Marcum*.

#### Novus textus:

1437

42. Diebus dominicis et festis de praecepto homilia habenda est nec omitti potest nisi gravi de causa, in omnibus Missis, quae concurrente populo celebrantur; ceteris vero diebus commendatur, praesertim in feriis Adventus, Quadragesimae et temporis paschalis, necnon in aliis festis et occasionibus, in quibus populus frequentior ad ecclesiam convenit.<sup>37</sup>

Homilia de more ab ipso sacerdote celebrante habeatur.

<sup>37</sup> Cf. SRC, Instr. *Inter Oecumenici*, 26 sept. 1964, n. 53: AAS 56 (1964) 890.

1439 Cf. adnotationem addendam ad n. 1426.

1444 Adnotatio addenda:

Ad quaestionem: «Ad offertorium Missae communitatis, nonnulli (religiosi, religiosae, laici) deferunt ad altare panem et vinum consecrandum, quae dona a sacerdote celebrante accipiuntur. Omnes coetum participantes processionem, qua dona afferuntur, una simul comitantur et circum altare sistunt usque ad communionem. Modus hic agendi estne conformis spiritui litterae et Missalis Romani?» responsio huiusmodi invenitur in N 17 (1981) 61:

Certo certius celebratio eucharistica actus est communitatis, qui a cunctis coetus liturgici membris peragitur. Nihilominus unusquisque habere necnon servare debet locum suum et munus ipsi proprium: «quisque sive minister sive fidelis, munere suo fungens, solum et totum id agat, quod ad ipsum ex rei natura et normis liturgicis pertinet» (*Sacrosanctum Concilium*, n. 28).

In liturgia eucharistica peragenda solus celebrans qui praesidet manet ad altare; coetus participantium locum tenet in ecclesia extra presbyterium quod celebranti vel concelebrantibus et ministris servatur.

1446 Adnotatio addenda:

Ad quaestionem: «In Missa cum populo modo sollemniore celebranda, adhibentur diversi modi turificandi oblata et altare: alter simplex ac planus, alter idem ac ritus turificandi praescriptus in praecedenti Missali. Quinam usus sequendus est?» responsio huiusmodi invenitur in N 14 (1978) 301-302:

Numquam obliviscendum est Missale Pauli Papae VI, inde ab anno 1970, successisse in locum illius, qui improprie «Missale S. Pii V» nuncupatur,<sup>1</sup> idque ex integro, sive pro textibus, sive pro rubricis. Ubi rubricae Missalis Pauli VI nihil dicunt aut parum dicunt singillatim in nonnullis locis, non ideo inferendum est quod oporteat servare ritum antiquum. Proinde, non sunt iterandi gestus multiplices atque implexi turificationis iuxta praescripta Missalis prioris (cf. *Missale Romanum*, T.P. Vaticanis, 1962: Ritus servandus VII et Ordo Incensandi, LXXX-LXXXIII).

In turificando, celebrans (IGMR, nn. 51 et 105) hoc simplici modo procedat:

a) erga oblata: triplici ductu turificat, sicut agit diaconus erga Evangelium;

b) erga crucem: triplici ductu turificat, quando ante eam celebrans venit;

[302] c) erga altare: passim turificat a latere, dum circuit altare, nulla distinctione facta inter mensam et latera.

1451 Adnotatio addenda ad litteram e):

Ad quaestionem, «quoties dicendum aut canendum sit *Agnus Dei*, ex

<sup>1</sup> Vide studium Petri Jounel: *L'évolution du Missel Romain de Pie IX à Jean XXIII*: N 14 (1978) 246-258; praesertim 255, sub anno 1952.

iis quae in Ordine Missae innuuntur», responsio huiusmodi invenitur in N 14 (1978) 306:

Ratio huius textus est comitari fractionem panis consecrati donec particula immittatur in calicem (IGMR, n. 56e). Practice, duo casus considerandi sunt:

a) Si praesidens est unicus celebrans, vel si pauci adsint concelebantes, tunc fractio panis satis celeris est. De more *Agnus Dei* ter dictum vel cantatum, ut traditur in *Ordine Missae* 131, sufficit ad comitandam actionem.

b) In casu quo multi sint concelebantes vel fractio panis diutius prorogetur, tunc potest pluries iterari *Agnus Dei* usque ad finem fractionis, secundum rubricam OM 131: «Quod etiam pluries repeti potest ...» et iuxta indicationem IGMR, n. 56e: «Haec invocatio repeti potest quoties necesse est ...»

Cf. etiam adnotationem addendam ad n. 1424.

Adnotatio addenda ad litteram f):

Ad quaestionem: «Immixtione peracta, durante oratione *Domine Iesu Christe* vel *Perceptio corporis*, nonnulli celebrantes manus iunctas super altare adhuc imponunt atque, capite inclinato, textum orationis secreto proferunt. Estne modus iste adhuc servandus?» responsio huiusmodi invenitur in N 14 (1978) 537-538:

Vestigia rituum antiquorum iterum his in rebus deprehenduntur. Ad dubium solvendum attendendae sunt semper normae OM, cura habitae ne quid adiungatur et principio a Summo Pontifice Ioanne XXIII humaniter dato etiam hac vice prae oculis habito: «Contorta et difficilia, simplicia reddite; simplicia autem nolite perturbare».

[538] Vetus Ritus servandus revera circa hanc orationem ita indicabat (X, 3): «Tunc manibus iunctis super altare positus, oculisque ad Sacramentum intentis, inclinatus dicit secreto ...». OM Pauli VI (n. 132) pressius definit quod in n. 114 dicitur IGMR: «Sacerdos, deinde, manibus iunctis, dicit secreto». Quapropter celebrans positione erecta stat, manibus ante pectus iunctis.

Ad litteram g) cf. adnotationem addendam ad n. 1424.

Novus textus notae 44:

56. h) Valde optandum est, ut fideles ex hostiis, in eadem Missa consecratis, Corpus dominicum sumant et in casibus praevisis calicem participant, quo etiam per signa Communio melius appareat participatio sacrificii, quod actu celebratur. <sup>44</sup>

Adnotatio addenda ad litteram a):

1452

Ad quaestionem: «Usus benedictionum sollemnium et precum super populum quae in Missali Romano inveniuntur (in editione typica altera 1975, pp, 495-511) conclusionem Missae maiori amplitudine et

<sup>44</sup> Cf. SRC, Instr. *Eucharisticum mysterium*, 25 maii 1967, nn. 31-32: AAS 59 (1967) 558-559; de *sanctissima Eucharistia iterum eadem die suscipienda*: cf. CIC can. 917.

sollemnitate exornat. Hic ritus finalis magis in dies invalescit, deinceps ac textus vertuntur et in Missalis uniuscuiusque regionis inseruntur. Habetur tamen etiam in hac re praxis diversa:

a) Celebrans omittit salutationem *Dominus vobiscum*, quae praecedit benedictionem.

b) Diaconus vel celebrans omittit invitatorium: *Inclinate vos ad benedictionem*, ut in Missali (MR 495 et 507).

c) Presbyter omittit extendere manus super populum (MR 495 et 507).

d) Ad benedictionem, presbyter quandoque verbis utitur. *Benedicat vos ...*, quandoque: *Et benedictio Dei ...*,

responsio huiusmodi invenitur in N 14 (1978) 306-307:

Dubia orta ex his differentiis, etiam in hoc casu, solvi possunt ex at-  
tenta lectione Missalis Romani:

[307] a) Rubricae Missalis (IGMR, n. 124; *Ordo Missae* 142) presse statuunt conclusionem celebrationis sic evolvendam esse: primum salutatio («sacerdos ... salutatur populum»), deinde benedictio («subdit ... benedicens»), postea valedictio («statim subiungit»). Praeterea, loco formulae consuetae benedictionis: *Benedicat vos ...*, quae sequitur salutationem celebrantis, potest assumi aliqua e benedictionibus sollemnibus vel e precibus super populum. Patet has formulas stare pro textu benedictionis ordinariae. Ipsi proinde praeponenda est salutatio celebrantis: *Dominus vobiscum*.

b) Rubrica quae est in capite huius partis Missalis habet: «... dicere potest invitatorium: *Inclinate vos ad benedictionem*» (MR 495 et 507). Ergo diaconus, vel sacerdos celebrans, libere potest hoc invitatorium recitare, vel aliis verbis enuntiare, vel omnino omittere.

c) Ex adverso, eadem rubrica indicat explicite: «Sacerdos, manibus super populum extensis, dicit benedictionem». Sacerdos igitur tenet manus extensas super populum durante tota benedictione, populo interim respondente *Amen* ad singulas partes ipsius benedictionis. Eundem gestum peragit etiam super coetum durante oratione super populum.

d) Celebrans dicit de more: *Benedicat vos ...* (MR editio typica altera, 495-506).

1456 Adnotatio addenda:

Ad dubium propositum, «utrum diaconus sacerdotibus religiosis adstantibus legitime possit homiliam habere», responsio huiusmodi invenitur in N 12 (1976) 47:

Diaconus est minister ordinarius verbi Dei sicut et Baptismi celebrandi atque Communionis distribuendae. Qua talis legitime ipse post Evangelium proclamatum facit homiliam, sicut habetur in n. 61 Institutionis generalis Missalis romani, qui adiungit verbum «aliquando». Itaque diaconus munus sibi proprium in verbo Dei praedicando exercere valet, quin presbyteros supplantet in fidelium institutione.

1475 Adnotatio addenda ad litteram c):

Ad quaestionem: «Per multis in locis rare adhibetur velum ad calicem



cooperiendum qui in abaco ante Missam paratur. Num normae recentiores datae sunt ad usum huiusmodi supprimendum?» responsio huiusmodi invenitur in N 14 (1978) 594:

Nulla norma ne recens quidem data est, quae n. 80c IGMR immutet, ubi legitur: «Calix cooperiatur velo, quod potest esse semper coloris albi».

Cf. adnotationem addendam ad n. 1444.

1496

Cf. adnotationem addendam ad n. 1446.

1500

Adnotatio addenda:

1503

Ad quaestionem: «Nonnulli celebrantes consuetudinem habent manus elevandi, deinde eas coniungendi, durante dialogo qui Praefationem antecedit, et initio benedictionis ultimae. Alii vero gestus huiusmodi neglegunt. Quid vero faciendum?» responsio huiusmodi invenitur in N 14 (1978) 537:

Ut plerumque accidit, agitur de habitu qui e rubricis Missalis prioris provenit. Servandae autem sunt indicationes OM, quae in duobus al-  
latis casibus clarae sunt:

a) ad dialogum Praefationis quod attinet, n. 27 (MR 392) exacte dicit:

- «manus extendens, dicit: *Dominus vobiscum*.
- manus elevans, prosequitur: *Sursum corda*.
- manibus extensis, subdit: *Gratias agamus Domino Deo nostro*.
- prosequitur Praefationem, manibus extensis».

Proinde ritus pristinus retinendus non est, qui inter alia hoc in momen-  
to celebrationis significabat: «Iungit manus ante pectus et caput incli-  
nat, cum dicit: *Gratias agamus ...*»

b) Ad benedictionem in fine Missae quod attinet, novus OM dicit tan-  
tummodo (n. 142): «Sacerdos benedicit populum, dicens ...» dum ru-  
bricae prioris Ordinis, post dimissionem *Ite, Missa est*, sic indicabant  
gestum benedictionis quinque evolutum temporibus: «Elevatis oculis,  
extendens, elevans, et iungens manus, caputque Cruci inclinans, dicit:  
*Benedicat ... et versus ad populum ...* prosequitur: *Pater ...*» Nunc ve-  
ro simplex gestus ille requiritur, qui a respondenti rubrica indicatur,  
scilicet signum crucis super populum facit, dum verba *Pater, et Filius*  
... profert.

Adnotatio addenda:

1505

Ad dubium propositum, «num admitti possit usus hic illic vigens quo  
Missam participantes, loco sibi invicem pacem significandi ad invita-  
tionem diaconi, manum amplectuntur dum canitur oratio dominica»,  
responsio huiusmodi invenitur in N 11 (1975) 226:

Manus amplecti per longum tempus per se est potius signum commu-  
nionis quam pacis. Ceteroquin est gestus liturgicus spontanea sed pri-  
vato inceptu inductus: non invenitur in rubricis. Nec intelligitur qua  
ratione supprimatur gestus pacis ad invitationem «offerte vobis pa-  
cem», qui tantam habet significationem, gratiam et indolem christia-

nam, ut inducatur aliud signum minoris significationis in aliud momentum Missae. Qua de re si agitur de substitutione haec est simpliciter improbanda.

1508 Adnotatio addenda:

Ad dubium propositum, «utrum cantus "Shalom" substituere possit cantus "Agnus Dei"», responsio huiusmodi invenitur in N 11 (1975) 205:

Negative. Ordinarium Missae servandum est in omnibus suis partibus uti in Missali invenitur. Quaedam levis aptatio innuitur in Directorio pro Missis cum pueris n. 31 (cf. N 10 [1974] 14). Sed quod statuitur "pro pueris" nequit ad alios transferri coetus.  
Cf. etiam adnotationem addendam ad n. 1424.

1509 Cf. adnotationem addendam ad n. 1451 f.

1510 Cf. adnotationem addendam ad n. 1424.

1511 Adnotatio addenda:

Die 29 octobris 1982 Ioannes Paulus II sequentes decisiones Patrum SCDF relate ad dubia proposita approbavit et publici iuris fieri iussit: AAS 74 (1982) 1298 (Germ.: ÖAfkR 34 [1983/84] 183):

D. 1) Utrum sacerdoti, qui ratione alcoholismi vel alius infirmitatis secundum iudicium proprii medici non potest sumere ne illam quidem minimam quantitatem vini consecrati quae in Missa adhiberi solet, suggerendum sit ut communicetur «per intinctionem» in Missa celebrata.

R. *Affirmative.*

D. 2) Utrum Ordinarius loci permittere queat sacerdoti, qui in eadem versatur conditione, ut etiam solus celebret Missam sese communicans «per intinctionem», dummodo fidelis, qui Missae assistat, consummet quod de vino consecrato remansit.

R. *Affirmative.*

1512 Adnotatio addenda:

Die 29 octobris 1982 Ioannes Paulus II sequentes decisiones Patrum SCDF relate ad dubia proposita approbavit et publici iuris fieri iussit: AAS 74 (1982) 1298 (Germ.: ÖAfkR 34 [1983/84] 184):

D. 1) Utrum Ordinarius loci permittere possit communionem sub sola specie vini illis fidelibus, qui morbo sic dicto celiachia laborant, cuius ratio curandi exigit, ut a glutine, praesenti in farina frumenti ac proinde etiam in pane eucharistico, abstineant.

R. *Affirmative.*

D. 2) Utrum Ordinarius loci permittere possit, ut pro supradictis fidelibus sacerdos speciales hostias, quibus glutinum ablatum est, consecret.

R. *Negative.*

Cf. adnotationes addendas ad n. 1416. 1516

Cf. adnotationes addendas ad nn. 1452a et 1503. 1519

Novus textus: 1548

153. Concelebratio qua unitas sacerdotii et sacrificii necnon totius populi Dei opportune manifestatur, ipso ritu praecipitur in ordinatione episcopi et presbyteri necnon in Missa chrismatis.

Commendatur autem, nisi utilitas christifidelium aliud requirat aut suadeat:

a) Feria V Hebdomadae sanctae ad Missam vespertinam;

b) ad Missam in Conciliis, Conventibus Episcoporum et Synodis;

c) ad Missam in benedictione abbatis;

d) ad Missam conventualem et ad Missam principalem in ecclesiis et oratoriis;

e) ad Missam in conventibus cuiusvis generis sacerdotum tum saecularium tum religiosorum. <sup>62</sup>

Novus textus: 1550

155. Episcopi est, ad normam iuris, concelebrationis disciplinam in sua dioecesi moderari, etiam in exemptorum ecclesiis et oratoriis. <sup>64</sup>

Adnotatio addenda: 1565

Ad quaestionem: «In concelebrationibus peragendis, modi differentes inveniuntur in sequentibus actionibus:

a) Interdum, probe distinguitur vox celebrantis principalis, dum concelebantes submissa seu modesta voce Precem eucharisticam profertur. Alibi, e contra, quoddam quasi certamen elatarum vocum auditur, dum unusquisque ceteros quasi superare contendit.

b) In epiclesi peragenda ante consecrationem, non omnes celebrantes manus protendant erga oblata ad invocandam actionem Sancti Spiritus, dum diligentissimi sunt in protendenda manu durante consecratione.

c) In ipsa epiclesi nonnulli manum retrahunt simul ac celebrans principalis signaverit super oblata, dum alii porrectas tenent manus donec textus epiclesis finiatur.

Quinam modus sequendus est?»

responsio huiusmodi invenitur in N 14 (1978) 304:

Ad optimum secernendum in hac varietate, satis erit perpendere naturam functionum, quae peraguntur ab unoquoque, et naturam gestuum ipsis respondentium.

a) Iuxta IGMR, n. 170, coetus fidelium distincte percipere debet vocem praesidentis: quod obtineri potest mediante microphonio sensibili et bene collocato, et praesertim ex modestia vocum concelebrantium

<sup>62</sup> Cf. *Sacrosanctum Concilium*, n. 57; CIC can. 902.

<sup>64</sup> Cf. *Ritus servandus in concelebratione Missae*, n. 3.

(«submissa voce»). Alioquin, in secundo casu considerato, unitas tenoris et rhythmici ad intellegendum textum ex parte coetus obtineri nequit.

b) Illud satis curiosum est, quod Missalis normae contemplantur casum plane oppositum quam qui supra consideratur: durante epiclesi consecrationis omnes celebrantes debent imponere manus super oblata (IGMR, nn. 174a, 180a, 184a, 188a: «manibus ad oblata extensis») in invocanda actione Spiritus sanctificantis; dum consecratione durante, concelebantes tendunt manum dexteram ad panem et calicem, «si opportunum videtur» (IGMR, nn. 174c, 180c, 184c, 188c): idque dum recitant «verba Domini», scilicet usque ad *Hoc facite in meam commemorationem* inclusive.

c) Actus imponendi manus debet comitari verba precis. Hac de causa rubricae OM (90, 103, 110, 119) indicant finem huius actus per verba: «iungit manus».

1569 Ad litteram a) cf. adnotationem addendam ad n. 1565.

1575 Ad litteram a) cf. adnotationem addendam ad n. 1565.

1579 Ad litteram a) cf. adnotationem addendam ad n. 1565.

1583 Ad litteram a) cf. adnotationem addendam ad n. 1565.

1586 Adnotatio addenda:

Ad quaestionem: «In proclamanda vel cantanda doxologia qua Praex eucharistica concluditur, revera satis diversi usus observantur:

a) Interdum haec conclusio dicitur vel canitur a solo celebrante principali.

b) De more dicitur vel canitur ab omnibus concelebantibus.

c) Alicubi haec conclusio dicitur aut canitur ab universo coetu.

Quaenam regula sequenda est?»

responsio huiusmodi invenitur in N 14 (1978) 304-305:

In omni coetu, praesidentis est ex more aperire et claudere actionem, cuius causa coetus congregatur. In casu Eucharistiae, pars essentialis totius celebrationis est plane Praex eucharistica, quae pergit a praefatione ad doxologiam finalem inclusive. Proinde, praesidentis est aperire hanc Praeces per praefationem, quam sequitur *Sanc-tus*, ubi intervenit coetus, deinde profertur *Vere Sanctus* (aut parilis textus) a solo praesidente. Circa conclusionem, tres casus supra relati has animadversiones postulant:

a) Iure competit praesidenti, qui Praeces eucharisticam aperuit, ipsam quoque claudere in recitanda doxologia finali. Hoc demum in primis indicat IGMR, n. 191: «Doxologia finalis Praeces eucharisticae a solo celebrante principali... profertur».

b) Secundus casus est potissimum in usu, qui quidem usus celeriter et universaliter diffusus est inter concelebantes proclamantes aut cantantes simul hanc conclusionem. Hic usus pariter est iuxta IGMR, n.

191, ubi in secunda parte talis usus significatur: «...aut ab omnibus concelebrantibus una cum celebrante principali profertur».

c) Secus ac in duobus prioribus casibus, proclamatio vel cantus huius conclusionis ab universo coetu peracta, est extensio illegitima, non modo sub simplici aspectu disciplinari cum sit contra normas nunc vigentes, sed altiore quoque ratione, qua nimirum pugnat cum ipsa natura ministeriorum et textuum.

Etiamsi extensionem ad universum coetum aliquis interpretari posset veluti signum desiderii, quod coetus haberet magis magisque actioni liturgicae participandi, opus tamen est, ut coetus hoc faciat recte et secundum veritatem. Haec apparens progressio est reapse regressio: etenim manifestat oblivionem partis quae unicuique obtingit in liturgica celebratione. Cf. *Sacrosanctum Concilium*, n. 28: «...quisque, sive minister sive fidelis, munere suo fungens, solum et totum id agat, quod ad ipsum ex rei natura et normis liturgicis pertinet».

Accidit quod in hoc tertio casu, plerumque *Amen* finale a nemine vel vix umquam dicitur aut canitur. Si e contra observantur indicationes datae in OM (100, 108, 115, 124: «Populus acclamat: *Amen*») adhiberi possunt, ad amplificandam hanc responsionem, cantus ornati qui vim et sollemnitatem afferunt acclamationi totius populi.

(Videatur, exempli gratia, triplex *Amen*, quod canitur a populo in missis a Summo Pontifice celebratis, aut simplicius *Amen* in Missale Gallicanum 1974, p. [130] relatum).

Cf. adnotationem addendam ad n. 1511.

1595

Novus textus:

1606

211. Celebratio sine ministro vel aliquo fidei non fiat nisi iusta et rationabili de causa. Hoc in casu salutationes et benedictio in fine Missae omittuntur.

Adnotatio addenda:

1629

Ad quaestionem: «Quidam gestus reverentiae ponendi sive ex parte celebrantis sive ex parte fidelium, in desuetudinem aliquomodo venerunt, uti, verbi gratia, inclinatio corporis profunda, facienda loco genuflexionis antea adhibitae ad verba quae Mysterium Incarnationis in professione fidei annuntiant. Suntne gestus isti adhuc servandi?» responsio huiusmodi invenitur in N 14 (1978) 535-536:

Patet quod homo fidem suam necnon devotionem et reverentiam non tantum verbis sed etiam gestibus et habitu corporis exprimere debet. Hoc autem maiore cura fieri oportet, cum gestus qui post restaurationem liturgicam praescribuntur, minus frequenter et simpliciores indicentur.

[536] Ita OM et IGMR nonnulla momenta assignant, in quibus gestus verba comitari debeant. Sufficit recolere n. 234 IGMR ad huiusmodi casus diversos agnoscendos:

*Inclinatio capitis* fit cum Divinae Personae simul nominatur, ad nomen

Iesu, Beatae Mariae Virginis et Sancti, in cuius honorem Missa celebratur.

*Inclinatio corporis* seu profunda fit ad altare, si tabernaculum cum SS.mo Sacramento non adsit; ad orationes *Munda cor meum, In spiritu humilitatis, Supplices te rogamus*; ad verba *Et incarnatus est... homo factus est* in professione fidei. Hoc in casu etiam rubrica OM n. 15 habet: «Omnes se inclinant».

Memnisse iuvabit quod in Nativitate Domini, tum ad Missam in Vigilia, tum ad Missam in nocte, in aurora, in die, ad verba *Et incarnatus est* genuflectitur (cf. MR 153, 155, 156, 157); similiter ad Missam in Annuntiatione Domini (cf. MR 538).

Pro consecratione panis et vini, in eodem n. 234 praescribitur: «Sacerdos parum se inclinat cum, in consecratione, verba Domini profert» (IGMR, n. 234b). Insuper ipse genuflectit «post ostensionem hostiae, post ostensionem calicis» (IGMR, n.233); «genuflexus adorat» (OM 91-92, 104-105, 111-112, 120-121).

Ad concelebrentes quod attinet, ipsi stant ad elevationem hostiae et calicis, ea aspicientes, ac postea profunde se inclinant (IGMR, nn. 174c, 180c, 184c, 188c).

Similiter ante communionem, gestus reverentiae et fidei ponitur sive ex parte celebrantis sive ex parte fidelium, qui Eucharistiam accipiunt. Ita pro *celebrante* IGMR, n. 115 et OM 133 dicunt: «...sacerdos genuflectit, accipit hostiam, etc.»; similiter pro *concelebrantibus* a Missali statuitur: «Concelebrantes... genuflectunt et Corpus Christi reverenter ex altari accipiunt» (IGMR, n. 197). Ad *fideles* vero quod attinet, quando Eucharistiam stantes accipiunt, aliquod signum reverentiae facere debent (IGMR, nn. 244c, 245b, 246b, 247b).

#### 1633 Adnotatio addenda:

Ad quaestionem: «Distributione Communionis expleta, saepe conspicitur sacerdos purificans vasa sacra (calicem, patenam et pyxidem) in medio altaris. Nonne locus et tempus ad hoc faciendum aptiora eligi possunt? Potestne alius minister vasa sacra purificare?» responsio huiusmodi invenitur in N 14 (1978) 593-594:

a) Serventur indicationes in IGMR contentae. Principium generale habetur in n. 238: «Vasa sacra purificantur a sacerdote vel a diacono vel ab acolytho post Communionem vel post Missam, quantum fieri potest ad abacum». Indicatio relate ad tempus (post Communionem vel post Missam) completur a n. 229 quoad locum: «Purificatio calicis fit ad latus altaris». Quo praescripto innuitur quod celebrans numquam stat in medio altaris, dum vasa sacra purificat (cf. etiam n. 120).

b) Alia peculiaria aliis in locis eiusdem IGMR inveniuntur. Quoad sacerdotem in n. 120: «Distributione Communionis expleta, sacerdos, ad altare reversus, colligit fragmenta, si quae sint; deinde stans ad latus altaris, vel ad abacum, purificat patenam vel pyxidem super calicem, postea purificat calicem... et... purificatorio exterget. Si vasa purificata sunt ad altare, a ministro deferuntur ad abacum. Licet

tamen vasa purificanda, praesertim si sint plura, opportune cooperta, in altari vel abaco super corporale relinquere eaque post Missam, populo dimisso, purificare».

Quoad diaconum in n. 138: «Distributione Communionis expleta, diaconus cum sacerdote ad altare revertitur, colligit fragmenta, si quae sint, deinde portat calicem et alia vasa sacra ad abacum, ibique ea purificat et de more componit...Licet tamen vasa purificanda, oport[594]tune cooperta, in abaco super corporale relinquere, eaque, post Missam, populo dimisso, purificare».

Quoad acolythum in n. 147: «Distributione Communionis expleta, sacerdotem vel diaconum in vasis sacris purificandis et componendis adiuvat. Absente vero diacono, acolythus vasa sacra ad abacum defert ibique purificat et componit».

Quae de sacerdote, de diacono et de acolytho dicuntur, valent etiam pro ministro extraordinario qui legitime Communionem distribuit (cf. SCDS, Instr. *Immensae caritatis*, 29-I-1973; *Rituale Romanum*, *De sacra Communione et de Cultu mysterii eucharistici extra Missam*, 21-VI-1973, n. 17).

Cf. insuper IGMR n. 229 ad sacerdotem quod attinet Missam sine populo celebrantem, nn. 202-206 ad Missam concelebratam quod attinet.

Novus textus n. 6):

1637

242. De iudicio Ordinarii et debita catechesi praemissa, Communio calicis permittitur in sequentibus casibus:

6) In administratione Viatici, infirmo et omnibus astantibus, cum Missa in domo infirmi celebratur;

Novus textus:

1650

255. Ecclesiae omnes sollemniter dedicentur aut saltem benedicantur. Cathedralis vero et paroeciales dedicentur semper. Fideles autem ecclesiam cathedralem suae dioeceseos et suam ecclesiam debito honore prosequantur, et eas veluti signum spiritalis illius Ecclesiae habeant, ad quam aedificandam et dilatandam ex professione sua christiana destinantur.

Novus textus:

1657

262. De more adsit in ecclesia altare fixum et dedicatum, quod exstruatur a pariete seiunctum, ut facile circumiri et in eo celebratio versus populum peragi possit. Eum autem occupet locum, ut revera centrum sit ad quod totius congregationis fidelium attentio sponte convertatur.<sup>81</sup>

Novus textus:

1660

265. Altaria tum fixa tum mobilia iuxta ritum in libris liturgicis descriptum dedicantur; altaria tamen mobilia benedici tantum possunt.

<sup>81</sup> Cf. SRC, Instr. *Inter Oecumenici*, 26 sept. 1964, n. 91: AAS 56 (1964) 898.

1661 Novus textus:

266. Usus deponendi sub altari dedicando reliquias Sanctorum, etsi non Martyrum, servetur. Caveatur tamen ut de huiusmodi reliquiarum veritate certo constet.

1662 Novus textus:

267. Alia altaria numero sint pauciora et, in novis ecclesiis, in sacellis ab ecclesiae aula aliquomodo seiunctis collocentur.<sup>82</sup>

1667 Adnotatio addenda:

Ad quaestiones: «In casu quo presbyter qui, parvo adstante coetu, celebret, sine sede celebranti destinata ac sine loco proprio pro Liturgia verbi peragenda, potestne sacerdos:

*a)* ad altare permanere durante ipsa Liturgia Verbi?

*b)* ponere Missale in latere dextro vel in medio altaris?

*c)* quodnam latius sinistrum vel dextrum altaris nuncupatur?»

responsiones huiusmodi inveniuntur in N 14 (1978) 302:

*a)* Normae liturgicae vigentes plane distinguunt ab altari locum verbi proclamandi (IGMR, nn. 257-272). Si loca nondum sunt iuxta instauratam Liturgiam — quod sine mora fieri debet — opus est saltem sedem pro celebrante et pluteum mobilem pro lectore disponere. Ubi ipse celebrans lector esse debeat, praesertim pro Evangelio, proclamet ex pluteo mobili. In casu perraro, quo ne scamnum quidem poni possit, presbyter potest ad altare consistere, Missali et Lectionario super altaris «legile» exstantibus.

*b)* Hoc «legile» manifeste collocari debet in loco aptiore ad celebrantis lectionem, verbi gratia in medio altaris. Usus collocandi «legile» in latere sinistro pervenit ab aetate qua calix ab initio Missae erat in medio altaris. Quod quidem nunc, post instaurationem liturgicam, minime obtingit, cum calix collocetur in abaco, extra altare.

*c)* Nuncupatur altaris latus sinistrum quod a sinistra, dextrum quod a dextra celebrantis est.

1668 Adnotatio addenda:

Ad indicationem: «Alicubi, sublata sunt genuflexoria in ecclesiis, quapropter fideles tantum stare vel sedere possunt, non sine detrimento reverentiae et adorationis Eucharistiae debitae» responsio huiusmodi invenitur in N 14 (1978) 302-303:

Supellex aedium sacrarum aliquam relationem habet ad consuetudines uniuscuiusque loci. Exempli gratia, in Oriente inveniuntur tapeta; Romae in basilicis, nostris tantum diebus, plerumque scamna [303] habentur, quae genuflexoriis carent, idque ad ingentes multitudines accipiendas. Nihil impedit quominus fideles genuflexi maneant humi ad suam adorationem manifestandam, quantumvis res incommoda in-

<sup>82</sup> Cf. SRC, Instr. *Inter Oecumenici*, 26 sept. 1964, n. 93: AAS 56 (1964) 898.



veniatur. In casibus, in quibus genuflecti non possit (cf. IGMR, n. 21), profunda inclinatio et modus digne sese gerendi, signa erunt reverentiae et adorationis manifestandae tempore consecrationis et communionis.

Novus textus:

1672

277. Sanctissima Eucharistia asservetur in unico tabernaculo inamovibili et solido, non transparenti et ita clausum ut quam maxime periculum profanationis vitetur. Quare, de more in singulis ecclesiis, unicum tabernaculum habeatur. <sup>89</sup>

Novus textus:

1677

282. Panis ad Eucharistiam celebrandam debet esse mere triticeus, recentior confectus, et, secundum antiquam Ecclesiae latinae traditionem, azymus.

Adnotatio addenda ad litteram c):

1717

Ad quaestiones: «In Prece eucharistica III, ubi de intercessionibus, ponitur haec parenthesis: "cum Sancto N.: Sancto diei vel patrono". Quomodo interpretanda verba haec? Semper mentio fieri debet Sancti diei vel patroni? Etiam dominica et diebus sollemnioribus? Num etiam de Beatis mentio fieri potest?» responsiones huiusmodi inveniuntur in N 14 (1978) 594-595:

a) Verba supra relata, ut bene notatur, intra parenthesim ponuntur; mentio ergo Sancti diei vel patroni ad libitum consideranda est. Tamen ne omittatur semper, quia mentio Sancti quiddam magis perspicuum relate ad participantes, ad locum, ad circumstantias suppeditat.

[595] b) Sancti diei vel patroni mentio ergo fieri potest semper, etiamsi Missae celebratio in eius honorem impediatur, et dominica et diebus sollemnioribus.

Peculiariorum personarum et locorum adiuncta suadere possunt quandoque mentionis omissionem, exempli gratia si mentio Sancti parum cogniti fidelium admirationem movere potest. Celebrans semper caveat ne suam propriam devotionem fidelibus imponat.

c) Quae de Sanctis dicta sunt, de Beatis praedicari possunt, sed tantummodo pro locis et modis iure statutis (cf. CIC can. 1277, § 2).

Novus textus:

1786

10. Propterea, de iudicio animarum pastoris, patrinus, a catechumeno vel familia electus, oportet his dotibus sit praeditus, ut actus liturgicos sibi proprios, de quibus sub n. 9, peragere queat:

<sup>89</sup> Cf. SRC, Instr. *Eucharisticum mysterium*, 25 maii 1967, n. 52: AAS 59 (1967) 568; Instr. *Inter Oecumenici*, 26 sept. 1964, n. 95: AAS 56 (1964) 898; SCDS, Instr. *Nullo umquam tempore*, 28 maii 1938, n. 4: AAS 30 (1938) 199-200; *Rituale Romanum, De sacra communione et de cultu mysterii eucharistici extra Missam*, ed. typ. 1973, n. 10; CIC can. 938.

- 1) ab ipso baptizando eiusve parentibus aut ab eo qui eorum locum tenet aut, his deficientibus, a paroco vel ministro sit designatus atque aptitudinem et intentionem habeat hoc munus gerendi;
- 2) ad hoc munus implendum sit satis maturus, quod praesumitur si decimum sextum aetatis annum expleverit, nisi alia aetas ab Episcopo dioecetano statuta fuerit vel exceptio iusta de causa paroco aut ministro admittenda videatur;
- 3) tribus sacramentis Baptismi, Confirmationis et Eucharistiae sit initiatus, vitamque ducat fidei et muneri suscipiendo congruam;
- 4) non sit pater aut mater baptizandi;
- 5) sit unus tantum vel matrina una, vel etiam unus et una;
- 6) Ad Ecclesiam catholicam pertineat, neque ab hoc officio implendo iure prohibeatur. Baptizatus autem ad communitatem catholicam non pertinens et Christi fide imbutus, simul cum patrino catholico (vel cum matrina catholica) admitti potest ut testis christianus Baptismi, si id optaverint parentes. <sup>19bis</sup> Quoad orientales seiunctos, si casus ferat, attendatur ad peculiarem disciplinam pro Ecclesiis orientalibus. <sup>a</sup>

1787 Novus textus:

11. Ministri ordinarii Baptismi sunt Episcopi, presbyteri et diaconi.  
 1) In qualibet celebratione huius sacramenti memores sint se in Ecclesia agere nomine Christi et virtute Spiritus Sancti. Diligentes ergo sint in Dei verbo administrando et mysterio peragendo.  
 2) Caveant etiam ab omni actione, quae a fidelibus recte censi possit acceptio personarum. <sup>20</sup>  
 3) Excepto casu necessitatis, sine debita licentia, in alieno territorio Baptismum ne conferant, ne suis quidem subditis.

1819 Novus textus:

8. Ad tempus conferendi Baptismum quod attinet, ratio habeatur in primis salutis parvuli, ne hic beneficio sacramenti priveretur; deinde valetudinis matris, ut, quantum fieri potest, et ipsa adesse possit: Demum,

<sup>19bis</sup> Cf. CIC cann. 873 et 874 § 1 et § 2.

<sup>20</sup> Cf. *Sacrosanctum Concilium*, n. 32; *Gaudium et spes*, n. 29; *Christus Dominus*, n. 15.

<sup>a</sup> Ultima pars novi textus erronea est: CIC can. 874 §2 respicit tantummodo communitates ecclesiales non catholicas, dum nihil dicit de ecclesiis orientalibus seiunctis. Disciplina ergo, a Directorio oecumenico statuta (cf. vol. I nn. 882 et 891) et a SCU confirmata (cf. N 7 [1971] 92-93), a CIC anno 1983 promulgato mutata non est et valet textus, prout habetur in vol. I n. 1786 sub. n. 3, et quidem hoc sensu, ut baptizatus ex ecclesia orientali seiuncta ortus simul cum patrino catholico (vel cum matrina catholica) admitti possit *ut patrinus*, baptizatus autem e communitate ecclesiali non catholica ortus solummodo *ut testis*.

dummodo hoc praestantiori bono infantis non obsit, necessitatis pastoralis, idest temporis sufficientis ad praeparandos parentes et ad ipsam celebrationem ita congrue ordinandam, ut indoles ritus apte manifestetur.

Itaque:

- 1) Si parvulus in periculo mortis versatur, sine mora baptizetur, quod licite fit etiam invitis parentibus, etsi agatur de infante parentum non catholicorum. Baptismus tunc confertur modo infra statuto (n. 21).
- 2) In ceteris casibus parentes, saltem eorum unus aut qui legitime eorundem locum tenet, Baptismo consentire debent. Ad celebrationem sacramenti apte praeparandam quamprimum, immo, si casus fert, ante ipsam nativitatem parvuli, de futuro Baptismo parochum commonefaciant.
- 3) Celebratio Baptismi fiat infra priores hebdomadas post nativitatem parvuli. Si spes fundata eum in religione catholica educatum iri, prorsus deficiat, Baptismus secundum praescripta iuris particularis differatur (cf. n. 25), monitis de ratione parentibus.
- 4) Parochi est, ratione habita ordinationum Conferentiae Episcopalis, statuere de tempore quo baptizandi sint parvuli quando condiciones de quibus supra [cf. 2) et 3)] non adsint.

Novus textus:

1822

11. Ordinarii loci autem est, audito parochi loci, permittere vel iubere ut fons baptismalis habeatur etiam in alia ecclesia vel oratorio intra eiusdem paroeciae fines. Ad parochum de more pertinet etiam in his locis Baptismum celebrare.

Quando vero, propter locorum distantiam aliaque adiuncta, sine gravi incommodo baptizandus accedere vel transferri nequeat, Baptismus conferri potest et debet in alia propinquiore ecclesia vel oratorio, aut etiam in alio loco decenti, servatis his, quae statuuntur de tempore et de structura celebrationis (cf. nn. 8-9; 15-22).

Novus textus:

1823

12. Praeter casum necessitatis Baptismus ne celebretur in domibus privatis, nisi Ordinarius loci gravi de causa id permiserit.

Textus addendus:

1936bis

14bis. Celebratio exsequiarum facienda est pro catechumenis, et insuper concedi potest, ad normam can. 1183 CIC:

a) parvulis, quos parentes baptizare intendebant quique autem ante baptismum mortui sunt;

b) baptizatis alicui Ecclesiae aut communitati ecclesiali non catholicae adscriptis, de prudenti Ordinarii loci iudicio, nisi constet de contraria eorum voluntate et dummodo minister proprius haberi nequeat.

Novus textus:

1937

15. Iis qui elegerint proprii cadaveris cremationem, ritus exsequiarum

christianarum concedendi sunt, nisi constet ipsos talem electionem fecisse rationibus ductos christianae vitae adversis.

Exsequiae celebrentur iuxta typum qui in regione adhibetur, ita tamen ut non lateat Ecclesiam anteponeere consuetudinem sepeliendi corpora, sicut Dominus ipse voluit sepeliri, et vitato periculo scandali vel admirationis ex parte fidelium.

Ritus qui fiunt ad sacellum vel ad sepulcrum in hoc casu peragi possunt in ipsa aede crematorii; immo, deficiente alio loco apto, et in ipsa aula crematorii, vitato prudenti periculo scandali vel indifferentismi religiosi.<sup>a</sup>

1947 Adnotatio addenda:

Ad quaestionem, «quomodo peragenda sint exsequiae durante Triduo paschali», responsio huiusmodi invenitur in N 11 (1975) 288:

1) In Triduo paschali et feria V Hebdomadae Sanctae mane, Missa exsequialis celebrari nequit. Dubium ortum est e littera n. 336 Institutionis generalis Missalis romani, qui sonat: «Inter Missas defunctorum primum locum tenet Missa exsequialis, quae celebrari potest omnibus diebus, exceptis solemnitatibus de praecepto et dominicis Adventus, Quadragesimae et Paschae». De Triduo paschali nihil dicitur. At res clara est ex aliis Missalis Romani locis, uti iam indicatum est in explanatione data a Notitiae 10 (1974) 145-146.

---

<sup>a</sup> Ad dubium propositum, «utrum praeter ritus, qui fiunt “in ipsa aede crematorii, immo, deficiente alio loco apto, in ipsa aula crematorii”, possibile sit exsequiarum celebrationem in ecclesia peragere, praesente urna cum cineribus», responsio huiusmodi invenitur in N 13 (1977) 45:

Solutio problematis aliquo modo invenitur in n. 15 *Praenotandorum*, in quo sermo est tantummodo de ritibus, qui fiunt ad sacellum vel ad sepulcrum. E contextu eiusdem numeri deducitur Missam exsequialem iam celebratam esse, corpore defuncti in ecclesia praesente, antequam ad aedem crematorii deferretur, dum e contra in coemeterio vel in sacello aut in aede vel in ipsa aula crematorii peraguntur ritus, qui sepulturam comitantur.

Namque non videtur opportunum super cineres ritus celebrare, qui ad corpus defuncti venerandum ordinantur. Non agitur de crematione damnanda sed potius de veritate signi in liturgica actione servanda. Etenim cineres, qui humani corporis corruptionis exstant signum, indolem «dormitionis» in resurrectione exspectanda inepte adumbrant. Corpus insuper, non autem cineres, liturgicos accipit honores, quia baptismo sacrum templum factum est Spiritus Dei. Maxime interest veritatem signi servare ut liturgica catechesis necnon celebratio ipsa in veritate et cum fructibus fiant.

Si vero corpus defuncti in ecclesiam ad Missam exsequialem celebrandam deferri nequit, eadem Missa celebrari potest, aliis non impediens rationibus, etiam absente corpore defuncti, iuxta normas, quae pro celebratione praesente cadavere servandae sunt.

Sed ad rem clariorem faciendam, in editione altera Missalis Romani, quae in proximo fasciculo Notitiae describetur, n. 336 Institutionis generalis addita est indicatio «Feria V Hebdomadae Sanctae et Triduum Paschale», inter dies in quibus Missa exsequialis prohibetur.

2) Si exsequiae habendae sunt his diebus, convenit ut fiat celebratio verbi cum ritu valedictionis, uti praevidetur in *Ordine Exsequiarum*, n. 6. Lectiones seligantur tempori liturgico aptiores. Cantus fieri possunt durante celebratione. E contra, sacra Communio distribui nequit (cf. *Missale Romanum* 243, 250 n. 2, 265 Sabbato Sancto).

Novus textus:

2034

4. Novitiatus, a quo vita in instituto incipit<sup>6</sup>, experimenti tempus est tum novitio cum eius familiae religiosae. Initio novitiatus ritum peragere praestat, quo Dei gratia impetretur ut eius finis peculiaris [8] attingatur. Hic ritus, sua ipsius natura, sobrius esse debet atque expeditus, sodalium coetui reservatus. Fieri autem debet extra Missam.

Novus textus:

2035

5. Sequitur prima professio, qua novitius votis temporalibus coram Deo et Ecclesiae consilia evangelica secuturum promittit. Votorum temporalium emissio fieri potest intra Missam, nulla tamen peculiari sollemnitate. Primae professionis ritus cum aliorum vitae religiosae insignium tum habitus traditionem providet, secundum antiquissimam consuetudinem habitus tradendi expleto probationis tempore: habitus enim signum est consecrationis.<sup>7</sup>

Adnotatio addenda:

2067

Die 9 aprilis 1979 Ioannes Paulus II sequentem decisionem Patrum Pontificiae Commissionis Decretis Concilii Vaticani II interpretandis relate ad dubia proposita ratam habuit, approbavit et publicari iussit: AAS 71 (1979) 632 (Angl.: J 39 [1979] 505-506. Germ.: ÖAfKR 31 [1980] 301):

D. - I. Utrum Episcopus dioecesanus, dispensationem a forma canonica in matrimoniis mixtis iuxta M.P. «Matrimonia mixta» concedens, ambitum huius concessionis, adiectis clausulis ad validitatem, circumscribere possit;

II. Quatenus affirmative ad primum: utrum clausulae ita appositae, si non servantur, possint nullitatem matrimonii afferre ob defectum formae canonicae;

III. Utrum, in factis specie de qua supra, Episcopus dioecesanus nullitatem matrimonii declarare possit tamquam in casu speciali iuxta M.P. «Causas matrimoniales», n. XI, si tamen habeantur probationes de quibus in n. X.

R. - Affirmative ad I, II et III.

<sup>6</sup> Cf. CIC can. 646.

<sup>7</sup> Cf. *Perfectae caritatis*, n. 17.

2215 Adnotatio addenda:

Ad dubium propositum, «utrum benedictio abbatialis quae habetur in Ordine Benedictionis Abbatis et Abbatissae, adhiberi possit etiam pro Abbatibus titularibus», responsio huiusmodi invenitur in N 13 (1977) 601:

Benedictio abbatialis quae invenitur in Ordine Benedictionis Abbatis et Abbatissae, adhiberi potest tantum pro Abbatibus qui, post eorum electionem canonice factam, regimen alicuius communitatis exercent. Proinde benedictio de qua supra dari nequit Abbatibus, qui regimine communitatis careant, etiamsi titulo abbatialis variis ex rationibus, praesertim historicis (ex. gr. si aliquam ecclesiam regunt, quae titulum abbatialem secumfert) de facto frui possunt.

Etenim in Decreto diei 9 novembris 1970, quo Sacra Congregatio pro Cultu Divino novum «Ordo Benedictionis Abbatis et Abbatissae» promulgavit, sermo est tantummodo de ritu pro «Abbate monasterii qui religiosae familiae praeest».

Ceterum integer ritus significat et exprimit «religiosam familiam supernam gratiam invocare super eum, quem ducem sibi elegit in via perfectionis percurrenda» (*ibid.*); ac ideo, si pro Abbate titulari adhiberetur, mera fictio evaderet necnon inanis caeremonia, ratione dumtaxat externae sollemnitatis usurpata.

2239 Novus textus:

8. Oleum in Uctione infirmorum adhibendum debet esse ad hoc benedictum ab Episcopo aut a presbytero qui vi ipsius iuris aut peculiari concessionis Sanctae Sedis hac facultate gaudet.

Ipsa iure oleum adhibendum in Uctione infirmorum benedicere possunt:

- a) qui iure Episcopo dioecesano equiparantur;
- b) in casu necessitatis, quilibet presbyter, in ipsa tamen celebratione sacramenti.

2282 Novus textus:

29. Episcopi ergo, presbyteri et diaconi ad presbyteratum aspirantes, qui mandatum ab Ecclesia acceperunt (cf. n. 17) Liturgiam Horarum celebrandi, integrum eius cursum cotidie persolvendi obligatione adstringuntur, <sup>114bis</sup> Horarum veritate, quantum fieri potest, servata.

Debitum in primis momentum tribuant Horis, quae huiusmodi Liturgiae sunt veluti cardo, id est Landibus matutinis et Vesperis, caveantque ne has Horas omittant, nisi gravi de causa.

Officium quoque lectionis, quod est potissimum celebratio liturgica verbi Dei, fideliter peragant; ita munus, peculiari ratione sibi proprium, verbum Dei [36] in seipsos recipiendi, cotidie adimplent, quo perfectiores fiant Domini discipuli et profundius sapiant investigabiles divitias Christi. <sup>115</sup>

<sup>114bis</sup> Cf. CIC cann. 276 §2, 3<sup>o</sup> et 1174 §1.

<sup>115</sup> Cf. *Dei Verbum*, n. 25; *Presbyterorum ordinis*, n. 13.

Quo melius totum diem sanctificent, cordi insuper ipsis erit recitatio Horae mediae et Completorii, quo ante cubitum integrum «Opus Dei» perficiant seseque Deo commendent.

Novus textus:

2283

30. Diaconi vero permanentes, quos etiam mandatum Ecclesiae afficit, Liturgiae Horarum partem ab Episcoporum Conferentia definitam, cotidie recitent.<sup>116</sup>

Adnotatio addenda:

2477

Ad quaestionem: «Ad normam n. 224 Institutionis generalis de Liturgia Horarum, in Officio Sanctorum peragendo “partes proprias, si forte desint, suppleant respectiva Communia Sanctorum”. Ex alia parte, n. 235d, cum de lectionibus Officii agit, haec habet: “Altera lectio est hagiographica...; si autem non est propria, sumitur e textibus Patrum diei currentis”. Qua de re inter duas normas contradictio adesse videtur», responsio huiusmodi invenitur in N 12 (1976) 46:

Numerus 224 generale enuntiat principium, quod recte est interpretandum. De facto norma valet pro sollempnitatibus et festis, dum e contra simpliciter indicatur pro memoriis, quia n. 235b expresse dicit quod partes communes, excepta tantummodo oratione finali, usurpari valent ad libitum: «de communi vel de feria».

Ratio huius rubricae eo tendit ut inutilis ac omni varietate carens diuturna repetitio vitetur, ut olim eveniebat cum hymno *Iste Confessor* aut antiphona *Hic vir despiciens mundum* tam frequenter occurrente. Praeterea spiritualiter minus utile esset alteram lectionem semper de communi adhibere, quia lectiones istae ad frequentem usum minime destinantur. Memoretur insuper quod lectiones Patrum saepe rationem dicunt ad biblicam lectionem, quae praecedat, aut aliquando seriem continuam per dies plurimos constituunt. Manet ergo facultas aptiorem lectionem eligendi propter devotionem erga aliquem Sanctum: «Loco lectionis alterius tali diei assignatae, eligi potest, iusta de causa, alia lectio eiusdem temporis, desumpta sive e libro Liturgiae Horarum sive e lectionario ad libitum» (n. 250).

De cetero, semper varietas taedioso usui est praeferenda.

Cf. adnotationem addendam ad n. 2477.

2488

Adnotatio addenda:

2498

Ad quaestionem: «Nonnullae familiae religiosae (Ordines, Congregationes, etc.) ante peractam instaurationem liturgicam usum retinebant celebrandi statis temporibus, verbi gratia semel in hebdomada vel semel in mense, Officium quoddam votivum sive Domini sive Beatae Mariae Virginis sive defunctorum.

<sup>116</sup> Cf. CIC can. 276 §2, 3<sup>o</sup>; Paulus VI, Moto proprio *Sacrum Diaconatus ordinem*, 18 iunii 1967, n. 27: AAS 59 (1967) 703.

Huiusmodi usus estne adhuc servandus et, in casu, quomodo celebranda Officia de quibus supra in hodierna Liturgia Horarum?

Praeterea, quaedam Congregationes seu Instituta, quae obligatione Officium divinum celebrandi non tenentur, ad normam Constitutionum suarum "Officium parvum" persolvebant. Quaeritur nunc utrum consuetudo "Officium parvum" recitandi etiam nostris temporibus servari possit ut antea, aut inducendae sint variationes in textum vel, si id oporteat, in Constitutiones "Officium parvum" praescribentes» responsio huiusmodi invenitur in N 16 (1980) 473-474:

1. Ante omnia animadvertendum est quod secundum mentem Constitutionis de sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium* (cf. n. 34) adiectio cuiusvis alterius Officii (Beatae Mariae Virginis, defunctorum etc.) ad Officium diei proprium admitti nequit.

2. In casu particulari seu singulari, ad normam n. 245 Institutionis generalis de Liturgia Horarum, licet aliquod Officium votivum loco Officii diei celebrare, intra limites qui in ipsa norma indicantur, iuxta praescripta nn. 225-233 persolvendum. Hoc fieri potest verbi gratia ratione peregrinationis, festi localis, sollemnitatis externae alicuius Sancti, in expositione protracta SS. mae Eucharistiae, in exsequiis peragendis cuiusdam fratris vel sororis. Agitur vero de adiunctis omnino peculiaribus.

3. Ordo vel Congregatio religiosa, qui praescripto Constitutionum vel usu tenentur celebrare Officium quoddam votivum, stricte servare debent normas in nn. 235-236 Institutionis generalis de Liturgia Horarum statutas:

[474] a) Officium votivum permittitur tantummodo diebus «per annum» quibus nullum aliud Officium obligatorium praescribitur a Calendario Romano generali vel particulari: prohibetur itaque tempore Adventus, Nativitatis, Quadragesimae et Paschae;

b) celebratur tantummodo in Officio lectionis, Laudibus et Vesperis:  
— psalmis cum suis antiphonis sumuntur e feria currente;  
— antiphona ad invitatorium, hymnus, lectio brevis cum responsorio, antiphonae ad *Benedictus* et *Magnificat*, preces, dicuntur de Officio votivo;

— oratio conclusiva dicenda est de Officio votivo;  
— in Officio lectionis, lectio biblica cum suo responsorio est de Scriptura occurrente. Altera lectio cum responsorio proprio est de Officio votivo;

c) in Hora media seu Tertia, Sexta et Nona et ad Completorium nihil fit de Officio votivo, sed totum de feria.

4. Quoad «Officia parva», quae adhibentur a nonnullis Institutis vel Congregationibus, celebratione Liturgiae Horarum haud obstrictis, servandae sunt normae ab Apostolica Sede iam datae, videlicet:

a) Officia huiusmodi componenda vel recognoscenda sunt ad normam Liturgiae Horarum (cf. SC, n. 98; Instr. *Inter Oecumenici*, n. 81); quae de re constare debent Hymnis, psalmis, lectionibus et orationibus atque rationem habere tum diversarum horarum diei tum temporum liturgicorum (cf. SC, nn. 13, 107, 108). Officium quod semper eodem modo idem esset in unoquoque die anno vertente est reiciendum.



b) Etsi religiosi, qui «Officium parvum» rite probatum celebrant, partem habent in oratione publica Ecclesiae (cf. SC, n. 98), commendatur tamen Institutis celebratio Liturgia Horarum sive in toto sive ex parte loco «Officii parvi» ad vitam liturgicam Ecclesiae intimius participandam (Motu proprio *Ecclesiae Sanctae*, «Normae ad exsequendum decretum Concilii Vaticani II *Perfectae caritatis*», n. 20).

5. Sive Officium votivum sive «Officia parva», de quibus supra (nn. 3, 4), secundum normas liturgicas statutas approbari debent ab Ordinario ac deinde Sedi Apostolicae confirmationis causa sunt subicienda.

Adnotatio addenda:

2507

Ad dubium propositum, «utrum diaconus sacerdotibus religiosis adstantibus legitime possit celebrationi Officii divini praesidere hebdomadarii munus explendo», responsio huiusmodi invenitur in N 12 (1976) 47:

Expressio «sacerdos vel diaconus» quae in nn. 254, 256 Institutionis generalis de Liturgia Horarum, et in rubricis Ordinarii recurrit (L. H. I, 532, 537), minime postulat quod diaconus exercere valeat munus praesidendi coram sacerdotibus, quamvis in illis textibus explicita condicio «vel, eo deficiente» non inveniatur. Mens legislatoris est diaconum ordinari ad presbyterum adiuvandum vel substituendum, eo deficiente. Quapropter secundum normas diaconus celebrationi Officii ne praesideat cum praesto sint sacerdotes. Ipse vero procul dubio munus praesidendi exercebit in coetu religiosarum, laicorum aut coram presbyteris legitime impeditis (infirmis, senibus, etc.).

Cf. adnotationem addendam ad n. 2507.

2509

Novus textus:

2607

5. Singulis confirmandis patrinus de more adsit, qui illos ad suscipiendum sacramentum adducet, eosdemque ministro Confirmationis ad sacram unctionem praesentabit, necnon postea iuvabit ad promissiones, quas in baptismo protulerunt fideliter exsequendas, secundum Spiritum Sanctum quem acceperunt.

Attentis hodiernis pastoralibus adiunctis, expedit patrinum Baptismi, si adsit, esse etiam patrinum Confirmationis. Ita enim clarius significatur nexus inter Baptismum et Confirmationem, dum munus et officium patrini efficacius redditur.

Minime tamen excluditur facultas patrinum Confirmationis proprium eligendi. Fieri etiam potest, ut parentes ipsi pueros suos praesentent. <sup>a</sup>

---

<sup>a</sup> Ad dubium propositum, «utrum contradictio inveniatur inter hanc indicationem Ordinis Confirmationis [OC]: «Fieri etiam potest, ut parentes ipsi pueros suos praesentent», et praescriptum novi Codicis Iuris Canonici, statuens quod nec pater nec mater confirmandi patrinus esse potest (cf. cann. 893 et 874, § 1, 5°)», responsio huiusmodi invenitur in N 20 (1984) 86:

Ordinarii autem loci erit, attentis rerum et locorum adiunctis, statuere quaenam ratio agendi in sua dioecesi sit servanda.

2609 Novus textus:

7. Confirmationis minister ordinarius est Episcopus. Sacramentum ex more ab ipso administratur, quo apertius referatur ad primam effusionem Spiritus Sancti in die Pentecostes. Nam postquam repleti sunt Spiritu Sancto, Apostoli ipsi per manuum impositionem fidelibus Eum trasmiserunt. Ita acceptio Spiritus Sancti per ministerium Episcopi arcitius vinculum demonstrat, quod confirmatos coniungit Ecclesiae, nec non mandatum acceptum de Christo testimonium inter homines perhibendi.

Praeter Episcopum facultate confirmandi ipso iure gaudent:

a) Praelatus territorialis et abbas territorialis, vicarius apostolicus et praefectus apostolicus, administrator apostolicus et administrator dioecesanus, intra limites sui territorii et durante munere;

b) quoad personam de qua agitur, presbyter qui, vi officii vel mandati Episcopi dioecesani, infantia egressum baptizat aut iam baptizatum in plenam Ecclesiae catholicae communionem admittit;<sup>a</sup>

---

Nulla vera contradictio inveniri videtur, si bene considerantur quae sequuntur.

1. «Confirmando, quantum id fieri potest, adsit patrinus» (CIC 892; cf. OC 5 et adnotationem ad n. 2607 in vol. I).

2. Ad normam can. 893 (874, § 1, 5<sup>o</sup>) nec pater nec mater ad munus patrini admitti potest.

3. Nihilominus parentes, etiam cum patrinus habetur, pueros suos ministro Confirmationis praesentare valent (cf. OC, n. 5).

Huiusmodi praesentatio, quae pressius in decursu ritus definitur, fit hoc modo: dicto Evangelio, quando Confirmatio intra Missam confertur, vel, lectionibus expletis, quando Confirmatio sine Missa confertur, «singuli confirmandi ... accedunt ad presbyterium; si vero sunt pueri, adducuntur ab uno e patrinis vel ab uno e parentibus, et coram celebrante consistunt» (OC, nn. 21, 38).

Ex dictis patet parentes et patrinum munera diversa exercere in sacramento Confirmationis. Quapropter parentes pueros suos praesentare valent, modo a rubricis indicato, etsi ad munus patrini nequeunt admitti, quatenus hoc munus nihil adderet in munus parentum.

(Evidens manet parentes, qui, lectionibus expletis, pueros suos praesentaverunt, agere posse in ritu chrismationis ad normam n. 26 et n. 43 OC: «Qui autem confirmandum praesentavit, ponit manum dexteram super umerum eius et dicit Episcopo nomen eius, vel confirmandus sua sponte nomen dicit».)

<sup>a</sup> Die 25 aprilis 1975 Paulus VI sequentem decisionem patrum Pontificiae Commissionis Decretis Concilii Vaticani II interpretandis relate ad dubium propositum ratam habuit, approbavit et publicari iussit: AAS 67 (1975) 348 (Germ.: ÖAfkR 26 [1975] 352):

c) quoad eos qui in periculo mortis versantur, parochus, immo quilibet presbyter.

Novus textus:

2610

8. Episcopus dioecesanus Confirmationem administret per se ipse aut curet ut per alium Episcopum administretur; quod si necessitas id requirat, facultatem concedere potest uni vel pluribus determinatis presbyteris, qui hoc sacramentum administrent.

Gravi de causa, uti aliquando propter multitudinem confirmandorum accidit, Episcopus itemque presbyter, vi iuris aut peculiaris concessionis competentis auctoritatis facultate confirmandi donatus, possunt in singulis casibus, presbyteros, ut et ipsi sacramentum administrent, sibi sociare.

Suadetur autem ut presbyteri invitentur qui:

a) aut peculiari munere vel officio in dioecesi fungantur, scilicet sint vicarii aut generales aut episcopales, vel foranei;

b) aut sint parochi locorum in quibus Confirmatio confertur, vel parochi locorum ad quae confirmandi pertinent, vel presbyteri qui peculiarem operam naverunt in praeparatione catechetica confirmandorum.

Novus textus:

2616

14. Nomina confirmatorum, facta mentione ministri, parentum et patrino-  
rum, loci et diei collatae Confirmationis in librum confirmatorum curiae dioecesanae adnotentur, vel, ubi id praescripserit Episcoporum

---

D. Utrum facultas, de qua in *Ordine admissionis valide iam baptizatorum in plenam communionem Ecclesiae Catholicae* (Praenotanda, n. 8), necnon in *Ordine Confirmationis* (Praenotanda, n. 7, b) iuxta quam presbyter ab Episcopo pro admissione deputatus potest candidatum confirmare in ipso actu admissionis, comprehendat etiam casum readmissionis apostatae a fide, nondum confirmati.

R. *Affirmative.*

Die 21 decembris 1979 Ioannes Paulus II sequentes decisiones eorundem Patrum relative ad dubia proposita ratas habuit, approbavit et publicari iussit: AAS 72 (1980) 105 (EL 90 [1976] 498-499. Germ.: ÖA&KR 31 [1980] 301):

D. - 1) Utrum presbyter sacramentum confirmationis administrare valeat adulto qui, baptismo in Ecclesia catholica recepto, fidem postea, sine culpa, numquam ad praxim deduxit, et quidem eo tempore quo ad plenam praxim admittitur.

2) Utrum presbyter, ab episcopo deputatus ad admittendum in plenam communionem Ecclesiae adultum iam valide baptizatum in Ecclesia catholica, qui postea sine culpa in religione non catholica institutus fuit vel illi adhaesit, possit, in ipso ritu admissionis, sacramentum confirmationis eidem, nondum confirmato, administrare.

R. - *Negative ad primum; Affirmative ad secundum*, iuxta quod provisum est in n. 7 b) Praenotandarum *Ordinis Confirmationis*.

Conferentia aut Episcopus dioecesanus, in librum in archivo paroeciali conservandum; parochus debet de collata Confirmatione monere parochum loci Baptismi, ut adnotatio fiat in libro baptizatorum ad normam iuris.

2617 Novus textus:

15. Si parochus loci praesens non fuerit, eundem de collata Confirmatione minister per se vel per alium quamprimum certiore faciat.

2647 Novus textus:

8. Praeterea, cum initiatio christianorum nihil aliud sit quam prima sacramentalis participatio mortis et resurrectionis Christi, cum insuper tempus purificationis et illuminationis in tempus Quadragesimae de more incidat,<sup>2</sup> et «mystagogia» in tempus paschale, ideo tota initiatio indolem paschalem prae se ferat oportet. Propterea Qua[17]dragesima plenam vim obtineat ad impensioem electorum praeparationem et ipsa Vigilia paschalis habeatur tempus legitimum sacramentorum initiationis, veruntamen non vetatur eadem sacramenta, propter necessitates pastorales, extra haec tempora celebrari.

2673 Novus textus:

34. Secundum perantiquum usum in ipsa Liturgia Romana servatum, adultus ne baptizetur quin statim post Baptismum, nisi obstat gravis ratio, accipiat Confirmationem (cf. n. 44). Hac conexione significantur unitas mysterii paschalis, necessitudo inter missionem Filii et effusionem Spiritus Sancti coniunctioque sacramentorum, quibus utraque persona divina cum Patre baptizatis advenit.

2683 Novus textus:

44. Episcopi est<sup>20</sup> per se vel per delegatum institutionem pastoraalem catechumenorum condere, moderari atque fovere, necnon candidatos ad electionem et ad sacramenta admittere. Optandum est ut, [26] quantum fieri poterit, quadragesimali liturgiae praesidens, ritum electionis et in Vigilia paschali sacramenta initiationis ipse celebret saltem eorum qui aetatem quattuordecim annorum expleverunt. Denique, pro sua pastorali cura, Episcopus catechistis, qui revera digni sunt et opportune praeparati, tradat deputationem ad exorcismos minores celebrandos.

2705 Novus textus:

66. Episcopo autem, pro sua dioecesi, competit:

1) Institutionem catechumenatus condere et pro necessitatibus normas opportunas decernere (cf. n. 44).

<sup>2</sup> Cf. *Sacrosanctum Concilium*, n. 109.

<sup>20</sup> Praenotanda generalia, n. 12.

2) Prout adiuncta ferunt statuere an et quando Ordo initiationis celebrari possit extra tempora (cf. n. 58).

3) Dispensare propter impedimenta gravia ab uno scrutinio vel etiam, in extraordinariis adiunctis, a duobus (cf. n. 240).

4) Permittere ut ex parte vel ex toto adhibeatur Ritus simplicior (cf. n. 240).

5) Catechistis, qui revera digni sunt et opportune praeparati, deputationem tradere ad exorcismos et benedictiones peragenda (cf. nn. 44 et 47).

6) Ritui «electionis» praesidere et ratam habere per se vel per delegatum admissionem electorum (cf. n. 44).

7) Aetatem patrinorum ad normam iuris<sup>28</sup> statuere (cf. Praenotanda generalia 10,2).

Cf. adnotationem ad. n. 2609

2795

Adnotatio addenda:

2821

Die 20 ianuarii 1978 SCDF ad quaesitum quoddam de sacramentali absolute generali modo impertienda responsum dedit, lingua anglica exaratum, quod invenitur in N 14 (1978) 6-7.

Adnotatio addenda ad litteram b):

2876

Ad dubium propositum, «utrum in concelebratione Missae binatae stipendium percipi possit», responsio huiusmodi invenitur in N 11 (1975) 287-288:

Quibusdam in locis consuetudo habebatur plures Missas simul celebrandi, praesertim occasione exsequiarum. Haec multiplex Missarum celebratio quodammodo ablata est recurrendo ad concelebrationem. Ita, occasione cuiusdam funeris, sacerdotes proximiores invitantur ad concelebrationem, quae quandoque fit binando, cum in bonum fideium quidam celebrare debeant. Cum ratio pastoralis habeatur ob magnum fidelium concursum, quandoque Episcopi ipsi facultatem concedunt pro binatione occasione huiusmodi concelebrationis. Inde peti- tum est utrum stipes percipi possit in bonum cuiusdam operis caritatis, seminarii, vel necessitatis dioecesis.

Haec animadvertenda videntur:

1) Ante omnia, dignitas et significatio nativa concelebrationis servanda semper est. Ad eam recurrendum non est ob rationes practicas aut tantum ad maiorem sollemnitatem habendam. Concelebratio est forma Missae in qua plenior habetur Ecclesiae manifestatio, clarius exprimitur unitas sacerdotii et sacrificii ad unum altare, in unica gratiarum actione. Est ergo forma propria communitatum sacerdotum, quae, tamen artificiose creanda non est.

